image
not
available

Digitized by Google

Digitized by Google

Monaſterio Altahæ Superioris
comparavit
P. HERMANNUS SCHOLLINER,
Anno 1763

Digitized by Google

<36602744060012

<36602744060012

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

L. germ. 278

Ling. German.
Glossar. Pg. 1138.

Digitized by Google

GLOSSARIVM GERMANICVM

CONTINENS

ORIGINES ET ANTIQVITATES

LINGVÆ GERMANICÆ

HODIERNÆ.

SPECIMEN EX AMPLIORE FAR-
RAGINE DECERPTVM.

AVCTORE

JO. GEORG. WACHTERO

REG. SOCIET. SCIENT. BEROL.
CONSORTE.



Biblioth. Oberaltae

LIPSIÆ
SVMPTIBVS JACOBI SCHVSTERI,
MDCCXXVII.

Digitized by Google

Præcedunt

I. PRÆFATIO de Lingua primigenia Germanorum, & primis Germaniæ Colonis.

II. PROLEGOMENA de Particulis præpoſitivis & poſtpoſitivis Germanorum.

III. REGULÆ ETYMOLOGICÆ.

Sequuntur

INDICES RERUM ET VERBORUM.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD
GERMANOS.

I.

LEXICON concinnare ETYMOLOGICUM, & Sermonis noſtri ſecreta ex remotiſſima antiquitate inveſtigare, etiamſi immenſæ molis & unius hominis vires excedentis eſſe videbatur, a multis tamen abhinc annis arcano & improbo ſtudio aggreſſus ſum, propoſiti difficultate non ſegnior, ſed audentior & conſtantior factus. Res equidem moleſta eſt, ut bene Tullius ait, vocabulorum reddere rationem, nec moleſta tantum, ſed etiam difficilis, humani ſermonis receſſus omnes rite explicare, grata tamen & jucunda, ſi pro GERMANICI NOMINIS gloria ſuſcipiatur. Et hinc, opinor, cauſam intelligitis, cur VOS ante omnes in limine hujus SPECIMINIS compellandos mihi ſumpſerim.

II. Linguas non fortuito natas eſſe, aut ſolo impetu naturali, aut arbitrio vulgi tantum, ſed

Digitized by Google

magno præterea ingenio formatas & inſtitutas, & experientia teſtatur, & a multis jam Philoſophis proditum eſt. Hos inter PLATO, Græcorum ſapientiſſimus, *primos nominum impoſitores haud hebetis ingenii fuiſſe*, ſcribit in Cratylo. Hinc partem Sapientiæ non res ſolum naturales, divinæ, & humanæ, ſed etiam Vocabula, quibus res illæ ennunciantur, ſibi vindicant. Quid enim ſunt Vocabula, niſi ſigna rebus accommodata, quibus res ipſæ earumque naturæ vel convenienti ratione, vel imitatione quadam exprimuntur? Quod adeo verum, ut CLEMENS ALEXANDRINUS non dubitarit adſerere: *Duas eſſe Veritatis ideas, nomina & res: & nominibus ignoratis ipſas quoque res neceſſario ignorari.* (a)

III. Cum ergo totius Philoſophiæ haud infima pars ſit vocabulorum cognitio, hinc ETYMOLOGIÆ ſtudium a multis jam Philoſophis ſuſceptum eſt, tanquam negotium Sapiente dignum. PLATO in nominum quorundam origines & rationes diligenter inquirit in Cratylo. ARISTOTELES librum de NOMINIBUS BARBARICIS compoſuit, ſed proh dolor a tempore devoratum. Præſtaret alia periiſſe, quam hunc libellum deſiderari. Quid ZENO, & poſt illum CLEANTHES, & deinde CHRYSIPPUS ſuſceperint, ex

(a) Clem. Alex. Strom. Lib. VI.
(b) Cicero de Nat. Deor. Lib. III. cap. 24.

Cicerone

Cicerone (b) cognoſci poteſt. STOICI enim hanc Philoſophiæ partem cæteris Philoſophis diligentius excolebant, nullum eſſe verbum rati, cujus non aliqua ratio reddi poſſit, etiamſi in aliis conſpicua ſit, in aliis vero lateat.

IV. Quæſitum eſt inter Philoſophos (qui ſcil. ſtudium rerum cum ſtudio vocabulorum conjunxerunt) utrum nomina rerum ſint NATURALIA, an ARBITRARIA tantum (c)? Utraque ſententia magno ſe judice tuetur, illa Platonis, hæc Ariſtotelis. PLATO videtur contendere, ſermonem eſſe a natura, non ab arte, nec inſtituto, & naturam præformaſſe quosdam oris ſonos motusque labiorum, certis rebus ſic accommodatos, ut ad alia videantur inepti & inutiles: Contra ARISTOTELES nomina ad placitum ſignificare, nullo cum rebus naturali nexu intercedente. Si quid ego judicare poſſum, male utrinque opponuntur, quæ fuerant componenda. Nam ut alias Linguas nunc omittam, manifeſtum eſt conſideranti, non omnes ſermonis noſtri partes unius ejusdemque conditionis eſſe, ſed alias nomenclaturas vindicare ſibi naturam, alias rationem, alias conſenſum & inſtitutum. Quintilianus videri poſſet rem acu tetigiſſe, dicendo (d), *ſermonem conſtare ratione, vetuſtate, auctoritate, & conſuetudine*: niſi naturam excluſiſſet.

(c) Gellius Lib. X. cap. 4.
(d) Quintil. Lib. I. cap. 6.

 V. Operæ

V. Operæ pretium eſt oſtendere, quanta ſit vis NATURÆ in fingendis vocabulis. Primo, quædam voces ita ſunt comparatæ, UT NON SOLUM IDEARUM NOSTRARUM, SED ETIAM RERUM IPSARUM SINT IMAGINES, & proinde ab ipſa natura videantur ori hominum ſponte ingeſtæ. Sic quando volumus ſignificare id quod ſupra nos eſt, tunc aerem hauſtum in altum protrudimus, manifeſta vocis cum ipſa re convenientia. Nam altus Gothis dicitur *haub*, Anglosax. *heah*, Alam. & Francis *hoh*, Cambris *uch*, Anglis *high*, Belg. *hoog*, nobis *hoch*. Ad hanc claſſem ſpectant, *heben* levare in altum, *haubt* caput, pars hominis excelſa, & ad ſublimia inſpicienda facta, *hübel*, *hügel* collis, *hauffe* cumulus, *hæffe* fæx, &c. In aliis vocibus aliæ exprimuntur naturæ qualitates. Sic clarum & perſpicuum vocamus *har* (e), obſcurum *dunkel*, manifeſta ſigni cum re ſignata ſimilitudine, quoniam claritas & obſcuritas in ipſis vocibus jam continentur. Et ſic in aliis nominibus alia inſunt ſecreta, nec inventu difficilia, nec ſcitu injucunda.

VI. Secundo loco obſervari meretur, QUOD PRIMI CONATUS PUERORUM UTENDI VOCE SINT LITERÆ LABIALES. Patet hoc, non ſolum ex pueris Pſammetichi (f), qui, etiamſi nullius hominis aut animantis ſonum ante audiviſſent, ſponte

(e) V. Proleg. in Subfixo *Bar* ſecundæ ſignificationis.

ſponte ediderunt vocem BEK, ſed etiam ex quotidiana experientia. Hinc credere fas eſt, AP, PAP, EM, MEM, quæ ſunt infantilis linguæ prima rudimenta, & naturalia lallantium puerorum blandimenta, eſſe voces ſecreto naturæ inſtinctu prolatas, vel potius ab ipſa natura in puerorum labiis formatas, & poſtea a parentibus, ut par erat, in omnibus fere Linguis, etiam antiquiſſimis, adoptatas. Hinc parens Hebræis dicitur *ab*, Chaldæis & Syris *abba*, Perſis *pâder*, Græcis ἄππα, πάππα, πατήρ, Latinis *pater* quaſi *papater*. Nam *ter* Thomaſino judice mera terminatio eſt. Cum his manifeſto conveniunt, quod Gallis & Italis pater dicitur *papa*, Hottentottis *bo*, & Americanis in Inſulis Antillis *baba*, teſte Kolbio & Vocabulario Caribaico. Majores noſtri literam labialem naturæ loquentis transformarunt in F. dicendo *fæder* vel *fater*, pro varietate Dialectorum, levi quidem vitio, ſed originem vocis obfuſcante, quæ certe non a *fodan* (gignere, nutrire) ſed ex lingua puerili ortum ſuum trahit. In eadem lingua præparavit ſibi alma Natura & omnibus genitricibus dulciſſimum nomen Matris. Hinc mater Hebr. dicitur *em*, Gr. μάμμη, Lat. *mamma*, Cambris *mam*, Hiſpanis *ama*, Gallis & Italis *mamma*, Svevis *memme*. Ægyptii dicunt eodem ſenſu *muth* teſte Plutarcho in Iſide, Perſæ *mâder*, Græci μητήρ, Latini *mater*, Angloſax. *meder*, *modor*, Franci & Alam. *muater*, *muoter*, nos

(f) Apud Herodotum Lib. II. cap. 2.

Digitized by Google

nos *muter*, voce naturali novo augmento decorata, vel potius vitiata, quod certe non eſt a natura, ſed ab inſtituto loquentium.

VII. Denique ad naturam ſpectat, quod in omnibus Linguis quædam ſint vocabula, & forte innumera, per Onomatopœiam facta, præcipue vero in noſtra. Hujus aſſerti ſpecimen ſat amplum dedi ex Regno animali in ipſo Gloſſario(g). Nam per totam vagari Linguam, & omnes ejusdem cenſus voces colligere, immenſi laboris opus eſſet. Quid autem eſt Onomatopœia, niſi VOX REPERCUSSA NATURÆ? Et nomina inde orta, nonne rectius ad imitationem, quam ad inſtitutionem referuntur? Hoc videtur Fabula de Nymphis & Faunis indicari, quos vetuſtas finxit montes ſylvasque incolere, & acceptas reddere voces.

VIII. Quemadmodum autem Natura in Linguis condendis primas habet partes, ut alieniſſimi ſint a veritate, qui eam ab hoc negotio plane excludunt: Ita RATIO habet ſecundas. Teſtes ſunt apud nos nomina compoſita & derivata, quæ ſi quis caſu, & cœco vulgi impetu, nulla naturæ rerum habita ratione, facta eſſe contendat, certe audaciſſimus eſt, & ſimilis iis ſtultis, qui mundi ſeriem & compagem ex fortuito atomorum concurſu conflatam eſſe imaginantur. Tanta enim eſt ſapientia vel in minimis, quas con-

(g) V. Gloſſ. in voce *Guguk*, nec non in voce *Donner*.
(h) Diodor. Sicul. Lib. I. pag. 10.

Digitized by Google

conteminimus, particulis, tanta aptitudo in derivationibus & compoſitionibus, tanta denique concinnitas in Scala ſignificationum, ut facilius ſit Iliadem Homeri ex temere conjectis literis, quam hæc ſine ulla ratione fuiſſe prognata. Quid obſtat, quo minus dicamus, fuiſſe in Gente noſtra omnibus temporibus, etiam antiquiſſimis, viros quosdam cæteris Sapientiores, quibus non ſolum cura rerum & hominum, ſed etiam verborum fuerit? Qualis inter Ægyptios erat quidam HERMES, de quo memoriæ proditum (h) eſt, *quod multis rebus nomine deſtitutis nomen indiderit.* Et Hercules quidam OGMIUS inter Gallos, qui ſermonem Gallicum expolivit & verborum ubertate ditavit (hh). Linguæ enim, & reliqua ad vitam neceſſaria, non ſubito, ſed paulatim inventa ſunt. Et cum homo ſit animal natura ingenioſum, hinc veroſimile eſt, illum non ſolum articulate, ſed etiam concinne & ſolerter loqui voluiſſe.

IX. Poſtremo etiam USUS, omnium rerum magiſter, inter fontes Linguarum referendus eſt. Utile enim erat, homines ſe mutuo intelligere, victuros alias ferarum more miſere & ſordide. Hinc ut vitam agere poſſent beatiorem & cultiorem, vocabulis opus erat tanquam ſignis, quibus animi ſenſa ſibi invicem communicarent. Eatenus bene Lucretius:

 Utilitas

(hh) Ita Herculis Celtici imaginem interpretatur Bochartus in Orig. Gall. apud Boxhorn. pag. 13.

Utilitas expreſſit nomina rerum.

Nonſolum autem hoc præſtitit utilitas mortalibus, ſed etiam plures in unum nomen conſentire fecit. Ex hoc conſenſu nata eſt conſuetudo, ex conſuetudine antiquitas, ex antiquitate auctoritas. Et his principiis, ni fallor, totum Linguarum negotium abſolvitur.

X. Dixi quantum ſatis eſt, de ORIGINE Linguæ noſtræ NATURALI: nunc ut de CIVILI aliquid proferam, ſeries orationis poſtulat. PROXIMA origo haud dubie eſt a FRANCIS & ALAMANNIS: ſed unde REMOTA ſit, nondum ſatis liquet. Sunt, qui Linguam noſtram ex Campis Sinear immediate progreſſam, & poſt diſperſionem humani generis ſtatim in his terris auditam arbitrantur, quos ego non refutandos, ſed explodendos exiſtimo. Nam natura non facit ſaltum, neque in locorum intervallis, neque in tempore, neque in ulla alia re: ſed ex proximo tendit ad propinqua, a propinquis ad remotiora, & a remotioribus non niſi longo temporis tractu ad remotiſſima progreditur. Itaque ex una & primitiva Lingua (quod ſacræ Literæ & Gentium conſenſus teſtantur) ſuſcitatæ ſunt primo variæ DIALECTI, & totidem pene variationes, quot hominum familiæ, aut familiarum cognationes(i), quibus

(i) Vide Edward. Simſonium in Chronico Catholico pag. 10.

(ii) Linguas a Dialectis ſic diſtinguo, ut differentia

quibus deinde ſeparatis, Dialecti paulatim abierunt in LINGUAS (ii). Ex his Linguis poſtea formatæ ſunt novæ Linguæ & Linguarum Dialecti, & Dialectorum Linguæ, non ſubito & repente, ſed gradatim & pedetentim, temporum, locorum, migrationum, & coloniarum adjumento. Hunc enim Natura continuo ſervavit ordinem & quaſi Legem in novis Sermonibus producendis, ut recentiores fierent ex antiquioribus, Occidentales ex Orientalibus. Et vi hujus Legis impoſſibile erat, ullam in toto terrarum Orbe exiſtere linguam, quæ non in aliqua priore fuerit radicata. Hunc ducem & hanc legem ſi ſequamur, reperiemus, nos genus & linguam ducere ab antiquiſſimis Aſiæ & Europæ Colonis & Dialectis, SCYTHIS inquam, PHRYGIBUS, & CELTIS. Quos omnes una propemodum Lingua antiquitus uſos eſſe, & Germanicæ perſimili, pluribus nunc vocabulis oſtendam, eoque libentius, quod vera antiquitatis noſtræ gloria hic ſita videatur.

XI. Unde SCYTHICUM nomen ſit deſumptum, non una eſt Eruditorum ſententia. Sunt, qui Scythas cum *Kithis* ad mare Caſpium & *Getis* in Sarmatia confundunt (k), hoc inducti argumento, quod Æoles pro Kithis dixerint Σκύθας, & pro Cimbris Σκίμβρυς teſte Stephano. Sed

Ling. ſit a conſonantibus, Dialectorum a vocalibus.

(k) Hanc ſententiam tuetur G. Hornius in Præfatione Originib. Gallicis Boxhornii præmiſſa.

Digitized by Google

Sed vereor, ne Kithi illi & Getæ Scythis ſint inferiores, & ab illis progeniti. Tanta enim eſt Scythici nominis canities, ut Scythas inter & Ægyptios diu contentio fuerit de generis vetuſtate, & Scythæ ſuperatis Ægyptiis ſemper viſi ſint antiquiores, teſte Juſtino (l). Communior & verior opinio eſt, Scythas ſic appellatos eſſe quaſi Sagittarios, quod primi ferro alas addidiſſent. Nam *skiotan* pro jaculari in Linguis Occidentis & Septemtrionis antiquiſſimum eſt (m), & perfecte reſpondet nomini & invento Scythico. Arcum vero & ſagittas e Scythia primum prodiiſſe, multa ſunt, quæ evincunt. Herodotus (n) Scythas jaculandi peritia omnes populos ſuperaſſe, & Medorum pueros artificium utendi arcus docuiſſe tradit. Plinius (o) primum Sagittarium *Scytham* appellat. Julius Pollux (p) Scythas interpretatur Sagittarios. Diodorus (q) Cretenſes arcui *Scythici* cognomentum tribuiſſe teſtatur.

XII. SCYTHÆ viricidam vocant ÆORPATA (Gr. *αἰορπατὰ*, ab *æor* vir, & *pata* cædere, teſte & interprete Herodoto (r). Utramque compoſiti partem reperire licet partim apud Ar-

(l) Juſtinus Lib. II. cap. 1.

(m) Gloſſ. Pez. jactando *ſciozanto*. Verelius in Ind. *skiota* jaculari, *skot* telum, jaculum, ſagitta. Idem Procopienſibus *ſchieten*, Gallis *jetter*, Germ. hodie *ſchieſſen*.

(n) Herod. Lib. I. cap. 73.

Digitized by Google

Armenios, qui genus ducunt a Phrygibus, & linguam Phrygum in multis imitantur, teſte Stephano de Urbibus (s) partim apud populos Celticos in Britannia, Gallia, & Germania. Hinc vir (qui Scythis αἰὸϱ) Armeniis dicitur ἀΐϱ teſte Baxtero in Gloſſario Britannico, Cambris & Armoricis *ur*, Gothis *wair* per proſtheſin ut reliquis qui ſequuntur, Angloſaxonibus *wer*, Francis & Alam. *bar*, nobis *wer* & *bær*, in compoſitis *Werwolf*, *bærwolf* homo-lupus, *wergelt* pretium hominis occiſi. Cædere vero (quod Scythis eſt *patu*) Cambris dicitur *baeddu*, Angloſax. *beatan*, Gall. hod. *battre*, nobis *patſchen* frequentative, ubique manifeſto cum Scythica voce concentu.

XIII. SCYTHÆ unoculum vocant ARIMASPU, ab *arima* unus, & *ſpu* oculus, teſte & interprete Herodoto (t). Prior vox conſtat ex negativo *a.* & *rim* numerus, & vi compoſitionis neceſſario ſignificat unum, quia unitas eſt negatio numeri ſecundum omnes Philoſophos. *Rim* pro numero, etiamſi hodie obſoleſcat, olim tamen Angloſaxonibus & Francis erat familiare. *Spu* pro oculo ſuperat apud Armoricos teſte Pezronio

(o) Plinius Lib. VII. cap. 56.
(p) Jul. Pollux Onomaſt. Lib. VIII. cap. 10.
(q) Diodor. Lib. V. pag. 235.
(r) Herod. Lib. IV. cap. 110.
(s) Stephanus in voce *Armenia.*
(t) Herodot. Lib. IV. cap. 27.

Digitized by Google

zronio (u). Nos ab hoc primitivo habemus *ſpæhen*, ut dixi in Gloſſario (w).

XIV. SCYTHÆ mare glaciale appellabant *mare mortuum*, ſive quod pigrum eſſet & pene immotum, ut Tacitus (x) ſcribit, ſive quod ad manes potius ſpectare videretur quam ad viventes, utpote innavigabile & inhoſpitum. Teſtem nomenclaturæ habemus Orpheum in Argonauticis verſ. 1077.

- - *Cronius ipſe vocatur* (*TUUM.*
Pontus Hyperboreis a Gentibus, & MARE MOR-

Hyperborei autem dicuntur Scythæ maxime Septemtrionales, quod non poteſt ignotum eſſe iis, qui in Geographia Antiqua vel leviter verſati ſunt. Vox Scythica, etiamſi ab Orpheo non ſit literis conſignata, cognoſcitur tamen aliunde, nempe ex Dialecto Cimbrica. Cimbri enim habentur pro genere Scytharum Cimmerio ab omnibus Antiquis, & hinc illos Scythice locutos eſſe, ab æquis rerum æſtimatoribus facile impetrabo. Hoc præſuppoſito panditur nobis via ad Scythicam vocem inveſtigandam, quæ certe alia eſſe non poteſt, quam MORIMARUSA a Plinio prodita (y) his verbis: *Philemon tradit, Oceanum Septemtrionalem MORIMARUSAM a Cimbris vocari, hoc eſt, mortuum mare.* Convenit cum hac interpretatione, quod Cambris in huncusque diem mare dicitur *mor*, mori *marvv*,

(u) Pezron. in Antiq. Celt. pag. 374.
(w) V. Gloſſarium in voce *Reim* & *Spæhen.*

Digitized by Google

marvv,& mortuus *marvvſis*, teſte Boxhornio in Vocabulario Antiquo-Britannico. Convenit etiam, quod mare Gothis dicitur *marei*, Anglo-ſax. *mere*, nobis *meer*.

XV. SCYTHÆ Caucaſum vocant GRAUCASUM, hoc eſt, ut Plinius interpretatur, nive candidum. Ab hoc ſignificatu tanquam primitivo per gradus effluxit, quod nobis & Francis *grau* dicitur canus, & Armoricis *grai* vetus. Quamvis enim albus, canus, & vetus videantur differre, cognata tamen ſunt, & ſe mutuo producunt, ut in ipſo Gloſſario oſtendi (z).

XVI. Reliqua Scytharum vocabula, cujusmodi ſunt, *amaxampeus* via ſacra, & nomina Deorum, Regum, Philoſophorum, & fluviorum apud Herodotum, etiamſi a me explicari non poſſint, non ideo dubiam aut incertam reddunt Linguarum Occidentalium cum Scythica cognationem. Multa enim & innumera vocabula floruerunt olim in Gente Francorum & Alamannorum, quæ hodie non magis intelliguntur, quam Scythica remotiſſimi temporis. Et nihilominus Lingua noſtra hodierna a Francis & Alamannis ad nos pervenit tanquam hæreditas ad poſteros, quamvis magna ſui parte in itinere interfecta. Quod ſi paucæ ætates valuerunt tam ingentes edere vocabulorum ſtrages, quid non putabimus ter mille annis licuiſſe?

XVII.

(x) Tacit. de M. G. cap. XLV.

(y) Plin. Lib. IV. c. 13. (z) V. Gloſſ. in voce *Grau*.

Digitized by Google

XVII. Quantum Sermonis SCYTHICI nobis ſuperſit, non aliunde melius & tutius cognoſcitur, quam ex Lingua PERSICA, in qua magnus eſt vocabulorum Scythicorum proventus, quorum concentus cum noſtris tam admirabilis tamque clarus eſt, quamvis immenſis terrarum ſpatiis interceptus, ut ſemel audita ſtatim intelligi queant. Talia (a) ſunt:

BEND vinculum. Angloſaxonibus *bend* Marc. VII. 35. Nobis hodie *band*.

BER ſuper. Nobis *por* in quibusdam compoſitis, ut oſtendi in Prolegomenis.

BER term. Perſica, idem ſignificans quod nobis *bar* in compoſitis (b). Hinc Propheta Perſis dicitur *beigam-ber*, quaſi novi aliquid ferens.

BERBER tonſor, raſor barbæ. Nos vitioſe *balbier*

(a) Perſica, quæ hic ſequuntur, ſuggeſſit mihi Vir ab eximia Literarum Orientalium & Occidentalium peritia clariſſimus Johannes Chriſtianus CLODIUS, L. Arabicæ in hac Univerſitate Prof. Publ. cujus ope & eruditione in hoc negotio eo libentius uſus ſum, quod cæteri Collectores videbantur Perſica, Turcica, & Arabica ſæpe confundere, & interdum male ſcribere.

(b) Vid. Prolegom. in Subfixo *Bar* primæ ſignif.

(*) Ad Harmoniam Linguæ Perſicæ & Germanicæ ſpectat omnino, quod, obſervante Doctiſſ. Clodio, verba utrinque deſinunt in *en*, & compara-

Digitized by Google

balbier, Galli rectius *barbier*. *Barf* pro barba habent Armorici.

BESTEN claudere, firmare. Angloſax. *fæſtnian*, Franc. & Alam. *feſtinon*. Hodie *veſt machen*, *befeſtigen* (*).

BIHTER melior. Angloſax. & hodie Belgis *beter*. (*)

BIK tympanum. Nobis *pauke*.

BORDEN portare. Nobis & Antiquis *bæren*, & hinc *burde* quantum quis portare poteſt.

BRADER frater. Goth. & Angloſax. *brother*, nobis *bruder*.

CHODA Deus. Hinc *Chodabéndeh* ſervus Dei, titulus Regis Perſiæ (c). Angloſax. & Belgis *god*, nobis *godt* vel *gott*.

CHOK ſus. Anglis *hog*, & in agro Lipſienſi *bækſch*. (cc)

COR-

tivi in *er*. Quamvis enim Antiqui aliis plerumque vocalibus in terminando utantur, cuſtodiunt tamen conſonantes.

(c) *Choda*, ut a laudatiſſ. Dn. Prof. Clodio accepi, creditur Perſis apocopatum ex *Chod-ajendeh*, a ſe ipſo veniens. Quod ſi verum eſt, *Gott* & *Choda* ſono convenient, non ſignificatu. Noſtri enim Deum a bonitate vocant *Gott*, ab unitate *As*, a veritate *San*, ſicut alibi oſtendo. Vide interim Gloſſarium in voce *Aſia*.

(cc) Perſæ videntur hanc vocem accepiſſe ab Armeniis. Confer, quæ ad vocem Armeniam χ̃ς annotavi infra §. XXII.

Digitized by Google

CORBOS cucurbita. Francis & Alam. *curibiz*, nobis hodie *kürbis*.

DENDAN dens. Gothis *tunths*, Armor. *dant*, Belg. *tand*, nobis & Francis *zan*.

DER porta. Inde *derban* janitor. Belgis *deur*, nobis *thüre*.

DOCHTER filia. Conſentiunt omnes veterum & recentiorum Dialecti.

DRUG fraus, fallacia. Nobis *trug*, & compoſite *betrug*.

DU duo. Goth. & Angloſax. *tvva*, Cambris *dau*, nobis & Francis *zvvei*, *zvvo*.

ENDER inter. Nobis & Antiquis *under* vel *unter*.

EST eſt. Nunc & olim *iſt*.

ESTADEN ſtare. Omnes Antiqui habent *ſtandan*, & inde *ſtad* pro loco, re utique ſtabili.

EZ ex. Alamannis *uz* in compoſitis, cujusmodi ſunt, *uzkangan* egredi, *uzſentan* emittere, *uzkelidan* excedere.

GHELI collum, gula. Conveniunt *hals* & *kele*.

GHIRIFTEN rapere. Angloſax. & hodie Belgis *gripen*, nobis *greiffen*.

GHIRISTEN flere. Goth. *greitan* flere, *grets* fletus. Cambris *cri* clamor. Suevis *grætig* clamoſus, diciturque in primis de infante in cunis vagiente, qualis Islandis vocatur *grætingr*.

GHAV

Digitized by Google

GHAV vacca. Nobis *kuh.* (d)

IUK jugum. Gothis *juk*, *gajuk*, Angloſ. Belg. Angl. *joc*, Franc. & Alam. *jobb*, nobis *joch.*

KHAH palea. Inde Succinum vulgo vocatur *Carabe*, quaſi *khah rubah* paleam rapiens vel attrahens. Palea Angloſax. *ceaf* Matth. III, 12. nobis *kaf.*

KHAL calvus. Nobis *kahl.*

KISTI ciſta, navis. Nobis *kiſte.*

LIB labium. Nobis *lippen.*

MADEH puella. Angloſax. *mæden*, Angl. *maid*, *maiden* virgo.

MADER mater. Nobis *muter.*

MAH luna. Gothis *mena*, Belg. *maen.*

MALIDEN molere, terere molendino. Nobis & Gothis *malen.*

MEN meus. Olim *min* in plerisque Dialectis, hodie *mein*, quod Gothicum.

MORK mors, *morden* mori, *mordaniden* occidere, mori facere. Quod Perſis eſt mori, id nobis eſt occidere. Neuter ſignificatus a fonte recedit. Nam qui moritur, mortem obit, & qui occidit, mortem infert. Ejusmodi variationes in Scythicis Dialectis reperiuntur plures, ubi eadem vox diverſis ſenſibus, cognatis tamen, adhibetur. Sic Gothis *gadauthnan* eſt mori, Joh. XII, 33. a *dauths* mors, nobis *tödten* occidere, a *tod*

 mors.

(d) Vid. Gloſſarium in voce.

mors. Ex adverſo Angloſaxonibus *ſteorfan* eſt occidere, nobis *ſterben* mori.

MUSCH mus. Hodie *maus*.

NAF umbilicus. Olim, ut videtur, *nabe*, poſtea diminutive *nabel*.

NAM nomen. Conſentiunt omnes Dialecti.

NAMWAR celebris. Idem nobis *nambar*. Ratio compoſitionis utrinque eadem. Nam *vvar* (quod & *bar* & *ber* effertur) ſignificat ferentem, derivaturque a *borden* portare, plane ut nobis *bar* a *bæren*, & Latinis *fer* a *ferre* in quibusdam compoſitis, cujusmodi eſt *fructifer*, *lucifer*, & alia.

NEH non. Olim *neb*, *ne*, & *ni* in omnibus Dialectis, hodie *nein*.

NEU novus. Conſentiunt omnes Dialecti.

NU novem. Gothis, Franc. & Alam. *niun*, Armor. *naou*, nobis *neune*.

PA vel *pai* pes. Armoricis *pedd* pes, *bet* ivit. Gothis, Angloſax. & hodie Anglis *fot* pes, Francis & Alam. *fuaz*, inde nobis *fuſs*.

PATER pater. Nobis *Vater*.

PENSCH quinque. Cambris *pump*, Armor. *pemp*. Francis & Alam. *funf* & *finf*, inde nobis *funf*.

POSTER culcitra. Nobis *polſter*.

RUBADEN rapere. Gothis *rauban* ſpoliare, *biraubodedun* ſpoliaverunt. Utrumque uſus hodiernus agnoſcit.

SAZDEN ponere. Francis & Alam. *ſezzan*

ponere,

Digitized by Google

ponere, *ſazta* poſui. Inde nobis *ſezen* & *ſazte* eodem ſenſu.

SCHESCH ſex. Gothis *ſaihs*, Belgis *ſes*, nobis *ſechs*.

STAREH ſtella. Conſenſum ſiſtet Gloſſarium in voce *ſtern*.

TONDER tonitru. Nobis quidem *donner*, ſed Belgis *tonder*, & Anglis *tunder*.

TU tu & tuus. Nobis *du* & *dein* conſentientibus Antiquis.

XVIII. Hanc utriusque Linguæ Harmoniam, quæ omnibus temporibus doctiſſimos Viros in ſtuporem rapuit, ſi quis caſu factam contendat, næ ille parum harmonice factus eſt. Non equidem hoc volo, ut Germaniam a Perſide, vel hanc ab illa voces ſuas accepiſſe exiſtimetis, ſed ut ſimilia ad ſimiles & communes ortus mecum redigatis, Matricem inquam SCYTHICAM, nobilem ſane, & utrique Genti convenientem. Scythas enim nonſolum in Europa (quod ſupra demonſtravi) ſed etiam in Aſia genus & Linguam ſuam proſeminaſſe, multa nobis perſuadent, & inprimis hoc, quod antiquiſſimis temporibus in Ægyptum usque penetrarunt, & inde reverſi Aſiam vectigalem ſibi fecere per *mille quingentos annos*, donec pendendi tributum finis a Nino Aſſyriorum R. factus eſt, teſte Trogo Pompejo (e), Scriptore rerum Scythicarum diligentiſſimo. Quid mirum, Victores domitis

 genti-

(e) Juſtinus Lib. II. cap. 3.

gentibus ſuam impoſuiſſe linguam, aut partem linguæ? Aut vocabula ſua immiſcuiſſe tam longo temporis intervallo? Nonne idem fecerunt Romani in Occidente? Et nonne Hiſpania, Romanis, Gothis, & Mauris quondam occupata, ſermone ſuo tot Gentium linguis quaſi lue infecto, priſtinam ſubjectionem hodieque teſtatur? Nec deſunt præclari Auctores (f), qui imperio non contenti, genus Perſicum a Scythis deducunt, vel progenitoribus Parthis, vel Dais, vel Carmanis, vel aliis Scytharum in Aſia Colonis. Multa equidem ſunt in noſtris & Perſarum moribus antiquis, quæ utriusque Gentis communem originem haud leviter urgent, Commentatoribus Taciti pridem obſervata.

XIX. Itaque ad PHRYGES me converto, quos hominum antiquiſſimos & ipſis Ægyptiis priores eſſe (ff) vetus fama eſt. Horum vetuſtiſſimi Coloni ſunt Thraces. Thraces enim circa originem Phrygiam ultro glorioſos eſſe, ſeque a Titanibus ortos profiteri, teſtis luculentus eſt Orpheus Hymno in Titanes, qui originem Gentis ſuæ non potuit ignorare. Unde haud dubie fabuloſum eſt, quod ex ore Macedonum refert Herodotus, & ex Herodoto deſcripſit Strabo, Phryges Thracum colonos eſſe, & cum prius habitaſſent in Europa, poſtea migraſſe in Aſiam. In hoc tamen conveniunt iſti mendaces,

(f) Salmaſius, Pezronius, & alii.
(ff) Herodot. Lib. II. cap. 2.

Digitized by Google

ces, Phryges appellatos eſſe *Briges* dialecto Thracica, quæ, ut apparet, eadem erat cum Phrygia. BRIGAM autem ſignificare τὸν ἐλεύθερον, hoc eſt, *hominem liberum*, ex Juba Hiſtorico notavit Heſychius in voce Βρίγες. Et hunc vocis ſignificatum in Germania noſtra a primis inde temporibus obtinuiſſe, teſtes ſunt veteres Dialecti. Nam liber, ingenuus Gothis appellatur *frije*, Angloſaxonibus *freo*, *frig*, Keroni *friger*, nobis *frey*. Hoc nomen apprime conveniebat antiquis illis Phrygibus, ab Aſcanio Japheti ex Gomaro Nepote ortis, cum quod a prima origine fuerint ſui juris, nec unquam alterius populi imperio ſubjecti, tum quod artibus liberalibus & ingenuis unice intenti, homines a belluina ad cultiorem vitam revocarent, & oſtenſo mitiore cibo agriculturam & reliqua vitæ præſidia primi docuiſſent, de quibus alibi (g) amplior erit dicendi campus. Horum Linguam Scythicæ ſimillimam fuiſſe, jam ſupra ex appellatione VIRI perſpeximus. Plura hujus conſenſus & inſignia documenta ſubminiſtrabunt nobis Linguæ occidentales (quas Scythicas eſſe ex antecedentibus præſuppono) in omnibus Dialectis.

XX. PHRYGES hircum nuncupant ATTA-

(g) Nempe in Diſſert. de Origine Gentis & Linguæ Germanicæ. Vide interim Gloſſar. in vocibus *Baken*, & *Wagen* ſecundæ ſignif.

ATTAGOZ, quaſi patrem caprarum (h) teſte Arnobio. Quæ vox compoſita videtur ab *atta* pater, & *goz* capra. Utramque compoſiti partem exhibet Gloſſarium, illam in voce *Ætte*, hanc in voce *Geis*.

XXI. PHRYGES aquam diſcriminatis vocibus appellaſſe BEDY, & HYDOR, teſtes ſunt Didymus Grammaticus & Plato in Cratylo. Utramque vocem produxi in Gloſſario (i): prioris quidem poſteritatem oſtendens hodieque ſuperſtitem: alterius vero mutationes, quibus aucta vel imminuta eſt in Occidente. Solent enim voces mutari non ab exteris tantum, ſed etiam a Coloniis. Hinc Armenii, quamvis a Phrygibus oriundi, vocem progenitorum ὕδωρ non diu tenuerunt incorruptam: ſed transformarunt in δζὲρ, quod illis eſt aqua, plane ut priſcis Gallis & Britannis *dur*. Nam Armeniorum Lingua innumera repræſentat Britanniæ veteris vocabula, celeberrimo Antiquitatum Britannicarum interpreti WILIELMO BAXTERO obſervata: manifeſto indicio, utriusque Gentis communem originem eſſe a Phrygibus. Hinc idem doctiſſimus Auctor in Gloſſario ſuo ſubinde recurrit ad Phryges tanquam generis Britannici parentes, & hos totam pervagatos Europam usque ad Herculis columnas, univer-

ſam

(h) Arnob. adv. Gentes Lib. V. *Hircos Phryges ſuis ATTAGOS elocutionibus nuncupant.*

(i) V. Gloſſar. in vocibus *Bad* & *Waſſer*.

Digitized by Google

ſam Galliam, Hiſpaniam, Britanniam, atque Germaniam tenuiſſe, paſſim (k) inculcat. Idem non veretur adſerere in Præfatione, Linguas, quas vulgus Orientales vocat, absque Armenicæ & Britannicæ ope in pluribus non poſſe explicari. Utinam Clariſſ. Dn. LA-CROZE, qui juxta Armoricam, quæ illi vernacula eſt, præcipuas totius Orbis Linguas, & inprimis Armenicam diuturno ſtudio excoluit, poſſet abs me perſuaderi, ut ſuam nobis de hoc argumento animi ſententiam ſcripto aliquo depromeret.

XXII. Ad PHRYGIAM elocutionem haud dubie etiam ſpectat, quod Armenii, Phrygum coloni, porcum vocant χοῦζ: & ad conſenſum Occidentis cum Phrygibus, quod idem animal Cambris dicitur *hvvch*, Armoricis *houch*, Anglis *hog*, Francis *ſou*, nobis *ſau*, ſpiritu in ſibilum converſo ut ſæpe alias. Lacones ex eodem fonte habent σίκα, Græci ὗς, Latini *ſus* & *ſucula*.

XXIII. Cæteras ſermonis PHRYGII apud nos reliquias, cujusmodi ſunt Βέκκος, Πέργαμος, Πῦρ, Σύκχοι, & alias, in ipſo Gloſſario (l) fuſe proſecutus ſum, ut neceſſe non ſit, eas hic denuo in ſcenam producere.

XXIV. Nunc ordo tangit CELTAS, utpote Scythis & Phrygibus ætate inferiores, nec ante Bellum Trojanum auditos. Nam primis tem-

(k) Baxter in Gloſſ. Antiq. Britan. voce ALVION. BRIGANTES. IBERNIA. & fere ubique.

(l) V. Gloſſ. in vocibus *Baken. Berg. Feur. Socken.*

temporibus floruit nomen Scythicum, deinde innotuit Phrygium, Phrygio ſucceſſit Celticum. Hodie totus mundus crepat CELTAS, & Libri recentiorum tantum non ſunt Celtis a capite ad calcem referti: ſed quinam illi fuerint, aut qua de cauſa ſic dicti, etiamſi omnes ſibi in cognitum imputent, ſinguli tamen videntur ignorare. Phryges olim vaſtiſſimum imperium tenuiſſe, & coloniis ſuis nonſolum partem Aſiæ, ſed etiam Græciam, Thraciam, & totum pene Occidentem occupaſſe, illuſtris Abbas PEZRONIUS in Antiquitatibus Celticis tanta argumentorum copia & perſpicuitate demonſtravit, ut difficile ſit illud negare: hoc uno erroneus, quod SACIS, quos Gallorum ſuorum progenitores exiſtimat, hoc imperium tribuit. Poſtquam enim Sacas ſuos ex Provinciis Aſiæ Margiana, Bactriana, & Hyrcania, in Armeniam, & ex Armenia in Cappadociam perduxiſſet, ubi ſubito diſparent ex Hiſtoria: huic defectui ſupplendo Sacas fingit ulterius progreſſos, & occupata Phrygia aſſumptoque TITANUM nomine novam ibi MONARCHIAM condidiſſe. Verum Sacas non ad Phryges usque penetraſſe,

(m) Strabo Geograph. Lib. XI. pag. 511. 512.

(n) Nempe in Diſſert. de Origine Gentis & Linguæ Germanicæ.

(o) Duce Scamandrio, Hectoris & Andromachæ filio.

(p) Res antiquis Scriptoribus teſtatiſſima. Qui fidem

Digitized by Google

netraſſe, ſed a Perſarum præfectis funditus deletos eſſe in Cappadocia, vir Doctiſſimus ex Strabone ſuo (m) intelligere poterat. Igitur Sacas poſt illud excidium tanquam Deos ex machina nobis oſtendere, aut Orbi tanquam rerum Dominos imponere, infirmum eſt, ne dicam falſum. Primus totius Occidentis imperio præfuit URANUS, teſte Diodoro, Ennio, aliisque permultis. Hunc Phrygem, non alienigenam fuiſſe, & parentem TITANUM, & hoc nomine nullum unquam populum, ſed auguſtam & regnatricem familiam apud Phryges antiquitus nuncupatam eſſe, alibi (n) oſtendam. Neque enim tam vaſtum argumentum breviculæ Præfationis ambitu contineri, aut digne abſolvi poteſt.

XXV. Huic Monarchiæ interitum accelerarunt Græci, Phrygicæ dominationis poſt aliquot ſæcula pertæſi, & Coloniis Africanis ex Ægypto & Phœnicia in immenſum aucti. Everſo itaque ILIO, tanquam ſede Regni, & creſcente indies Græcorum potentia, multi metu Victoris receſſerunt in interiora Scythiæ (o): alii duce ÆNEA per mare aufugerunt in Italiam (p): alii duce ANTENORE in Venetiam (q):

 alii

Veterum nimia dubitandi licentia hic labefactant, indigni ſunt qui legantur.

(q) Henetos indigito, de quibus conſuli poteſt Strabo in Geogr. Lib. I. pag. 48. Lib. XII. pag. 543. 544. Lib. XIII. pag. 608. item Livius, Virgilius, Juſtinus, & alii.

alii duce TUTISCONE pedeſtri itinere in Germaniam (r): alii ductore DITE in Galliam cultoribus tunc vacuam, teſte Marcellino (s) aut potius Timagene, unde ſua deſcripſit Marcellinus. Enim vero a Bello & excidio Trojano magnam BARBARIS confuſionem incidiſſe, ita ut plurimæ tum migrationes factæ ſint, & variæ Europæ partes a profugis confertim occupatæ, Strabo (t) ubique memorat.

XXVI. Ab his migrationibus ortum eſt nomen CELTARUM auctoribus Græcis, qui pro-

(r) Migrationis hujus teſtis eſt vetuſtiſſima fama, & traditio in Gente noſtra jugiter recepta, quæ primos parentes noſtros a Trojanis oriundos eſſe perhibet. Franci circa affectationem originis Trojanæ ultro glorioſi ſunt, & Scriptores medii Ævi in eo tantum videntur errare, quod ſolos Francos inde deducant, unde omnes Germani fuerant deducendi. Tacitus majores noſtros non aliunde veniſſe, ſed ex terra ſua vermium inſtar natos eſſe exiſtimavit, quod plane inſubidum eſt, & tanto Hiſtorico indignum. Provocat ad Carmina noſtra, quæ nobis ſunt inſtar Annalium, quæque *Tutiſconem quendam celebrant Deum terra editum, & originem Gentis atque conditorem.* Verum nihil certius eſt, quam Tacitum carmina noſtra male interpretari. Nam Germani poterant Tutiſconem celebrare *Deum*, non quod terra editus ſit inſtar Dei ſponte nati (Dii enim non naſcuntur ex terra, & origo Deorum apud omnes Gentes ex hominibus eſt) ſed quod ex homine factus ſit Deus, familiari Genti-

profugos illos univerſe appellabant CELTAS, vocabulo ex idiomate non ſuo, ſed migrantium Lingua petito. Nam *cil* in hodiernum usque diem Cambris ſignificat ſeceſſum, receſſum, fugam, & *Ciliad* ſive *Cylidd* (quod eſt omnino nomen Celtarum) profugum, item fugatorem, teſte Boxhornio in Vocabulario Antiquo-Britannico. Uterque ſenſus conveniebat illis populis, qui, dum Græcos fugiebant, ſæpe alios viciſſim fugabant, ut fieri ſolet in migrationibus.

XXVII. Hinc paulatim invaluit diſcrimen inter

bus inſtituto, quæ Conditores ſuos in cenſum Deorum referebant, ſive grati animi cauſa, ſive ut viderentur a Diis orti. Eundem poterant vocare *originem Gentis* atque *Conditorem*, non quod genus Germanicum ab illo ſit, ſed quod populum aliunde eductum in nova ſede collocaſſet. Anſam errandi videtur præbuiſſe nomen TUTISCONIS, quod Tacitus noverat ſignificare *terra editum*, unde *Deum terra editum* & reliqua confingere cœpit.

(s) Marcellin. Lib. XV. cap. 9. *Ajunt quidam, paucos poſt excidium Trojæ, fugitantes Græcos, ubique diſperſos, loca hæc occupaſſe tunc vacua.* Loquitur de Gallis & Gallia. Nomen Ducis exhibet Cæſar his verbis Lib. VI. de Bello Gall. cap. 17. *Galli ſe omnes a DITE patre prognatos prædicant.* Solent enim Coloniarum Ductores haberi pro patribus, & populi ab illis conducti aut ſede aliqua collocati, pro poſteris eorum.

(t) Strabo Geograph. Lib. I. pag. 48. Lib. XII. pag 572. Lib. XIV. pag. 678.

Digitized by Google

inter SCYTHAS, CELTAS, & CELTO-SCYTHAS, quod antea nullum erat, ita ut SCYTHÆ a Græcis dicerentur omnes Gentes Septemtrionales, CELTÆ omnes Occidentales, reliqui a medio ſitu CELTO-SCYTHÆ. Quod inprimis videtur convenire Germanis, quorum ſitus inter Septemtrionem & Occidentem quaſi medius & anceps eſt, & vocabulo compoſito indigebat. Strabo, qui hujus diſtinctionis diſerte meminit, ſe illam explicationem ex priſcorum ſententia Græcorum afferre profitetur (u).

XXVIII. Galli igitur veteres & Britanni ſunt veriſſimi nominis CELTÆ, & Cambri atque Armorici, qui ab illis deſcendunt, certiſſimi Celticæ Linguæ hæredes: Ingevones vero, & Iſtævones, & Herminvones veteris Germaniæ, ſunt ipſi CELTO-SCYTHÆ, & indubii Gothorum, Angloſaxonum, Francorum, Alamannorum, & reliquorum, unde genus & idioma Germanicum hodie exiſtit, progenitores. Quæcunque ergo in hiſce Dialectis ſono & ſignificatu conveniunt, ad communem Linguam & Matricem referri debent. Qualia cum permulta ſint & pene innumera, hinc efficitur, Linguam primævam Celtarum & Celto-Scytharum eo tempore, quo a Græcis pulſi ſunt, eandem fuiſſe & pene indiſcretam, etiamſi tractu temporis multas & incredibiles mutationes obierit. Et

hæc

(u) Strabo Geograph. Lib. I. pag. 33.

hæc eſt illa Lingua, quam ſubinde in Gloſſario CELTICAM appello, quæque eodem jure SCYTHICA & PHRYGIA appellari poterat, ob manifeſtam cum utroque ſermone convenientiam.

XXIX. Quanta ſit, olimve fuerit CELTICI & Scythici eloquii ſimilitudo, vel una vox MORIMARUSA, a Plinio cuſtodita, VOS docere poteſt, quæ Hyperboreis Gentibus in remotiſſima mundi ætate, & noſtris quoque Cimbris in Germania, *mare mortuum* denotavit, poſtea nobis periit, hodie vero ex Lingua Cambrica tam feliciter recluditur & quaſi inſtauratur. Omitto nunc appellationem VIRI, aliasque quas jam ſupra produxi pene indiſcretæ ſimilitudinis voces, quarum numerum ex nomine & lingua SACARUM, quos Scythici generis fuiſſe extra dubium eſt (w), augere poſſem, niſi hæc ab eruditiſſimo Pezronio jam eſſent occupata (x).

XXX. Unum videtur reſtare ut oſtendam, CELTAS Phrygice locutos eſſe, aut Phryges Celtice. Utrumque enim dici poteſt, ſi cavillatio abſit. Verum & hoc officio partim in præcedentibus, partim in ipſo Gloſſario jam defunctus ſum, productis appellationibus VIRI, & PATRIS, & CAPRÆ, & PORCI, & CA-

(w) Appianus Lib. 3. *Sacæ ex Scythis oriundi, iis qui Aſiam incolunt.* (x) Vid. tamen, ſi juvat, Gloſſarium in vccibus *Sch.ch* & *S.bachſpiel.*

CANIS, & AQUÆ, & IGNIS, & PANIS, & MONTIS, & SOCCORUM, quarum aliæ Gallis, Britannis & Germanis communes ſunt, aliæ ſolis Germanis propriæ & cuſtoditæ, dum Gallis & Britannis perierunt, ut neceſſe non ſit, in tanta vocabulorum copia plura conſenſus ſpecimina anxie conquirere. Dabo tamen operam, ut hæc omnia in *Diſſertatione* ſæpe promiſſa, clariora reddantur & auctiora.

XXXI. Ab his igitur originibus, Scythicis inquam, Phrygicis, & Celticis, dum Linguam noſtram nobiliſſimam deduco, me non errare, nec divinare, ſed quod veroſimillimum eſt ſentire puto. Equidem hunc rerum nexum literis proditum nusquam invenio, partes tamen veritatis tanquam membra avulſa ubique reperio. Scythicam originem tuentur Boxhornius & Stiernhielmius: Phrygiam Scriptores medii Ævi, & noviſſime Baxterus: Celticam Cluverius, & omnes pene Eruditi hodie in Germania. Solus KATENIUS, qui Libris de Belgico idiomate editis, Patriæ & Vernaculæ ſuæ haud leve decus contulit, videtur ab omnibus diſſentire, & Gentes Germanicas non Scythas, non Phrygas, nec Celtas, ſed quartum genus hominum opinari (y). Liberum cuique ſit, ſectari opinionem, quam judicat meliorem. Liberum ſit

(y) Katenium & Baxterum, auctores in Germania rariſſimos, dum hæc ſcribo, ill. Dn. MENKENIUS Conſil. Aul. ex Bibliotheca ſua celeberrima

ſit & mihi, hypotheſin meam pro viribus adornare. Calculum unusquisque ex ingenio ſuo vel addat, vel ſubducat.

XXXII. Oſtenſa itaque Linguarum Celticarum cum ore Scythico & Phrygio harmonia, nunc incumbere mihi videtur, ut eam, quam Celticæ Linguæ inter ſe habent, eloquii conformitatem, pluribus exemplis oſtendam. Quamvis enim in rebus Aſiaticis penuria exemplorum ob monumentorum defectum forte excuſetur, in propioribus tamen & domeſticis nemo paucis contentus eſt, ſed nubem teſtium deſiderat. Verum quia acta agere ſupervacaneum, & tempori quoque parcendum eſt, ad Gloſſarium meum VOS remitto, quod, etiamſi exiguam Linguæ noſtræ partem complectatur, ſupra cc. vocabula Gallica & Britannica (z) ſiſtit, quæ cum noſtris ſono & ſignificatu conveniunt, & alternis vicibus radices modo nobis reddunt, modo a nobis accipiunt, manifeſto indicio, utramque Linguam in uno quodam & vetuſtiori idiomate radicatam eſſe, in quo tanquam communi theſauro, quicquid tempus vel nobis vel illis eripuit aut reliquit, olim continebatur. Quantam putabitis vocabulorum conſonantium ſegetem ab ipſo LEXICO exſpectari poſſe, ſi minima pars Linguæ tam fertilis ſit atque fecunda? Sed qua-

perluſtrandos humaniſſime communicavit.

(z) Vide Indiculum Vocabulorum Celticorum, Cambricorum & Armoricorum.

Digitized by Google

qualiacunque hæc ſint, certe non ſunt niſi tabulæ ex naufragio, & nullius numeri nec ponderis, ſi conferantur cum iis vocibus, quæ nobis perierunt. Nam quo antiquior eſt ſermo noſter, & ab uſu hodierno alienior, eo major eſt ejus cum Gallico & Britannico convenientia. Poſſem hoc ſexcentis exemplis demonſtrare, niſi talis demonſtratio Limites Præfationis excederet. Ideoque pauca tantum ex omnibus Dialectis decerpta VOBIS ante oculos ſtatuam.

AHA flumina. Vox Alamannica apud Keronem in Gloſſario. Cambris *aches* rivus, flumen.

BERTH clarus, ſplendidus. Vox omnibus veterum Dialectis (a) uſitata. Cambris *berth* pulcher, nitidus.

CENNAN generare, *cenned* genitus, *cynne* genus, generatio. Vox ultima ab omnibus veterum Dialectis agnoſcitur, reliquæ ſunt idiomati Angloſaxonico (b) propriæ. Cambris *cenedlu* generare, *cenedl* gens, genus, natio, *geni* naſci.

DERA vel DRE arbor. Ita Franci & Alam. Gothi habent *triu*, Angloſax. *treovv*, *trevv* & *tryvv* eodem ſenſu. Cambris *dar* & *dervv* quercus, & hinc Druides *dervvyddon*, quaſi domini arborum, ab *udd* dominus, & *dervv* quercus. *Udd* pro

(a) V. Gloſſarium in voce *Anbrechen.*

(b) V. Gloſſar. in vocibus *König* & *Kind.*

Digitized by Google

pro domino nobis ſuperat in nomine proprio OTTO.

ELITHEODIG peregrinus, qui ex alia terra vel agro eſt. Vocem habet Iſidorus pag. 263. Cambris *alltud* alienigena, advena, ab *all* alius, alienus, & *tud* terra. Utramque compoſiti partem agnoſcunt etiam noſtri in omnibus Dialectis (c).

FIDWOR quatuor. Vox Gothica. Cambris *pedvvar* idem.

GOMMA, GOMMAN vir, maritus. Extat in omnibus Dialectis. Cambris *cymmar*, compar, conjux, ſocius, ſodalis, forte ab Armorico *chom* ſimul morari.

HUNSLA munus, oblatio, ſacrificium. Vox Gothica, quæ Angloſaxonibus eſt & effertur *husl*. Cambris *honſel* ſtrenam denotat, ſi non eodem, certe cognato ſignificatu. Quid enim eſt ſtrena niſi munus & oblatio?

KRY clamor militaris. Vox Alamannica (d). Cambris *cri* clamor, *crio* clamare, *crivvr* præco.

LOCHAN claudere, *intlochan* aperire, *loch* clauſura, *pilohbir* clauſtra. Voces Alamannicæ apud Keronem. Cambris *locc* an-

(c) V. Gloſſar. in voce *Elend* & *Teutſcher*.

(d) Goldaſt. Tom. II. Rer. Alam. *Chry dir altin Kilchin* Symbolum veteris Eccleſiæ.

gulus, angiportus, *lloches* latebra, *llechu*, latere, nonnulla cum reliquis adfinitate.

MATS, MÆTE cibus, nutrimentum. Prior vox Gothica, altera Anglosaxonica eſt. Idem Cambris *maeth*.

NITHJIS cognatus. Vox Gothis propria. Cambris *nith* neptis ex fratre vel ſorore.

OGAN timere, *iggur* timor. Prius Gothicum, poſterius Islandicum eſt. Cambris *egryn* timor, terror.

PAIDA tunica, nomenclatura Gothica. Cambris *pais* tunica, palla.

QUENA vel *quino* mulier. Vox apud Gothos & Francos paſſim obvia, quam Britanni videntur transtuliſſe ad Venerem denominandam. Nam Venus Cambrice dicitur *gvvener*, & dies Veneris *diau gvvener*, & ſtella Veneris *ſeren gvvener*.

RUNA ſecretum, ſive divinum, ſive magicum. Proſtat in omnibus Dialectis (e). Cambris *rhin* ſecretum, arcanum, myſterium, *rhiniau* incantationes, quia ſecretiores ſunt, & in occulto fiunt.

SAUM ſive *ſum* onus, ſarcina, & figurate impedimentum. Vox Francis inprimis uſitata, cujus veſtigia extant in Lege Salica, & paſſim alibi (f). Hoc primitivum

(e) V. Gloſſar. in vocib. *Geheimniiſs* & *Raunen*.
(f) V. Gloſſar. in *Saumthier*.

vum agnoſcunt etiam Armorici, quibus *ſam* onus, teſte Pezronio in Celticis.

THEOW ſervus. Ubique obvium apud Veteres (g). Cambris *tyvvas* famulus domeſticus.

UNDEN aqua, fluctus, Dialecto Francica. Videatur Otfridus Lib. III. cap. VIII. ubi ter eadem voce utitur, ut Tatianum & alios nunc omittam. Idem Cambris *tonn* per metatheſin. Hæc figura in præſenti negotio non eſt negligenda, quia voces Britannicæ ſæpe ſola literarum tranſpoſitione a noſtris differunt, cujusmodi ſunt, *draen* ſpina, nobis *dorn*: *daear* terra, nobis *erd*: *tad* pater, noſtris olim *atta*: *naf* dominus, noſtris olim *fan*: *tair* tres, nobis *drei*: *nam* culpa, delictum, noſtris olim *man*: *bervvy* coquere, nobis *brauen*: *aren* ren, nobis *nieren* &c.

WERED plebs, multitudo. Vox Angloſaxonica, a *vver* vir derivata. Cambris *gvvr* vir, *gvverin* viri, virorum multitudo.

XXXIII. Hæc ni fallor in compendio ſufficere poſſunt. Vereor enim ne VOS tædium capiat antiquitatis, ſi vocabulis nimis multis & tam procul a conſuetudine abductis aures veſtras ulterius aggrediar. Unum tamen ſilentio præterire non poſſum, quod ante omnia fuerat memorandum, cum propter Viri claritatem, tum

 propter

(g) V. Gloſſar. in voce *Demut*.

propter inſignem vetuſtatem, nomen inquam Conditoris noſtri TUTISCONIS, antiquis carminibus celebratum, quod teſte & interprete Tacito TERRA EDITUM ſignificat. Fuit hoc nomen proprium non Dei, ſed hominis & Viri illuſtris, qui progenitoribus noſtris circa Trojana tempora dux & auctor fuit migrationis in Germaniam, & eam Reip. formam, quam Jul. Cæſar & reliqui Scriptores Romani tantopere mirati ſunt in noſtris, inter eos conſtituit, poſtea a filio MANNO & gente univerſa in Deorum numerum relatus ob tanta & tam præclara beneficia. Hic noſtrum ſuo de nomine nomen nobis reliquit, quod ex Lingua Celtica petitum eſſe, in ipſo Gloſſario luculenter demonſtravi (h).

XXXIV. Quemadmodum autem nihil in univerſo eſt, quod non mutationi obnoxium ſit: ita etiam LINGUÆ ſuas experiuntur calamitates, dum ex antiquis vocibus aliæ obſoleſcunt, aliæ plane depereunt, aliæ depravantur, aliæ novis & ſæpe contrariis ſenſibus ſervire coguntur, aliæ ab exteris tanquam ſordes ſinceris partibus admixtæ, aut ab indigenis ſponte confictæ civitate donantur & propagantur. Unde mirum non eſt, Linguam CELTICAM, ab initio uniformem & pene indiſcretam, tractu tem-

(h) V. Gloſſar. in voce *Teutſcher.*
(i) Cæſar de Bell. Gall. Lib. I. cap. 47.
(k) Utor Chronologia Edwardi Simſonii, qui Exci-

Digitized by Google

temporis tantas perpeſſam eſſe mutationes, ut ARIOVISTUS Gallice loqui non niſi longo uſu dedicerit (i). Nam ab exceſſu Celtarum in occiduas regiones usque ad Arioviſtum computantur MCXXVI. anni (k), qui tanto diſcrimini efficiendo abunde ſufficiunt.

XXXV. Teſtem habemus experientiam. Debemus enim meminiſſe, Linguam Germanicam non hanc tantum obiiſſe mutationem, ſed longe majorem, & minori temporis intervallo. Omitto nunc veteres Sermones, *Gothicum*, *Saxonicum*, *Francicum*, qui certe adeo diverſi ſunt, ut ſingulis intelligendis tanto diſcendi ſpatio hodie opus ſit, quanto olim regio ingenio Arioviſti ad Gallice loquendum. Hoc unum jubeo VOS conſiderare, intra paucas ætates aliquot millia vocabulorum Francicorum & Alamannicorum nobis periiſſe, quæ ante octingentos annos in omnium ore erant, hodie vero non magis intelliguntur, quam Cambrica aut Armorica. Quæ niſi facta eſſent, fieri poſſe negarem. Accipite, ſi placet, ex ore priſco ſequentia.

Ammarari humiles.
Bimmtono odoramentum.
Cumiſci ſenatores.
Droa onus.
Erine pavimentum.

dium Trojanum collocat ad A. M. 2821. ante C. N. 1182. & res Cæſaris cum Arioviſto geſtas ad A. M. 3947. ante C. N. 56.

Fibhara alieni.

Gozophar libamentum.

Horatupil onocrotalus.

Inchenta arauueiz frixum cicer.

Kaluppas toxica, *kalupperu* toxicata.

Lapel mare, concha, labrum.

Mammonti blandimentum, placor, *mammontiu* placabilis, *gimmanmontot uuirdit* linietur.

Nibbus crocodilus.

Opiſal cultus.

Prorth labium, *prarte* labio, *prarta* labia, *prart* ora.

Querder eſca.

Riumun pſittacus.

Schabbo lingua.

Tougani Sacramentum, *gitougani* ſacramento, *getougini* ſacramenta, *taugni* myſticos.

Vochumilo racemus, acinus.

Wibil ſcarabæus.

Zaſcot rapuit.

XXXVI. Quis hæc Germanica eſſe ſuſpicetur, niſi in Gloſſis Theotiſcis a R.P. PETZIO publicatis legerentur? Horum vero vocabulorum & ſimilium, ab uſu hodierno damnatorum, & civitate exulantium, apud omnes Gloſſatores & in omnibus Veterum Monumentis, tanta copia tantumque examen eſt, ut numerum Britannicorum a noſtris diſſonantium facile æquent aut

aut excedant. Et nihilominus Lingua noſtra hodierna veriſſima Filia eſt veteris Francicæ & Alamannicæ, quamvis Matri in multis diſſimilis, quod opinor omnibus eſſe manifeſtum. Quemadmodum autem haud dubie erraret, qui propter hæc innumera, quæ olim in honore erant, nunc autem ceciderunt, aliis in locum eorum ſubſtitutis, proximam Linguæ noſtræ originem ex Francis & Alamannis in dubium revocaret: Ita errare mihi videntur, qui remotiſſimam ex CELTIS ob eandem cauſam nobis adjudicant, nulla tot Sæculorum, quæ Linguas mutare ſolent, habita ratione. Contrarium enim patet ex permultis Linguæ Celticæ apud nos reliquiis. Et etiamſi longus Sæculorum ordo omnia ſermonis veſtigia deleviſſet (quod ſane falſum eſt) Græci tamen Scriptores audiendi eſſent, qui uno omnes ore CELTICUM nomen nobis imputant, unde communio generis & Linguæ per ſe ſequitur. *Antiquiſſimis temporibus*, inquit Dio (l), *populi iſti, ad utramque Rheni ripam colentes, CELTÆ appellati fuerunt.* Nonſolum autem antiquiſſimis, ſed etiam ſecutis temporibus ita nuncupati ſunt. Quamvis enim Gentes illæ cognitis regionibus occiduis diverſa nomina adeptæ ſint, ita ut colentes ad ſiniſtram fluminis GALLI, reliquæ ad dextram GERMANI dicerentur: hoc tamen non obſtante Celticum nomen Germanis

(l) Dio Lib. 39.

æque ac Gallis conſtanter adhæſit. Hinc Appianus Cimbros vocat *Celtas* (m), & Libanius Francos *g ntem Celticam* (n), & Dio Germaniam *Celticam* (o). Equidem Strabo, qui reliquos ætate antevertit, Germanos a Celtis diſtinguit (p): ſed per aliam viam ad nos redit, dum Germanos ibidem ob ſimilitudinem formæ, & morum, & victus, FRATRES GALLORUM, alibi vero CONSANGUINEOS vocat (q). Unde vero conſanguinei, niſi ab Iliaco aut Scythico ſanguine? Omitto nunc mores utriusque Gentis, quæ communem originem aperte teſtantur.

XXXVII. An Germania noſtra ante TUTISCONIS cum manu ſua adventum, habuerit colonos, & unde advectos, fateor me ignorare. Quis enim in iſta remotiſſimorum temporum nocte verum perſpicere queat? Si habuit, veroſimile eſt, Scythas, Phryges, aut Thracas fuiſſe,

(m) Appianus in Celtico pag. 758.
(n) Liban. in Baſil. pag. 138.
(o) Dio in Excerpt. pag. 761. *Ganna virgo poſt Velledam in CELTICA vates oracula fundebat.*
(p) Strabo Geograph. Lib. VII. ab. initio.
(q) Idem Lib. IV. pag. 196. *Nam & NATURA (φύσει) & vitæ inſtitutis hæ Gentes invicem ſibi ſimiles ſunt & COGNATÆ (συγγενεῖς).*
(r) Baxter in Gloſſ. Antiq. Brit. voce SAXONES. Item pag. 209.
(s) Huic conjecturæ adfinis eſt illa, quam R. D. LOE-

Digitized by Google

fuiſſe, & hos a noſtris pulſos eſſe ultra mare in Britanniam (in qua ſententia videtur verſari BAXTER (r) jam ſæpe laudatus) vel ultra ſinum Codanum in Scandinaviam. Tutiſſime incedunt, qui prima Germaniæ initia ab INGEVONIBUS, ISTÆVONIBUS, & HERMINVONIBUS deſumunt, quorum fama vetuſtiſſima eſt, & cæteris nominibus, paucis exceptis, antiquior. Orta autem ſunt hæc NOMINA, non primis ſtatim temporibus, ſed proxime ſecutis, quando ſolitudines Germaniæ a Gente jam valentiore & populoſiore per deductos colonos fuerunt occupatæ, incipiendo ab ISTHMO CIMBRICO, qui, ut videtur, prima fuit Majorum noſtrorum in Germania ſedes (s). Quidam MANNO tres filios adſignant (t) e quorum nominibus tria illa nomina componunt. Verum cum ex omnibus traluceat verbum *vvonen*, quod priſcis temporibus

SCHER in Literatore Celta theſi XV. proponit his verbis: *Cimbri, Cheruſci, Suevi, accurate ſupputando, Majores noſtri ſunt, exciſaque & penetrata Hercynia Sylva, totam, qua hodie patet, Germaniam, ſibi ſubjectam reddidere.* Utraque conjectura vetuſtate nominis Cimbrici ſe tuetur.

(t) Tacitus de M. G. cap. 2. *Manno tres Filios aſſignant, e quorum nominibus proximi Oceano INGÆVONES, medii HERMINONES, cæteri ISTÆVONES vocentur.*

bus (n) *manere* ſignificavit, hinc veroſimilius eſt tribus iſtis nominibus locum potius manendi, quam filiorum Manni memoriam contineri. Id quod etiam H. Grotio ſe magis probavit (w), qui inde ſuos *In-woners*, *Herum-woners* & *Weſt-woners* more ſuo fabricavit.

XXXVIII. Primi omnium ſunt INGEVONES, Plinio *prima Germaniæ Gens* dicti (x), Tacito vero *proximi Oceano* (y), & inde nomen, ab *wng* prope, quod ſuperat eo ſenſu apud Cambros. Dicti autem ſunt a proximitate, quod ab utroque latere Iſthmi, inter duo maria protenſi, oras Oceani & Sinus Codani legentes, hinc a Chaluſo ad Viadrum, illinc ab Albi ad Rhenum, ſedes ſuas in locis maritimis fixiſſent. Idque nomen poſtea communicari cœpit iis, qui Inſulas occuparunt, quod a litoralibus eſſent oriundi. Prioris generis ſunt Cimbri in ipſa Cherſoneſo, & Suevorum Gentes inter Codanum & Albim, & Chauci & Friſii ad Oceanum. Poſterioris Teuto-

(u) Kero: manet *uuouet*. Tatianus CCXXVIII, 2. *uuone mit uns, uuanta iz abandit*, mane nobiſcum quoniam veſperaſcit. Idem Angloſaxonibus *wunian, gewunian*.

(w) H. Grot. in Prolegom. ad Procop. pag. 25.

(x) Plin. Hiſt. Nat. Lib. IV. cap. 14.

(y) Tacit. loc. cit.

(z) Plinius loc. cit. Solinus cap. 23. Scandiam a Cimbris, Svevis, aliiſque Theotiſcis tertio vel quarto Sæculo ante Chriſtum natum occupatam eſſe, ex Lingua, moribus, aliiſque indiciis breviter de-

Digitized by Google

Teutones, Hilleviones, Suiones, & cæteri Septemtrionales, quos ab Ingevonibus Germaniæ oriundos eſſe, Plinius & Solinus (z) haud obſcure teſtantur.

XXXIX. Alii ulterius progreſſi ſedes ſuas trans Viadrum ad Viſtulam usque promoverunt. Et hos ISTÆVONUM conditores eſſe arbitror, etiamſi hoc nomine Rheno proximi a Plinio inſigniantur. Plinius enim Genera Germanorum (a) præter neceſſitatem multiplicat, Tacitus vero dicendo, *cæteri Iſtævones*, in dubio relinquit, quinam ſint illi cæteri. Dicti autem ſunt ISTÆVONES, quaſi Æſtivones, id eſt, ad orientem colentes. Nam *eaſt* Angloſaxonibus Orientem ſignificat. Quod apprime convenit Vandalis, & qui ex proſapia ipſorum prodierunt, Burgundis & Gothonibus ſive Gothis, quos antiquitus intra Viſtulam & Viadrum ad mare Suevicum habitaſſe, Tacitus memorat.

XL. Omnium noviſſimi videntur HER-

MIN-

monſtrat R. D. Lœſcher in Literatore Celta theſi XXXI.

(a) Plin. Hiſt. Nat. Lib. IV. cap. 14. *Germanorum genera quinque: Vindeli, quorum pars Burgundiones, Varini, Carini, Guttones: alterum genus Ingævones, quorum pars Cimbri, Teutoni, ac Cauchorum gentes. Proximi autem Rheno Iſtævones, quorum pars Sicambri. Mediterranei Herminones, quorum Suevi, Hermunduri, Chatti, Cheruſci. Quinta pars Peucini, qui & Baſtarnæ, ſupra dictis contermini Dacis.*

Digitized by Google

MINVONES, qui intra ambitum reliquorum habitabant, a Rheno prætenti, unde Tacito *medii*, Plinio *mediterranei*, Melæ (b) *ultimi* vocantur. Ab his orti ſunt Cheruſci, Chatti, Hermunduri, Marcomanni, Ubii, Sigambri, Uſipetes, Tencteri, Bructeri, Marſi, & alii, quorum latera partim a Gentibus Friſionum & Cauchorum, partim a Suevis Trans-albianis clauduntur. Dicti autem ſunt *Herminvones* quaſi prolixe habitantes. Nam *menn* Celtis locum, *hir* vero longum & prolixum denotat. Cambri iisdem vocibus hodienum eodem ſenſu utuntur.

XLI. Ab his TRIBUS tota Germania, quæ primis temporibus una Lingua utebatur, paulatim facta eſt TRILINGUIS. Nam ab Ingevonibus habemus Linguam ANGLO-SAXONICAM, ab Iſtævonibus GOTHICAM, ab Herminvonibus FRANCICAM & ALAMANNICAM, de quibus nunc ordine aliqua dicam, quæ VOBIS fortaſſe haud erunt ingrata.

XLII. Lingua ANGLO-SAXONICA, cum ſit ab Ingevonibus orta, filia eſt Celticæ maritima & primogenita, natalibus ſuis nec omnino ſimilis, nec omnino diſſimilis, clariſſima tamen originis ſuæ documenta in ſe gerens. Dedit illi Mater hanc inprimis prærogativam, ut Sororibus ſuis nonſolum ætate prior, ſed etiam venuſtate

(b) Mela Lib. III. cap. 3.

(c) Conſulatur Merici Caſauboni *Commentatio de*

Digitized by Google

ſtate & ſimplicitate commendabilior eſſet. Dedit & immenſum vocabulorum veterum, Celticorum, Cimbricorum, & Suevicorum Theſaurum, & flumen elocutionis uberrimum, unde ſæpe prata aliena rigantur. Nullæ hic comparent peregrinæ dotes: nulla Latinitatis, imo ne Græcitatis quidem veſtigia. Nam quæ nos Græca arbitramur, quamvis ingentem numerum efficiant (c), revera non ſunt Græca, ſed antiquitatis Celticæ cimelia, a primis Ingevonibus relicta. Cur *Anglo-Saxonica* dicatur, & a quibus, ratio in propatulo eſt. ANGLI Tacito ſunt pars Suevorum in Ingevonibus: SAXONES Ptolomæo gens Cimbris contermina. Hi famam nominis navalibus auſis extenderunt, dum illi diu reticentur in Hiſtoria, quamvis maturius nominati. Utraque Gens circa initium Sæculi quinti in unum fœdus, & occupata bello ſociali Britannia, in unum nomen coaluit, ita ut qui diſcretim ANGLI & SAXONES, conjunctim ANGLO-SAXONES dicerentur, & Lingua ipſorum ANGLO-SAXONICA, quod communi ſermone uterentur Anglus & Saxo. Ipſi vero Saxones Linguam ſuam vocabant ANGLICAM, non Saxonicam, manifeſto (ni fallor) indicio, primos Saxones partem Anglorum fuiſſe, & genus inde accepiſſe unde Linguam. Operæ pretium eſt, interpre-

tem

IV. Linguis, Hebræa, Græca, Latina, & Saxonica. Londini. 1650.

tem audire Saxonicum Matth. XXVII. 46. *Heli. Heli. lema Zabdani. that is on ENGLISC. Min God. min God, to hwi forlete thu me.* Utcunque autem hoc nomen, ex Anglo & Saxone compoſitum, novum ſit, nec ante Britannicam Expeditionem auditum, partes tamen nominis antiquæ ſunt. Et hinc manifeſtum eſſe reor, Linguam Angloſaxonicam nomine ſuo longe vetuſtiorem eſſe, ſi non fama & claritudine, ſaltim uſu & exercitio. Hæc Lingua cum tempore devenit mater fœcunda plurium aliarum Linguarum, inprimis *Anglicanæ*, *Belgicæ*, *Norwegicæ*, *Islandicæ*, *Danicæ*, *Suecicæ*, quæ ſunt quaſi Celticæ Linguæ ex hac filia nepotes.

XLIII. Lingua GOTHICA, cum ſit filia Vandalicæ, & Soror Burgundicæ, cognoſci rite non poteſt, niſi cognita prius matre & ſorore, & omnibus quas inter migrandum perpeſſa eſt mutationibus. Vandali ſunt Gothorum & Burgundionum progenitores, teſte Plinio (d). Hos primis temporibus Celtice locutos eſſe, multa arguunt, & inprimis vetuſtas nominis Vandalici. Vandali enim non ſunt novi homines in Germania, nec aliunde advecti, ſed nomen verum & antiquum populi indigenæ, quamvis licentia vetuſtatis a quibusdam ex ipſa Manni familia fabuloſe deductum (e). Idem colligitur ex reliquiis Sermo-

(d) Plinius loc. cit.
(e) Tacit. de M. G. cap. II.
(f) V. Gloſſar. in voce *König*.

monis Gothici & Burgundici vetuſtiſſimis, quæ, ſi recte inſpiciantur, ſunt totidem Linguæ Celticæ fragmenta. Burgundi, cum adhuc eſſent in Germania, Regem nuncupabant HENDINUM, quaſi Seniorem, teſte Marcellino. Hanc vocem ex duabus Celticis compoſitam eſſe, in ipſo Gloſſario (f) jam demonſtravi. Id unum hoc loco prætermittere non poſſum, Gothos eodem nomine uti, in Præſide Judææ denominando. Hunc enim appellare ſolent KINDINS, Matth. XXVII, II. 15. Quæ vox, cum a Burgundica non ſit diſcriminata, niſi levi, eaque uſitatiſſima literæ H. in K. converſione, haud dubie ex eodem cum illa fonte manavit. Leges Burgundicæ novalia vocant EXARATA, Art. XIII. opinor a Celtico *bear* aratu facilis, arabilis, Cambris uſitato. Noſtri hodie nihil habent, quod aliquomodo reſpondeat: Gallis autem remanſit *eſſarter*, ſilvam cædere & in agrum convertere. Utrinque ſpiritus in ſibilum mutatur, more antiquis perquam familiari. In iisdem Legibus WITTEMON ponitur pro dote. Prior compoſiti pars Celtis conjugium & ſponſalia, poſterior munus & donum denotat. Illa Cambris compoſite dicitur *dyvveddi*, a *dyvveddio* conjugare, hæc Francis & Alamannis *man* & compoſite *manaheit* apud Keronem in Gloſſis (g). Utramque

(g) Kero: munuſcula *manaheit.* Gloſſ. Pez. liberalitate *manaheitigi*, munifici *manaheitiga*, liberaliſſimi *manaheitigoſtun.* Convenit Latinum *munus.*

quem vocem agnoſcunt etiam Gothi, quibus *gavvatb* eſt conjunxit, conjugavit, Marc. X. 9. & *manvvi* ſumptus, Luc. XIV. 28. Nobis totum compoſitum periit: Viguit tamen inter nos adhuc Willerami Abbatis ævo, qui illo in Cantico Canticorum utitur. Omitto nunc canem venaticum, quem Latini vertagum, noſtri *vvindbund*, Burgundi VELTRAUS vocant, a *veltra* ventus, quoniam hæc vox a Lindenbrogio jam eſt occupata. Omitto etiam alia, & hoc ſolum mantiſſæ loco cæteris adjicio, quod in Additamentis Legis Burgundicæ navis vocatur CAUPULUS, Art. VII. §. 1. quæ vox manifeſto Celtica eſt, & apud Cambros hodie ſuperſtes, quibus lenter, cymba, ſcapha dicitur *ceubal* & *ceübol*, quaſi venter cavus, a *cau* cavus, & *bol* venter. Hæc enim ſufficere poſſunt oculatis, ut perſpiciant, Lingua veteri Burgundica, quamvis veriſſimi nominis Germanica, utpote e Vandalica orta, multa & præclara Antiquitatis Celticæ veſtigia contineri.

XLIV. Miſſis igitur Burgundis ad GOTHOS propius accedo, quos Lingua cognata uſos eſſe, jam demonſtravi, & nunc porro demonſtrabo. Loquor autem de ea parte Gothorum, quæ Viſtulam transgreſſa primo ripis ſinus Venedici inſedit, & celebrem illam maris concreti ſubſtantiam, quam ſuccinum & electrum vocant, collegit, poſtea vero litoribus illis relictis ad Mæotidem usque progreſſa eſt, unde

poſt

poſt aliquot ætates ad Danubium regreſſa, Romanis innoteſcere cœpit. Nam ab his habemus EVANGELIUM GOTHICUM interprete ULFILA, Gothorum in Dacia Epiſcopo. De reliquis autem popularibus, qui vel domi in Germania, vel foris in oppoſita Peninſula Scandinavia claruerunt, & nomen genusque Gothicum vel apud ſuos propagarunt, vel apud exteros condiderunt, nihil literarum ad nos pervenit, unde de natura & conſtitutione Linguæ Gothicæ judicium ferri poſſit. Etenim verba illa vetera, quæ Inſcriptionibus RUNICIS, aliisque Septemtrionalium monumentis continentur, Islandica ſunt, non Gothica. Et tametſi non deſint Viri eruditiſſimi & celeberrimi, qui hæc & talia pro Gothicis haberi cupiant, certiſſimum tamen eſt, hoc illos optare, non ipſius rei veritate, ſed potius affectatione nominis Gothici compulſos, vitio quidem vernaculo, & ob nimium Patriæ amorem excuſabili, ſed novo & Majoribus ignoto. Tantum enim abeſt, ut veteres Sueci gloriæ & linguæ Gothicæ unquam fuerint ſtudioſi, ut potius Gothos, quamvis latiſſime quondam imperitantes, ſuisque Regibus utentes, tanquam exteros & aliunde advectos odio haberent, nec prius ceſſarent, donec rebus eorum attenuatis & Regno penitus deſtructo, ſubjectos ſibi reddidiſſent. Cujus rei teſtem habemus domeſticum & Secretorum Septemtrionis apprime gnarum Ottonem

SPERLINGIUM (h), qui novum illud Gothicæ Linguæ Palladium fortiter & feliciter evertit, omni Antiquitatis laude Islandis reſtituta.

XLV. Igitur quoties GOTHOS in his paginis nomino, non illos Gothorum in Scandinavia Conditores, quos Germanos fuiſſe ſatis veroſimile eſt (i), ſed antiquos illos Succini collectores, quos vetuſtas *Guttones*, *Gothones*, & *Gothunos*, recentior vero ætas *Gothos* appellavit, intelligo, reliquorum quidem conſanguineos, utpote ex communi Vandalorum ſtirpe cum illis ortos, ſed migrationibus, rebus geſtis, & Martis operibus, ab illis diſtinctos. Horum Lingua, quo vetuſtior eſt, eo Celticæ propior & conformior deprehenditur. Teſtis eſt vox antiquiſſima MENTONOMON, qua Gothi Æſtuarium deſignabant, de qua juvat audire Plinium (k): *Pytheas Guttonibus, Germaniæ*

(h) In Commentariolo *de Danicæ Linguæ & nominis antiqua gloria & prærogativa*, §. XII. XIII. XIV. XVI. XVII. XVIII.

(i) Gothos Scandinaviæ a Gothis Germaniæ originem ducere, communis hodie eſt Eruditorum in Germania ſententia, quam etiam R. D. LOESCHER, qui nuper Literaturam Celticam eleganti libello ornavit, theſi XXXI. breviſſime tuetur his verbis: *Ipſo autem Chriſti naſcentis Seculo Gothi ad ſinum Codanum habitantes, ubi nunc Gedanum eſt, trajecto mari, primum Gothlandiam inſulam, deinceps magnam Suediæ par-*

Digitized by Google

maniæ genti, accoli Æſtuarium Oceani (maris Suevici) *affirmat*, MENTO'NOMON *nomine, ſpatio ſtadiorum ſex millium: ab hoc diei navigatione abeſſe Inſulam Abalum: illuc vere fluctibus advehi* (Succinum), *& eſſe concreti maris expurgamentum, incolas pro ligno uti eo, proximisque Teutonis vendere.* Quamvis enim in hac deſcriptione quædam ſint parum explorata, manifeſtum tamen eſt, Pytheam Guttones haud fruſtra nominaſſe. Hos enim ad Viſtulam habitare, & Vandalorum progeniem eſſe, poſtera ætas aperuit. Tacitus ſane inter Germanicas Gentes expreſſe *Gothones* memorat (l,) & in Caſſubia collocat, unde facilis erat parti Gothonum prioribus ſæculis ad Gleſſarias & Electrides Inſulas tranſitus, etiamſi migrationis hujus nulla apud Tacitum extet memoria. Tacito enim ſufficiebat, illos Gothones nominaſſe, qui in Patria remanſerant. Reliquos, qui ante tempora ſua

tem occuparunt. Et in theſi XXX. *Cum Gothones, qui ad Viſtulam remanſerant, navigatione inclareſcerent, & Gotlandiam inſulam occuparent, paulatimque potentiores fierent, videntur navibus in Suediam ingreſſi, magnam ejus partem occupaſſe, quæ vel hodie Oſtrogothia & Weſtgothia vocatur. Hic & regnum peculiare habuerunt, quod a Suecis tandem fuit deſtructum.* Confer cum his Inſularibus *Gutas* a Ptolomæo memoratos, qui ſcripſit circiter A. C. 150.

(k) Plin. Hiſt. Nat. Lib. XXXVII. cap. 2.

(l) Tacit. de M. G. cap. XLIII.

Digitized by Google

Æſtuarium accolebant, cum in interiora Sarmatiæ dudum eſſent digreſſi, piſcatu Succini Æſtiis poſt ſe relicto, mirum non eſt ſilentio ab illo præteriri. Cur enim procul abſentes nominaret? Conſtat igitur Pytheæ ſua narrandi ratio, & æquum omnino eſt, ut nomina Gothica ab illo tradita, ceu fide digna ſuſcipiamus. Omitto nunc *Inſulam Abalum*, quæ videtur eſſe *Inſula indigentiæ*, alias *Finningia* dicta (m), & ad nomen Æſtuarii me converto. Quid ſit MENTO'NOMON non aliunde melius quam ex Lingua Celtica intelligitur. In illa enim Lingua manifeſto ſignificat *locum aquarum brevium*, componiturque a *menn* locus, *tonn* aqua, unda, & *man* parvus, tenuis, exilis, vocibus apud Cambros hodienum reſiduis. Totum compoſitum perfecte convenit Æſtuario, Latinis quoque ejusmodi loca a brevitate aquarum *Brevia* vocantibus. Hæc una vox, etiamſi nullæ aliæ ſupereſſent (ſuperſunt autem quam plurimæ) faciem Linguæ Gothicæ, qualis erat circa ætatem Pytheæ, hoc eſt, diu ante C. N. ſufficienter repræſentaret.

XLVI. Ve-

(m) Plinius exiſtimavit Finningiam ſive Finnlandiam eſſe Inſulam a Scandia, Baltia, & Baſilia diſcretam, ſicut & Pytheas. Gothi videntur Finnlandiam *Abalum* appellaſſe, quod rerum omnium inops eſſet, a Celtico *aball* inopia, defectus, quod ſuperat hodie apud Cambros. Nota eſt Fennorum *fœda paupertas* ex deſcriptione Taciti cap. ult. de M. G.

Digitized by Google

XLVI. Verum hæc facies poſtea ſub Cœlo alieno inter tot Barbaras Gentes Ponto conterminas (quarum XXII. a Plinio (n) numerantur) non nihil mutata eſt. Nam pro vocibus patriis & antiquis paulatim inductæ ſunt peregrinæ, Sarmaticæ, Ponticæ, Scythicæ, & promotis deinceps in Daciam ſedibus Græcæ etiam atque Latinæ, quales in reliquis Dialectis non reperiuntur, de quibus alibi egi ex profeſſo (o). Unde facies nova Linguæ Gothicæ exorta, quæ EVANGELIO GOTHICO, unico & ſanctiſſimo Gothorum monumento, & omnium Theotiſcorum vetuſtiſſimo, continetur. Quemadmodum autem vultus hominis nunquam ita mutatur, ut in aliam plane ſpeciem tranſeat, nullo priſtinæ ſimilitudinis relicto indicio: Ita Lingua Gothica mutata quidem eſt in aliam formam, ſed non adeo deformem, ut non certiſſimæ notæ primævi ſermonis, *Celtici* inquam, *Vandalici*, & *Theotiſci*, cumulatim adpareant. CELTICA veſtigia paſſim detexi, in quibus ſunt non nulla, quæ immenſam eruditionem & infatigabile ſcrutinium primi Editoris & in Literatura Go-

(n) Plin. Hiſt. Nat. Lib. VII. cap. 24.

(o) Nempe in Diſſert. *de Lingua Codicis Argentei*, quæ in Bibliotheca Nobiliſſ. Dn. THOMÆ FRITSCHII, T. F. Ser. & Pot. R. Pol. & El Sax. a Conſiliis Aulicis & cuſtodia Antiquitatum adſervatur.

thica facile principis FRANCISCI JUNII, F.F. effugerunt. VANDALICA, cum nihil literarum a Vandalis nobis relictum ſit, hodie diſcerni non poſſunt. Certiſſimum tamen eſt, Linguam Gothicam Sæculo VI. a materna, hoc eſt, Vandalica, haud multum diſcrepaſſe. Nam Vandalos, Gothos, & Gepidas, ſolis nominibus differre, cæterum iisdem Legibus, & iisdem ſacris, puta Arianis, & una demum Lingua uti, tanquam ad unam Gentem univerſi ſpectarent, auctor eſt Procopius (p), cujus teſtimonium tanto validius, quia Beliſario in omnibus Expeditionibus contra Vandalos & Gothos fuit a codicillis. Quid dicam de THEOTISCIS, quorum numerus tam ingens eſt, & idiomati Germanico utriusque Ævi, veteris & hodierni, tam conſentaneus, & a Sermone Suecico, quem Gothicum eſſe volunt, tam longe abludens, ut totus Codex videri poſſet ab homine Germano conſcriptus, niſi de veritate aliunde conſtaret? Et hæc utriusque Linguæ congruentia non nuper demum a Clariſſimis Viris, ſed omnibus temporibus a Scriptoribus Eccleſiaſticis obſervata eſt, & obſervari a cunctis poteſt, ſufficienti meditatione inſtructis. Hinc WALA-

FRI-

(p) Procop. de Bello Vandal. Lib. I. cap. 2. *Cutis omnibus candida* (loquitur de Vandalis, Gothis & Gepidis) *flava cæſaries, corpus procerum, facies liberalis, eædem Leges, eadem Sacra, Ariana ſcilicet, UNA demum LINGUA, quam*

Digitized by Google

FRIDUS STRABO diſerte ſcribit (q), Gothos cum adhuc in Græcia verſarentur, THEOTISCUM SERMONEM habuiſſe. Operæ pretium eſt integrum locum deſcribere: *Multa noſtros*, inquit, *quæ prius non noverant, utilia didiciſſe, præcipueque a GOTHIS (qui & GUTTONI) cum eo tempore, quo ad fidem Chriſti, licet non recto itinere* (puta Ariano dogmate) *perducti ſunt, in Græcorum Provinciis commorantes, NOSTRUM, hoc eſt, THEOTISCUM SERMONEM habuerint, & ut Hiſtoriæ* (Socratis, Sozomeni, Philoſtorgii) *teſtantur, poſtmodum ſtudioſi illius Gentis Divinos Libros in ſuæ Locutionis proprietatem tranſtulerint, quorum adhuc MONUMENTA apud nonnullos habentur.* Quibus verbis CODICEM ARGENTEUM quo Evangelium ab ULFILA Gothorum Epiſcopo in locutionis Gothicæ proprietatem tranſlatum continetur, tantum non digito monſtrat.

XLVII. Hunc Codicem Walafridus vidiſſe poterat & legiſſe. Eſt enim antiquiſſimus, atque in uſum alicujus Principis aut Regis Gothici multo ſumptu conſcriptus, quantum ex literis argenteis & reliquo ornatu magnifico colligere licet. Et niſi me omnia fallant, fuit hic Codex

d 4 ipſius

Gothicam vocamus: ita ut ad unam univerſos Gentem pertinuiſſe quondam, ac ſuorum deinde Ducum nominibus diſcretos fuiſſe, exiſtimem. Antiquæ eorum ſedes trans flumen Iſtrum.

(q) Walafrid. de Reb. Eccleſ. cap. VII.

ipſius ALARICI Regis Toloſani, cujus regnum & regiam deſtruxit & ſpoliavit CHLODOVEUS an. DVII. Argumenta, quibus hæc conjectura firmetur, cum illis conquirendis mihi nunc non vacet, opportuniori tempori & loco reſervo. Cuſtodia hujus pretioſiſſimi Monumenti, & quovis Theſauro potioris, tandem a Francorum Regibus Cœnobio Werdinenſi fuit demandata; ubi per multa Sæcula delituit. Hodie adſervatur Upſaliæ. Quo caſu quibusve Patriæ calamitatibus eo pervenerit, omnibus notum, & VOBIS adhuc alta mente repoſtum. Verum Arctoi Scriptores hac acquiſitione non contenti, conantur Gentem & Librum eadem clade involvere, & Gothos ipſos nobis eripere, CLUVERIUM, qui ſua & Patriæ immortali gloria Gothos, diu exules, Germaniæ primus reſtituit, maledictis laceſſentes, tanquam furem alienæ gloriæ (r), ne quid gravius dicam. Equidem ante Cluverium noſtros in hoc Studiorum genere aliquanto remiſſiores fuiſſe, & Græcarum magis Romanarumque, quam patriarum Antiquitatum curioſos, negari vix poteſt. Hodie vero vix unns vel alter ſi hebes eſt, ut nomen Gothicum extra Scandiam peregrinum & adventitium eſſe, perſuaderi ſibi patiatur. Obſtat enim fides & auctoritas Scriptorum vetuſtiſſimorum, PYTHEÆ, PLINII, TACI-

TI,

(r) Georg. Stiernhielm. Anti-Cluv. pag. 3.

Digitized by Google

TI, qui *Guttones* ſive *Gothones* inter Gentes Germanicas & genera Vandalorum computant, quos Gothos eſſe nimis manifeſtum eſt. Quemadmodum enim *Burgundi* (quod optime obſervatum a Cluverio) alia vocis flexione dicuntur Burgundiones, & *Friſii* Friſiones, & *Lygii* Logiones, & *Franci* Francones: Ita *Gothi* Guttones, Gothones, Gothuni, multiplici quidem variatione, ſed non adeo diſſimili, ut non iidem homines agnoſci poſſint, ſi cavillatio abſit. Igitur, ne turbetur Hiſtoria, neve populi multiplicentur in infinitum præter neceſſitatem, GOTHOS eſſe *Guttones* Plinii, & *Gothones* Taciti, nominibus tam diu credendum eſt, donec aliæ adſint cauſæ, quæ nos aliter determinent, qualis omnino eſt, quod *Gothinos* Gallica lingua coarguit non eſſe Germanos, adeoque nec Gothos, ſed homines novos in Germania, & nuper aliunde advectos. Videamus ergo quam rationem afferant Diſſidentes, & utrum digna ſit, quæ vel detur vel accipiatur? Primo præſcriptionem longi temporis & diuturnam poſſeſſionem opinioni ſuæ obtendunt. Verum quia errores præſcribi non poſſunt, aliis argumentis opus eſt, ut nos errare intelligamus. Negant deinde Gothos unquam dici Gothones, aut ſimile quid. Hoc, quia palmarium eſt, & arregantius dictum quam verius, absque reſponſione dimitti non debet. *Evolve univerſos*, inquit Anti-Cluverius, *excute cunctos, qui de Gothis aliquid ſcri-*

Digitized by Google

bunt, non CREDO, uſpiam ulli indifferenter & reciproce uſurpatum reperiri Guttonum vel Gothonum pro Gothorum nomine (s). Sed fallitur Vir doctiſſimus. Nam Gothos a Claudiano appellari *Gothunnos*, non ſemel, ſed aliquoties (t), certiſſimum eſt. Idque Vir clariſſ. D. MASCOVIUS in Hiſtoria ſua Germanica (u) ex Idatii & Marcellini Chronico, & columna Theodoſiana, inſigni Victoriæ Gothicæ monumento, tam clare demonſtravit, ut incredulitati nullum ſubterfugium ſit relictum. Claudiano jungere licet Walafridum (w), quem ſupra audivimus dicentem: *Gothi qui & Guttoni.*

XLVIII. Lingua Gothica deceſſit improlis, relictis tamen multis priſtinæ ſedis ſuæ tam in Oriente apud Præcopenſes, quam in Occidente apud Italos, Gallos, Hiſpanos, & Latino-Barbaros veſtigiis, quæ etiamſi oculos vulgi fugiant, vera tamen ſunt, & a peritis deprehendi poſſunt.

XLIX.

(s) Verba ſunt Georgii Stiernhielmii in Anti-Cluverio pag. 5.

(t) Claudian. de IV. Conſ. Honorii verſ. 624.

Auſi Danubium quondam transnare Gothunni.

Idem Lib. II. in Eutrop. verſ. 152.

\- *Oſtrogothis colitur miſtisque Gothunnis Phryx ager.*

Et paſſim alibi.

Digitized by Google

XLIX. Lingua ALAMANNICA & FRANCICA eſt omnium veterum Dialectorum noviſſima, ex omnium Gentium Germanicarum, quotquot communis libertatis contra Romanos tuendæ cauſa, in Alamannicum vel Francicum nomen & Fœdus conceſſerant, Sociali bello & mixtis idiotismis apud Herminvones nata, immenſus vocabulorum veterum, tam Celticorum, quam Friſicorum, Cauchicorum, Salicorum, Bructerorum, Cheruſcorum, Chatticorum, Sigambricorum, Hermunduriorum, & Trans-albianorum quoque Theſaurus, quæ etiamſi hodie omnia diſcerni non poſſint (multis, quæ Celtica, Saxonica, & Salica eſſe novimus, exceptis) in illo tamen tanquam ſede communi morantur & adſervantur. Voces plerumque ſunt longæ, & vel gutturalibus hiulcæ, vel diphthongis gravidæ, vel dentalibus (x) aſperæ, ſed plenæ ſenſu & majeſtate, adeo ut vix ulla tam longa ſit, cui non longitudinis ſuæ ratio conſtet. Tantum enim abeſt, ut hanc Linguam

(u) D. Maſcou *Teutſche Geſchichte* Lib. VII. §. XXX. not. 3. 4. Conf. Lib. VIII. §. VIII. not. 3.

(w) Walafrid. loc. ſupra citato lit. q.

(x) Litera Z. Alamannis & Francis fere propria eſt, dum Gothis raro, Angloſaxonibus nunquam uſurpatur. Dicitur dentalis quia dentes monſtrat, & per dentes exſibilatur, utpote ex D. & S. compoſita.

Digitized by Google

Linguam cum Otfrido Monacho incultam & Barbaram vocare auſim, ut potius mirari ſubeat, quomodo tam ſapiens & elegans dicendi genus inter ferritribaces & ſagatos oriri potuerit? Ab hoc ſermone fluxit *Noſter hodiernus* (y), qui de primæva longitudine non nihil remittit, ſed tanto ſæpe obſcurior, quo brevior eſſe cupit (z). Si jam quæratur, utra Sermonis proprietas præſtantior ſit, vetus an nova? Fateor, me hærere, non quid ſentiam, ſed quid dicam. Enim vero ſi dixero, veteres eſſe pueros, nos autem veros dicendi magiſtros, injurius ero in Veteres. Sin dixero, veteres habere fruges, nobis autem paleas relictas eſſe, omnes me exſibilabunt. Itaque hanc quæſtionem, ſi placet, VOBIS definiendam relinquo. Hoc unum addo, falli eos, qui exiſtimant, idioma, quo hodie utimur, eſſe primævum illud, quo primi Germaniæ Coloni uſi ſunt. Manifeſtum enim eſt ex antecedentibus, Linguam primigeniam, priusquam ad nos veniſſet, mutationes in via obiiſſe maximas & incredibiles, fato omnibus Linguis communi, quæ quo magis a fonte recedunt, eo magis illas mutari neceſſe eſt. Et hujus mutationis, etiamſi omnes literæ periiſſent, teſtes ſunt innumera Loco-

(y) Suevicus & Helveticus ab *Alamannico*, Palatinus, Franconicus, & Saxonicus ex *Francico*.

Locorum nomina, quæ olim erant appellativa, hodie vero non magis intelliguntur, quam Colchica aut Tartarica. Atqui quoties vocabulum fluminis, montis, ſylvæ, gentis, pagi, oppidi, villæ non intelligimus (verba ſunt illuſtris & optime judicantis Leibnitii) toties intelligere debemus, nos ab antiqua Lingua diſceſſiſſe (a). Hinc etiam vulgo verba vetera ludibrio habemus, & novis unice delectamur, imo nova quotidie confingimus, quæ magno Vernaculæ periculo inter nos graſſantur, adeo ut niſi conjunctis & ardentibus ſtudiis huic fingendi licentiæ obviam eatur, actum eſſe videatur de Lingua noſtra.

L. Reſtat, ut de GLOSSARIO meo aliquid dicam, in quo, ni fallor, Leges Etymologicas, quas ipſe mihi impoſui, ſtricte ſecutus ſum, ſemper recurrendo ad Fontes, nihil magis inverecundum exiſtimans, quam absque ſuffragio Antiquitatis de cauſis vocabulorum aliquid pronunciandi. Itaque cujusque Gentis vocabula ex ejusdem Gentis Monumentis Theologicis, Legibus publicis, Fragmentis Gloſſis, antiquis, aliisque, quæ typis impreſſa extant, indubiæ fidei documentis deſumpſi, quorum nullum eſt, quod non ſemel vel aliquoties perlegerim. *Gothica* hauſi

(z) Exemplum vide in voce *Welt.*

(a) Leibnit. in Miſcell. Berol. Tom. I. pag. 1.

Digitized by Google

hauſi ex Evangelio Gothico, jam ſæpe memorato: *Angloſaxonica* ex Evangelio Angloſaxonico, cum Gothico ſimul publicato, ex Legibus Angloſaxonicis, a Cel. Davide Wilkins editis, ex Gloſſario Ælfrici, & Lexico Somneri, & Additamentis Benſonii: *Alamannica* ex Fragmento Iſidori, & Gloſſario Keronis, quod ſuperioribus annis notis perpetuis illuſtravi (b). Et cum Franciſco Junio multa Alamannica ex Codicibus manuſcriptis, quos ego nunquam inſpexi, ſint obſervata, hæc quoque aliquando quamvis parcius immiſcui. Quoties Alamanni & Franci convenire videbantur, utroſque tanquam ejusdem ſermonis homines, conjunxi, in reliquis diſcrepantiam notavi. *Francica* decerpſi ex Monumentis Theotiſcis Otfridi, Tatiani, Willerami, & quæ illum multis ſæculis ſuperant, Gloſſis antiquis Lipſii, Boxhornii, & R. P. Pezii: *Cambrica* ex Vocabulario Antiquo-Britannico Boxhornii e Chartis Davieſianis digeſto: *Armorica* ex Antiquitatibus Celticis Abbatis Pezronii: *Islandica* ex Indice Verelii, Edda Islandorum, aliisque: *Procopienſia* ex Epiſtolis Busbequii: *Runica* ex Lexico Runico & Monumentis Danicis Olai Wormii. Cætera, hic omiſſa, Gloſſarium indicabit.

LI.

(b) Aſſervantur illæ Notæ in Bibliotheca Fritſchiana, ſupra laudata lit. ó.

LI. Quæri poteſt, cur ex immenſa vocabulorum, quæ eligi poterant, ſylva, horum potius optionem fecerim, quam aliorum? Reſpondeo, totam congeriem impetu magis quam conſilio factam eſſe. Ad electionem enim meditatione & mora opus eſt, quorum utrumque mihi denegatum erat. Igitur prout prima quæque vox in farragine occurrebat, ita a me fuit arrepta, tacta vel intacta, trita vel neglecta. Nihil enim referebat, anxie conquirere voces, ubi omnes auxilio opus habent, modo ex omnibus orationis partibus quædam ſiſterentur, ut intelligerent Lectores, me de omnibus, etiam minimis, fuiſſe ſollicitum. Fateor tamen me illas voces, quæ præ cæteris videbantur ſtabiliendo Celtismo, & firmandæ Particularum Doctrinæ inſervire, libentius arripuiſſe. Verba obſcœna & verecundiæ plena conſulto devitavi. Quædam peregrina immiſcui, uſu tamen recepta, ut obiter oſtenderem, Linguam noſtram a contagio alieno, haud omnino puram & immunem eſſe. Nomina quoque Animalium, quæ fere neglecta jacebant, in ſcenam produxi. In reliquis idem mihi accidit, quod properantibus, qui multa ſecum rapere ſolent ab inſtituto aliena. Verum & hæc boni conſuli poſſunt, quatenus prægustum præbent, quamvis præcipiti calamo exarata. Quicquid ab

aliis

aliis pulcre excogitatum eſt, paſſim laudavi. Et hunc morem, ſuum cuique tribuendi, ſervabo quoque in LEXICO concinnando, laudesque primis inventoribus debitas, non libabo tantum, ſed etiam profundam. Cui inſtituto, ut omnes faveant, opto.

LII. Interim, dum hæc ago, hunc fœtum quadrimeſtrem, inter varias ærumnas natum, imo feſtinatum, VOBIS do, dico, conſecro, nullum aliud laboris mei præſentis aut futuri præmium a VOBIS exſpectans, quam ut inter ingenia PATRIÆ nata locum aliquem mihi concedatis. Scripſi Lipſiæ, die IV. Auguſti, MDCCXXVII.

PROLE-

Digitized by Google

PROLEGOMENA

De Particulis Præpoſitivis & Poſtpoſitivis Germanorum, earumque cauſis & virtutibus.

CUm ignorantia PARTICULARUM ſæpe vocabulorum veras origines & ſignificationes inveſtigantium ſenſibus ſubducat, operæ pretium duxi, hæc PROLEGOMENA Gloſſario præmittere, ut ædificio non nulla præſtruerem, & parandis parata quædam ſubſternerem, ne poſtea animo pluribus intento minor eſſet ad ſingula ſenſus. Et hoc labore ſemel defungi conſtitui, ut provocationi locus eſſet in progreſſu Operis, & repetitiones (quarum alias nullus modus fuiſſet ac numerus) jure quodam præcluderentur.

Olim PARTICULÆ erant quaſi metu ſacræ, adeo ut nemo illas adtingere, nemo explicare auſus eſſet. Nunc autem omnes opinor intelligent, & fortâſſe cum voluptate, quanta ſit in illis virtus & ſapientia, & quam piger & ſupinus error eorum, qui eas dicis tantum cauſa vocabulis annecti hactenus crediderunt.

A. Præfix.

Duplex eſt, poſitivum & negativum, ſeu privativum.

A. *Poſitivum* ponit aliquid in re, junctumque cum alio ſignificatum auget.

Sic Gothis verborum veritas & certitudo dicitur *aſtath*, Luc. I, 4. quaſi ſtabilimentum, ab *a* auctivo, & *ſtandan* ſtare facere, quem ſignificatum ex reliquis Dialectis cognoſcimus.

Sic Francis & Alamannis ira dicitur *abulgi*, à *belgon* iraſci, perverſus *ababo* à *bab* tergum. Utrumque ab *a.* poſitivo & auctivo.

Hæc particula olim latiſſime regnavit in Lingua Anglo-Saxonica, teſte Somnero in Dictionario. Hodie ab omnibus vocabulis exulat, unico excepto *arg*, quod vide in Gloſſario.

A. *privativum* tollit aliquid ex re, junctumque cum alio negandi vim habet, plane ut *α.* Græcorum in *ἄσοφος* inſipiens, *ἀδύνατος* impotens, & aliis innumeris.

Sic Gothis columba dicitur *ahaks*, Luc. III, 22. quaſi minime adunca, ſive roſtrum ſpectes, ſive pedes, a negativo *a.* & *hake* uncus, quem ſignificatum ex aliis Dialectis cognoſcimus. Quam columbæ proprietatem pulchre deſcribit Otfridus Lib. I. Cap. XXV.

Mit ſnabilu ni uuinnit,
Oub fuazin ni krimmit.

Roſtro non dimicat,
Nec pedibus inuncat.

Sic Francis & Alam. in Gloſſis Boxhorn. exſors dicitur *ateilo*, quaſi non-particeps, a *teil* pars: & vitium in Gloſſis Keronis *achuſt*, quaſi privatio virtutis, a *chuſt* virtus.

Hodie ſuperat in compoſito *ameis* formica, quæ ſic dicitur, quaſi minime otioſa, vocabulo naturam animalis exprimente, ut videbimus in voce.

Septentrionales utuntur O. & U. Verelius in Indice: *o-viſa* inſania, *u-rikr* pauper. Græci eodem ſenſu utuntur

untur *ου*. Hinc nullus, nemo, Græce vocatur *οὔτις*, quaſi non-aliquis.

Hodie pro A. utimur *UN* in compoſitis.

AB. Præfix.

Gothis *af*, Alam. & Francis *ab*, *aba*, Anglosax. *of*, Græcis *ἀπὸ*, Lat. *ab*, *abs*. Adverbium latiſſimæ ſignificationis.

AB, adverb. ordinis, ſignificans ultimum terminum rei. Hoc ſenſu dicitur in *abthun* finire, abolere, tollere e medio, perimere, & fortaſſe etiam in *abdanken* abdicare, hoc eſt, ultimas gratias agere, *abrechnen* ſubducere calculum.

AB, adverb. loci, idem ſignificans quod Gallis *de haut en bas*. Inde *abwerts* deorſum, *abhangig* declivis, dependens, *abſteigen* deſcendere, *abfallen* decidere.

AB, adverb. loci, notans motum de loco. *Abtritt* abſceſſus, *abzug* migratio, *zum abzug blaſen* receptui canere.

AB, adverb. loci, ſignificans inde. *Abweſend* abſens, *abgelegen* longinquus, remotus.

AB, adverb. ſimilitudinis, eadem vi pollens qua *ſecundum* apud Latinos, & *d' aprez* apud Gallos. Viget in compoſitis *abbilden*, *abdruken*, *abformen*, *abgieſſen*, *abmalen*, *abſchreiben*, *abzeichnen*, & ſimilibus, quæ nihil aliud ſignificant, quam effingere, exprimere, aut deſcribere aliquid figuris, coloribus, lineis, literis, ad ſimilitudinem alterius rei, quæ vocatur Exemplar, cujusmodi eſt quævis ſpecies ad imitandum propoſita, ſive naturalis ſit ſive artificialis.

AB, adverb. intendendi, ſignificatum augens in compoſitis. Hujusmodi ſunt *abbitte* deprecatio, *ablaſs* remiſſio, *abſcheu* averſio, & verba pene innumera.

AB, adverb. remittendi: Hujusmodi eſt *abarten* degenerare, *abkommen* obſoleſcere.

AB, adverb. ſeparandi. Viget in verbis *abbrechen*,

 abzie-

Digitized by Google

abziehen, *abſchneiden*, *abhauen*, aliisque quamplurimis noti ſignificatus. Interdum *ab* ſimpliciter dicitur pro imperativo ſeparandi per enallagen verbi.

AB, adverb. negandi, idem ſignificans quod *un*. Exempla ſunt, *abgott* deaſter, *abgunſt* invidia, *abgrund* abyſſus, *abgeſchmak* inſipidus, *abhold* malevolus, infenſus, quaſi minime favens.

AB, adverb. privandi & removendi. Inde *abdeken* tollere tegumentum, *abſchäumen* deſpumare, *abſchaffen* abolere, exauctorare, *abbringen* abrogare.

AB, ſignificat decrementum in *abnemen* deficere, decreſcere, contabeſcere, quaſi capere decrementum.

AB. Subfix.

AB, imperative poſitum pro *bauw-ab*, per enallagen verbi, in compoſitione cum ſubſtantivo fit ſubfixum ſubſtantivi, quod amputandum eſt. Notæ ſunt formulæ, *band-ab*, *kopf-ab*. Eundem locum occupat in compoſitione cum adverbio *rein*, penitus. Utitur hoc compoſito B. Lutherus Pſal. CXXXVII. 7. *rein-ab*, *rein-ab*, *bis auf den boden*.

AB, adverb. loci, ſignificans deorſum. Sic vulgo dicimus *berg-ab*, verſus radices montis, incipiendo a cacumine.

AN. Præfix.

Gothis, Alamannis & Francis in quibusdam compoſitis *ana*, Angloſax. *on*, Græcis ἀνά. Adverbium latiſſimæ ſignificationis.

AN, adverb. ordinis, notans originem & principium rei, plane ut Græcis ἄνω, Latinis *ante*. Hoc ſenſu regnat in compoſitis *anherr* & *anfrau*, avus & avia, qui ſunt quaſi principes originis, unde cæteris vivendi initium: nec non in *antritt* exordium, *anfang* principium, *ankunft* primordium, *anlaſs* occaſio, *anheben* ordiri, *anſtimmen* præludere, præcinere.

Digitized by Google

An in *anbeginn* pleonaſmum facit. Nam *ginnen*, *beginnen* jam eſt incipere.

AN, adverb. copulæ: *anbinden* alligare, *anleimen* adglutinare, *annaglen* affigere, *anſezen*, *anmachen* divulſa coagmentare, *angeboren* connatus, *angenommen* adoptatus, *anhang* appendix.

AN, adverb. intenſionis: *anreizen* allicere, *anrichten* ordinare, *anzeigen* demonſtrare, *anhalten* detinere, intercipere curſum, ſiſtere motum, *angenem* gratus, acceptus.

AN, adverb. ſimilitudinis. Supereſt in ſubſtantivo *anbild* effigies, Helvetiis uſitato, nec non in verbo *anmaſſen* aſſumere perſonam, eamque ſimulare & exprimere. Utrumque vide apud Pictorium.

AN, adverb. loci, notans motum ad locum: *anlauffen* incurrere, allidere, *anbliken* intueri, *anbæten* adorare, *anlachen* arridere, *anblaſen* afflare, *anbieten* offerre.

AN, adverb. loci, notans motum in loco: *anſchreiben* annotare, *antreffen* offendere in loco vel via, *anhalten* inſtare, inſiſtere, urgere, *anbrennen* amburere.

AN, adverb. temporis: *anſtand* mora, procraſtinatio, *ich ſtehe an* hæreo, *die ſache anſtehen laſſen* protelare rem vel cauſam & tempori relinquere.

AN, adverb. qualitatis: *anſtændig* decens, *unanſtændig* indecens.

AN, Subfix.

In adverb. hortandi *wolan*, agedum. Inde Gallis *alons* per aphæreſin.

AND vel ANT. Præfix.

Gothis *and*, *anda*, Anglosax. *and*, Alam. & Francis *ant*, ſignificat contra, adverſus, plane ut Græcum ἀντὶ.

Hoc ſenſu extat in *antliz* facies, a *litan* reſpicere ſic dicta, nec non in *antwort* reſponſum. Quid enim eſt facies, niſi ſpecula humani corporis, radios ſuos in objecta undique ſpargens, dicente etiam Plauto, *adſpice*

Digitized by Google

contra me. Et reſponſum quid eſt, niſi contra-dictio, ſive ſermo qui regeritur interroganti?

AND vel ANT. Termin.

Gothis omnia participia verborum in *an* deſinentium terminantur in *ands* vel *and*, Angloſaxonibus in *end*, Alamannis & Francis in *ant* vel *ent*, plane ut Latinis in *ans* vel *ens*. Meretur hoc obſervari, quia priſci a participiis ſæpe formant ſubſtantiva, ſervata terminatione participiali.

Hinc creator Angloſaxonibus vocatur *ſceppend*, Francis & Alam. *ſceffant*, quaſi creans, a participiis verborum *ſcippan* & *ſceffan* creare, quorum illud Angloſaxonum, hoc Francorum & Alam. proprium.

Similiter ſalvator Angloſax. dicitur *hælend*, Francis & Alam. *heilant*, Germanis hodie *heiland*, quaſi ſalvans, a participiis verborum *hælan* & *heilan* ſanare, ſervare, curare. Neque ab hac opinione dimovere nos debet rhythmus Otfridi Lib. I. cap. VIII.

Er giheilit thiz lant,
Heiz inan ouh heilant.

Nam hæc verba continent potius alluſionem poeticam, quam etymologiam.

Ad participia ſubſtantivata referri quoque debent *abend* veſpera, *helfant* elephas, quæ vide in Gloſſario.

Plura exempla ſubſtantivorum a participiis orientium ſubminiſtrabunt ſubfixa D. & T.

AT Subfix.

Omnibus antiquis uſitatum, nec omnino otioſum. Eſt enim ſignum derivati, undecunque fiat derivatio.

Sic puella Gothis dicitur *magath*, Francis *magad*, a *mag* puer, plane ut Latinis puella a puero, virago a viro derivatur. Germani inde habent vocem contractam *magd*, quam vide in Gloſſario.

Sic

Sic menſis Gothis dicitur *menath*, Angloſax. *monath*, quaſi *Lunade* (ut Gallus diceret) per abſtractionem a concreto Luna, quæ illis *mena*, his *mona* appellatur. Germani hodieque vocem Angloſaxonicam cuſtodiunt, quamvis illis nec *mena* nec *mona* Lunam ſignificet. Quid autem ſit Luna, jam diximus in voce *Mond*. Unde ſimul patet, quod *monat* nihil aliud ſignificare poſſit, quam admonitionem menſtruam.

Huc etiam ſpectant, *heimat* patria, ab *heim* communis manſio, & *zierat* ornamentum, a ſimpliciori *zier* cultus, abſtracta.

Alias ornamentum dicitur *Zierde*, & in Gloſſis Pezianis *zierida*, manifeſto indicio, terminationes AT, DA, DE in ſe convertibiles eſſe, & per ſe mutuo explicari. Idem dicendum de terminatione VT & ODE, quas vide ſuis locis.

AUF. Præfix.

Gothis, Francis & Alam, *uf*, Angloſax. *up*, Belg, *op*. Adverbium latinæ ſignificationis.

AUF, adverb. temporis, in *aufſchub* dilatio.

AUF, adverb. ordinis, ſignificans ortum & initium rei. Hinc *aufgehen* oriri, *aufwachen* evigilare, *aufziehen* educare a teneris, *aufbringen* inducere aut inſtituere morem.

AUF, adverb. quantitatis: *aufeſſen* totum conſumere cibum, nihil, unde alii famem levare poſſint, relicto, *auffreſſen* devorare penitus & deglutire, ferarum in modum famelicarum.

AUF, adverb. qualitatis: *aufſein* valere, bene vel male.

AUF, adverb. intenſionis: *aufgeben* dedere, *aufhäuffen* cumulare, *aufhalten* detinere, *aufſpannen* intendere, *affahen*, *auffangen* intercipere, *aufmerken* attendere, *auflöſen* ſolvere, *aufopfern* immolare, *aufweken* expergefacere.

Digitized by Google

AUF, adverb. numeri, repetitionem ſignificans. Hinc recitare nobis vocatur *auſſagen*, quaſi denuo dicere.

AUF, adverb. loci, ſignificans motum in loco: *aufſchreiben*, *aufzeichnen* annotare, referre in tabulas.

AUF, adverb. loci, ſignificans motum de loco: *aufbrechen* iter aggredi.

AUF, adverb. loci, ſignificans coram, præſto: *aufſein vor tag* præſto eſſe ante lucum, *auſſein die ganze nacht* pernoctare.

AUF, adverb. loci, ſignificans deſuper: *aufgieſſen* ſuperfundere, offundere, *aufladen*, *auflegen* imponere, *aufligen* incumbere.

AUF, adverb. loci, ſignificans ſurſum: *auf und ab* ſurſum deorſumque, *aufſteigen* adſcendere, *aufbauen* exſtruere, *aufſtehen* ſurgere, *auffliegen* volare ſurſum de terra, *aufheben* levare, tollere in altum, *aufhenken* ſuſpendere, *aufblaſen* ſuſcitare inflando, ſufflare ignem, focum, cinerem, *aufführen* excitare e fundamento.

AUF, adverb. privandi & removendi: *aufdeken* detegere, id eſt, tollere tegumentum, *aufbinden* ſolvere ligamenta.

AUF, adverb. aperiendi: *aufthun*, *aufmachen* aperire, *aufbrechen* effringere, *aufgraben* effodere. Huc etiam refer *aufhauwen*, *aufſchneiden*, & ſimilia, quorum ſignificationes notæ ſunt.

AUF, adverb. congregandi: *aufblaſen* ſignum dare ad pugnam, *aufſpilen* ſignum dare ad tripudium.

AUF, adverb. defectus: *aufhören*, *aufgehen*, ceſſare, deficere.

AUS. Præfix.

Gothis *us*, *ut*, *uta*, Angloſax. *ut*, Alam. & Francis *uz*, Angl. *out*, Belg. *uyt*, Lat. *ex*. Adverbium latiſſimæ ſignificationis.

AUS, adverb. locale, quod præſentiam a loco excludit: *ausſchlieſſen* excludere, *ausbleiben* abeſſe, non com-

comparere, proprie ſupereſſe, ſed non coram, nec in loco.

AUS, adverb. locale, quod motum de loco includit: *ausgehen* exire, egredi, *ausfallen* decidere, item erumpere, excurſionem facere, *ausfliegen* evolare, *ausflieſſen* emanare, *ausgieſſen* effundere, *ausführen* educere, *ausſenden* emittere, *austreiben*, *ausſtoſſen* expellere.

AUS, adverb. locale, ſignificans foris vel extra, ſed citra motum. Hujusmodi eſt *ausländer* peregrinus, externus.

AUS, adverb. locale, ſignificans funditus, radicitus: *austilgen* exſcindere, *ausrotten* exterminare, *ausjætten* eruncare.

AUS, adverb. locale, ſignificans inde: *austhun* expungere.

AUS, adverb. ordinis, notans ultimum terminum rei: *es iſt aus mit ihm* conclamatum eſt de illo, *das ſpiel iſt aus* ſcena finita eſt, *ausgedient* emeritus, *ausmachen* perficere, perducere ad finem, *ausreden* ſermonem abſolvere, *ausſchlafen* dormire usque ad ſatietatem, *den rauſch ausſchlaffen* crapulam ſomno terminare, *ausbauwen* abſolvere ædificium, *austrinken*, *ausſauffen* ebibere, exhaurire.

AUS, adverb. intenſionis, augens ſignificatum: *ausbreiten* extendere, *auslöſchen* exſtinguere, *ausſpæhen* explorare.

AUS, adverb. qualitatis, ſignificans palam: *ausruffen* proclamare, *ausſchreiben* literis publicis indicere, *ausbringen* divulgare, *ausſprengen* ſpargere in vulgus, *auslegen* venale exponere. Huc etiam referri poſſunt *ausforderen* provocare, & *ausbot* provocatio publica.

AUS, adverb. ſegregandi: *ausleſen* eligere, *ausſchieſſen* ſelectum facere, *ausnemen* excipere, *ausmuſteren* exauctorare, reprobare, *austeilen* diſtribuere.

Digitized by Google

AUS, adverb. privandi: *auſmærglen* emacerare, *auſweiden* eviſcerare.

B. Præfix.

Ponitur interdum abſolute pro *be*, ut *bleiben* manere, pro *beleiben*, ſed vitioſe, & nullo apud veteres exemplo. Kero: maneat *pilibe*, remaneant *piliben*. Oritur a præfixo *pi*, & ſimplici *liben* ſupereſſe, relinqui, quod Græcis eſt λείπομαι. Huc etiam referri debet, quod *er-be-armen* vulgo contrahitur in *erbarmen*, & *be-armherzigkeit* in *barmherzigkeit*. Nam *arman* Gothis eſt miſereri, & ab hoc ſimplici cætera derivantur per præfixa & ſubfixa.

BAR. Subfix.

Hujus particulæ non una vis eſt. Primo enim ex ſubſtantivis facit adjectiva: ſecundo iis, quibus conjungitur, vim ferendi, quam antea non habebant, communicat. Ipſa hanc vim habet ab origine ſua. Nam ferre in omnibus veterum Dialectis dicitur *bæran*. Hinc ſcil. *bar* ferens, particula latiſſime regnans.

Pollet hoc ſignificatu in multis compoſitis. Sic *laſtbar*, *fruchtbar*, *zinsbar*, proprie eſt id, quod onus, fructum, cenſum fert, *dankbar* qui gratiam refert, *dienſtbar* qui officia offert, *wunderbar* qui admirationem adfert, *mannbar* quæ viro ferendo eſt, *ſonderbar* quod ſingulare quid ſecum fert. Plura non addo, quoniam ex his reliqua turba dijudicari poteſt.

Apud Priſcos rarior erat hujus particulæ uſus, ſed tamen non nullus. Gloſſ. Pez. gratioſa *danchparigiu*. Jungitur hîc particulæ *bar* particula *ig* majoris efficaciæ cauſa. Solent enim Franci & Alamanni (& hodie etiam Germani) pluribus terminationibus ſimul uti. Quod ubi fit, *bar* ſemper occupat priorem locum. Hodie pro *dankbarig* dicimus *dankbarlich*, jungentes ſubfixum *bar* cum ſubfixo *lich*, de cujus poteſtate poſtea erit agendi locus.

BAR. aliud Subfix.

Quod rebus, quibus annectitur, evidentiam tribuit. Significat enim apertum & evidens, orituſque a verbo *beran* manifeſtare, denudare, cujus multa extant veſtigia in omnibus Dialectis, quæ vide in ipſo Gloſſario. Hinc Verelio in Indice *ber* exponitur apertus. Hinc palam Angloſaxonibus dicitur *bærlice*, Anglis *barely*. Quibus conſentiunt Latina *aperio*, *aperte*, non ſono tantum, ſed etiam ſignificatu.

Atque hinc jam patet, quid ſit *bar* in *ſichtbar*, *offenbar*, & ſimilibus compoſitis. Nimirum *ſichtbar* nihil aliud eſt, quam quod viſui apertum eſt, *offenbar* quod aperte evidens.

Hujus particulæ uſus vetuſtiſſimus eſt. Gloſſ. Pez. publicis ſpectaculis *liutparlichero ſpilo*, in oculis hujus ſolis *liutpari*. Olim enim *laut* non ſolum ad aures, ut hodie, ſed etiam ad oculos referebatur, & ſignificabat, quod clarum & conſpicuum eſt.

Si quæ forte reperiantur adjectiva, in *bar* deſinentia, quæ ad neutram claſſem ab Etymologiæ ſtudioſis referri poſſunt, illa a proquinquiorum temporum Poëtis præter rationem & genium Linguæ conficta & multitudini tradita arbitror.

BE. Præfix.

Gothis & Francis ſcribitur & effertur *bi*, Alamannis *pi*, Angloſaxonibus & Belg. *be*.

Olim præpoſitio & adverbium, hodie adverbium tantum, & extra compoſitionem inſolens.

Græcis ἐπὶ valet *in*, *cum*, *juxta*, *ſuper*, *ad*.

Gothis *bi* ſignificat *in*, *pro*, *contra*, *per*, *circum*.

Keroni, Alamannorum interpreti, *pi* notat *pro*, *ſecus*, *propter*.

Hodie *be*, quod in locum τȣ̃ *bi* ſucceſſit, vix unum vel alterum ejus retinet ſignificatum. Extant tamen verba, in quibus videtur hæc quatuor denotare, (1) *juxta*, *ſecus*, (2) *circum*, (3) *ad*, (4) *in*. Exem-

Digitized by Google

Exemplum primi generis eſt *begleiten*, comitari.

Exempla ſecundi generis ſunt, *beſchneiden* circumcidere, amputare, *berennen*, *belageren* cingere copiis, cingere obſidione, *beſcheinen* circumfulgere, *begürten* præcingere, *beſteken* circumdare ſudibus, *bewinden* circumligare.

Exempla tertii generis ſunt, *beruffen* advocare, *berühren* adtingere, *beſprengen* adſpergere, *beſuchen* adire.

Exempla quarti generis ſunt, *begraben* infodere terræ, *beſchweren* incantare, *beſehen*, *beſichtigen* inſpicere.

In reliquis videtur ſignificatum intendere, cujusmodi ſunt *bedeken*, *bedenken*, *behalten*, *befeſtigen*, *bedienen*, & & ſimilibus ſine numero.

D. Subfix.

Index & medium derivationis & abſtractionis, undecunque fiat, & ejusdem valoris ut DE. T. vel TE. Sic domus, manſio Angloſaxonibus dicitur *ſeld*, a *ſaljan* divertere, hoſpitari, quod vide in voce *Sal*.

Hujus ope elementi juventa Germanis vocatur *jugend*, quaſi *jungde* per aliquam literarum transpoſitionem, a *jung* junior: virtus *tugend*, quaſi *tugde*, ab antiquo *tugan* prodeſſe: ſitus locorum *gegend*, a *gegen* contra, quaſi loca oppoſita: debitum *ſchuld*, a *ſcolan* debere, quo utuntur antiqui: incendium *brand*, a *brennen* ardere. Et ſic alia ab aliis.

In reliquis, quæ huc referri non poſſunt, D. eſt litera participialis, & nota originis ex participio. Solent enim Priſci ex participiis formare ſubſtantiva, & terminationem participialem derivatis relinquere, tanquam cuſtodem originis. Hæc una litera nos quaſi manu ducit ad permulta vocabulorum ſecreta intelligenda. Videamus primo ſubſtantiva, quæ a præſenti tempore participiorum oriuntur.

Amicus Gothis dicitur *frijonds*, Angloſax. *freond*, Alam.

Alam. & Francis *friunt*, Germ. hod. *freünd*, a participio verbi *frijon* amare, diligere, ſicut optime obſervatum Fr. Junio in Gloſſ. Goth. Similiter inimicus Gothis vocatur *fiand*, *fijand*, Angloſax. *feond*, *fynd*, Alam. & Francis *fiant*, Germ. hod. *feind*, a participio verbi *fien* odiſſe, quod habet Kero in Gloſſis.

Sic etiam Germanis a *wehen* flare derivatur *wind* ventus: a *baren* ferre *pferd* equus: a *manon* monere (quod habent veteres) *mond* luna: ab *haban* tenere (quod habent veteres) *hand* manus: ab *huntian* venari (quod habent veteres) *hund* canis.

Nec deſunt illis præteriti temporis derivata. Nam ab Angloſaxonico *cennan* generare, ejusque præterito participiali *cenned* genitus, fit Germanis ſubſtantivum *kind* puer, infans, gnatus. Plura exempla ſuppeditabit memoria conſiderantibus.

DE. Subfix.

Index & medium derivationis & abſtractionis, undecunque fiat.

Gothi habent *tha*. Hinc illis ab *hauh* altus, derivatur *hauhitha* gloria. Plura exempla ſubminiſtrabit Subfixum TE.

Angloſaxones utuntur *de*, ſed parcius. Sic illis a *theof* fur, fit *theofde* furtum.

Alamanni, qui alias duriores ſunt cæteris in ſcribendis & enunciandis vocibus, delectantur hic, perinde ut Franci, particula molliore *da* in permultis derivatis, cujusmodi ſunt, *chundida* notitia, *farſtantida* intelligentia, *rheinida* mundities, *luſtida* delectatio, quæ vide apud Keronem in Gloſſis.

Interdum etiam adhibent particulam *di*, ut in *purdi* onus, *ſculdi* noxa & ſimilibus.

Germani hodierni imitantur Angloſaxones, dum ejusdem particulæ ope permulta producunt derivata: cujusmodi

modi ſunt, *freude* gaudium, a *freüen* lætari: *wærmde* calor, a *wærmen* calefacere: *bürde* onus, à *bæren* ferre: *gemælde* opus pictum, à *malen* pingere: *fede* inimicitia, a *fien* odiſſe, quod habent veteres.

DER. Subfix. Vide TER.

E. Præfix.

Duplex eſt, negativum & intenſivum. Prius in adjectivo *emſig*, poſterius in ſubſtantivo *eber*. Utramque vocem dabit Gloſſarium.

E. Subfix.

In quibusdam eſt derivationis, in plerisque generis tantum ſignum. Nam deſinentia in E. plerumque fœminina ſunt, ſicut ea, quæ apud Græcos & Latinos in η. & a. terminantur. Datur tamen exceptio a Regula.

EI. Subfix.

A Gothis profectum, nec omnino otioſum. Gothis enim notat vel abſtractionem vocis a concreto: ut in *magathei* virginitas, quod eſt a *magath* virgo, & *managei* multitudo, quod eſt a *manag* multus: vel ſimplicem derivationem. Talia videntur eſſe, *dalei* vallis, quod eſt a ſimpliciori *dol* locus humilis, quo Cambri hodie utuntur: & *andei* finis, quod eſt a privativo *and*.

Germani ejusdem particulæ miniſterio multa formant abſtracta, cujusmodi ſunt, *abgötterei* idololatria, *heuchelei* ſimulatio, *zauberei* magia, *malerei* pictora, *reiterei* equitatus, *rauberei* latrocinium. Habent & ſimplex derivatum *lakei* curſor, a *læken* currere.

Francis & Alamannis particula *i.* vel *ii*, eundem geminumque uſum præſtat, quem Gothis *ei*. Hinc qualitas Keroni dicitur *huuialihhy*, a *huuelih* qualis, & ira *abulkii*, a *belgan* iraſci.

EIN.

EIN. Præfix.

Omnes Antiqui habent *in*. Significatus eſt plerumque localis, & æquipollens Latino *in*, *intus*, *intro*, cum motu in loco conjunctus, ut patet ex compoſitis *einſchreiben* referre in librum vel catalogum, *einblaſen* inſpirare, *eingraben* inſculpere, & aliis ſine numero.

In aliis ſignificat locum ambientem, & explicatur per circum vel intra. Hujus generis ſunt *einfaſſen* circumdare, *einſchrænken* intra limites cohercere.

EIN. aliud Præfix.

Ab Alamannis profectum, idem ſignificans quod *ob*, *contra*, *adverſus*. Kero Alamannorum interpres in Gloſſis: obſtinatus *einistritter*, contumax *einstreiter*, zelotypus *einsneller*. R. Maurus: pertinax *einuuillig*. Superat Germanis in vocibus *einrede* interpellatio, *einſpruch* ablocutio. In quibus *ein* explicatur per *gegen* vel *wider*. Græcis ἀνὰ interdum idem ſignificat, ἀνὰ ποταμὸν πλέειν adverſus flumen navigare.

EL. Subfix.

Signum & medium derivationis. Gothi habent *il*, Angloſaxones *el*, Alamanni & Franci *al*, *el*, *il*. Sic parvus, exilis Gothis dicitur *leitil*, Angloſax. *lytel*, Francis & Alam. *luzel*, & *luzil*, Germ. *lützel*. A ſimpliciori *lyt*, quod cuſtodiunt Islandi, quibus *lytt*, *midur*, *minſt* eſt parvus, minor, minimus.

Similiter ab *atta* pater, nobilis Angloſax. vocatur *æthel*, Alam. & Franc. *edil*, Germ. *edel*, quaſi patritius.

Ab *egg* acies, derivantur *igel* & *egel*, quæ vide in Gloſſario: ab *eiche* quercus, *eichel* glans: a *fliegen* volare, *fliegel* ala: a *wachten* vigilare, (quod habent veteres) *wachtel* coturnix, ob migrationem nocturnam, & quod ſe noctu excitent, admoneantque itineris, ut Plinius ſcribit.

EM,

EM. Præfix.

Novum, & ex antiquiori *ent* corruptum. Significat *in* in *empor* & *empören*. Nam *empor* proprie eſt in altum, & *empören* inſurgere. Conſentientibus Latinis, quibus *im* pro *in* ſæpe ponitur in compoſitis. In reliquis, cujusmodi ſunt *empfahen*, *empfinden*, *empfehlen*, videtur ſignificatum intendere.

ENT. Præfix.

Gothis *and*, *anda*, Angloſax. *and*, *un*, Alam. & Francis *ant*, *ent*, *int*, *an*, *in*, Belgis *ont*. Extra compoſitionem nullum, in compoſitis varium & ampliſſimum habet ſignificatum.

ENT, idem quod *ant*, contra. Superat in *entſagen* renunciare.

ENT, idem quod *in*: In duas partes *entzwei*, in contrarium *entgegen*.

ENT, idem quod *an* locale cum motu in loco. Hinc accendere animos hominum dictis utrovis modo dicitur *entzünden* & *anzünden*.

ENT, ſæpe privativum eſt. Sic *entrüſten*, *entehren*, *entwaffenen*, *entkleiden*, *enterben*, *entleiben*, *enthaubten*, nihil aliud ſignificant, quam privare aliquem tranquillitate, honore, armis, veſtimentis, hæreditate, vita, capite. Quibus addi poſſunt, *entwönen* deſueſcere, a conſuetudine abducere, *entſpænen* ablactare, privare ubere.

ENT, ſæpe ſignificatum auget, ut in *entſcheiden* dirimere, *entſchlieſſen* decernere, *entblöſſen* denudare, *entbrennen* exardeſcere, *entgelten* luere, reddere pœnam, *entfremden* abalienare.

ENT, ſono & ſignificatu convenit cum Latino *inde*, in ſequentibus vocabulis: *entlegen* remotus, procul inde ſitus, *entführen* abducere, *entfliehen* aufugere, *entweichen* excedere.

ENT,

Digitized by Google

ENT, ſono & ſignificatu convenit cum Latino *ante.* Inde eſt, quod prævenire infortunium nobis æqualiter dicitur *entkommen* & *bevorkommen*, & evitare periculum *entgehen*, *entrennen*, quaſi antevertere abitu & rapido curſu,

ENT, interdum idem valet quod *los.* Sic dimittere nullo diſcrimine dicitur *entlaſſen* & *loslaſſen.* Similia ſunt, *entſetzen* liberare obſidione, *entbinden* ſolvere ligamenta.

ENT, idem quod *ab* ſeparandi. Hinc promiſcue utimur *entziehen* & *abziehen* pro ſubtrahere, *entſchütten* & *abſchütten* pro excutere vel decutere, *entſetzen* & *abſetzen* pro exauctorare.

ENT, idem quod *ab* intendendi. Sic abſtinere dici indifferenter poteſt *enthalten* & *abhalten.* Nam abſtinentis eſt tenere & cohibere animum. Hinc Alamanni apud Keronem in Gloſſis abſtinere vocant *kehaben*, ab *haben* tenere, abſtinentiam in continentia collocantes, quod etiam faciunt Latini. Si quis tamen malit præfixum *ent* in hac voce ad priorem claſſem revocare, quatenus abſtinentes animum retrahunt a placitis, per me licet.

ENT, adverb. ordinis, ſignificans ortum & principium rei, fontium & fluminum in *entſpringen*, arborum in *entſprieſſen*, aliarum rerum in *entſtehen.*

ENT, adverb. ordinis, ſignificans ultimum terminum rei. Huc ſpectat *entſchlaffen* diem ſupremum obire.

ER. Præfix.

Solis Alamannis & Francis proprium, & per omnes vocales *ar*, *er*, *ir*, *or*, *ur*, auditum, variæ & latiſſimæ ſignificationis.

ER, ſono & ſignificatu convenit cum particula Antiquo-Britannica *ar* ſuper, quæ ſuperat eo ſenſu apud Cambros & Armoricos, Linguæ iſtius antiquiſſimæ cu-

 ſtodes.

ſtodes. Hinc *Armorica* ſic dicitur quaſi ſupra-mare, a *mor* mare, & *Arelate* ſupra-paludes, a *llaid* cœnum, vet *llaith* humidus. Viget adhuc hoc ſenſu in multis compoſitis apud Germanos. Hinc inſolentius ſe efferre ſuper alios, promiſcue dicitur *ſich erheben* & *ſich überheben*, ſupervivere ſive vivendo ſuperare *erleben* & *überleben*, conſcendere *erſteigen* & *überſteigen*.

ER, Alamannis & Francis ſignificat *ex*. Kero in Gloſſis: ex *er*, ex alio *er indremu*, ex hoc *erdiu*, ex illo *er einemu*, e lege *er euu*, exinde *erdiu*, ex integro *er alongi*, ex rebus *er rachom*. Qui ſenſus, etiamſi ab uſu hodierno videatur alienus, ſuperat tamen in multis compoſitis, in quibus *er* idem ſignificat quod adverbium ſegregandi *aus*, ex, ut patet ex verbis *erwehlen*, *erkieſen*, *erleſen*, quæ recte explicantur per *auswehlen*, *auskieſen*, *ausleſen*, quoniam electio fit ex multis. Quando vero *er* & *aus* in una eademque voce ſimul combinantur (ſolent enim Germani non ſubfixa ſolum ſed etiam præfixa more Antiquorum cumulare) ut fit in *auserleſen* & *auserwehlt*, quo ſignificatur is, qui valde egregius eſt, & præ cæteris multis electus, tunc præfixum *aus* vel ſenſum intendet, vel certe reddet abundantiorem, quod ſæpe fit ornamenti cauſa, cum apud Græcos tum apud Latinos.

ER, ſæpe eſt particula intenſiva, ſenſum reddens fortiorem, plane ut ἐρ apud Græcos. Ad hanc claſſem ſpectant, *erhalten* ſervare, *erretten*, *erlöſen* liberare, *erquiken* reficere, *ergeben* dedere, *ergreiffen* arripere, *ernæhren* ſuſtentare, *erkennen* agnoſcere, & alia ſine numero.

ER, idem quod adverb. aperiendi *auf*. Hinc indiſtincte dicimus *erbrechen* & *aufbrechen* pro effringere, vel aperire rumpendo.

ER, idem quod locale *auf*, quatenus ſurſum denotat. Sic ſurgere, quando de mortuis ſermo, dicitur *erſtehen*, quando

quando de viventibus *aufſtehen*, & ſuſcitare mortuos *erweken*, viventes vero *aufweken*. Revera autem idem eſt ſurgendi & ſuſcitandi actus, ſive fiat e lecto, ſive e ſepulcro. Hinc utrumque præfixum conjungitur in *auferweken*, & *auferſtehen*, & tribuitur mortuis per pleonaſmum.

ER, adverb. ordinis, ſignificans initium rei, plane ut *auf*, ejusdem qualitatis adverbium, per quod etiam explicatur. Hinc *erbauwen* & *aufbauwen* idem eſt quod exſtruere e fundamento, *erziehen* & *aufziehen* educare a teneris, *erwachen* & *aufwachen* evigilare e ſomno. Utrumque præfixum conjungitur in *auferziehen*, quod ſenſum reddit redundantem.

ER, aliud adverb. ordinis, ſignificans ultimum terminum rei. Huc referri debent, *erſchlagen*, *erſtechen*. Nam *ſchlagen* & *ſtechen* cum augmento initiali *er*, eſt ita percutere atque ita fodere, ut mors inde ſequatur. Huc etiam ſpectant quædam mentis actiones, cujusmodi ſunt, *ergründen* perſcrutari funditus, *erſchöpfen* exhaurire cogitando.

ER. Subfix.

In nominibus officiorum haud nuda terminatio eſt, ſed eundem ſenſum admittit, quem *vir* Latinorum, *wair* Gothorum, *wer* Angloſaxonum, & *ur* Cambrorum. Hinc Pezronius in Antiquitatibus Celticis haud male judicat, piſtorem Germanis dici *beker*, quaſi virum panis, a *bek* panis, vocabulo Phrygio ſecundum Herodotum. Equidem in omnibus Dialectis hodiernis vocabulorum in *er* deſinentium nullus eſt numerus, quæ vero alibi in iisdem Dialectis terminantur in *man*, quod eſt nomen hominis vel viri in univerſo Germaniſmo. Sic nauta Belgis vocatur *ſchipper* & *ſchipman*, Anglis arator *plower* & *plowman*, Germanis bellator *krieger* & *kriegsman*, mercator *käuffer* & *kauffman*, operarius *arbeiter* & *ar-*

beitſman. Imo etiam eques, qui hodie dicitur *reiter*, olim dicebatur *reitman*. Gloſſ. Pez. equeſter *reitman*, eques *reitman*.

Eadem particula nominibus locorum adjecta, ſignificat incolam vel popularem ejus regionis aut urbis, cui adijcitur. Sic ab *öſterreich* auſtriacus dicitur *öſterreicher*, a *Leipzig* Lipſienſis *leipziger*.

Ipſa particula videtur deſumta a pronomine *er*, ille, ipſe. Quod, ubi abit in Subſtantivum, virum vel perſonam ſignificat. Latini utuntur particula conſona *or*, Galli *eur*, in permultis compoſitis.

ER. aliud Subfix.

Comparativis proprium, Angloſax. *er*, *era*, *or*, Franc. & Alam. *er*, *ir*, *or*, *ur*, Lat. *or*, Græc. *ερος*.

Extra compoſitionem ſignificat præ, prius, ante. Kero in Gloſſis: prius *er*, ante ſolis occaſum *er dera ſunnun ſedalkange*. Idem Gothis *air*, Angloſax. *ar*, Belg. *eer*, Angl. *ere*. Eundem ſignificatum obtinet, quoties fit adjectivum. Tunc enim anteriorem, potiorem, & priorem ſignificat. Quod adeo verum, ut aliquando nominibus virorum honoratiorum conſueverit præmitti.

Germani utuntur miniſterio ejus in formandis comparativis, cui negotio nulla aptior erat particula. Nam poſitivo juncta, ex poſitivo ſtatim facit comparativum, hoc eſt, anticum & ſibi ſimilem, totique compoſito præcellentiam ſupra poſitivum communicat, quam ante conjugium cum illa non habebat. Vi hujus particulæ *beſter* eſt præſtantior bonus, *gelehrter* præſtantior doctus. Unde de reliquis judicium ferri poteſt.

FACH. Subfix.

Numeralibus proprium, in quibus idem ſignificat quod Latinis *vices*, Gothis *ſintha*, Angloſax. *ſithon*, Francis & Alam. *ſtunt*, Belgis *reiſen*, Germanis alias *mal*. Res exemplo

Digitized by Google

exemplo fiet manifeſtior. Septies Latinis dicitur *ſeptem vicibus*, Gothis *ſibunſintha*, Angloſax. *ſeofunſithon*, Franc. & Alam. *ſibunſtunt*, Belgis *zevenreiſen*, Germ. *ſibenmal*.

Similiter ſemel ſive ſimplex dicitur *einfach*, ab una vice, decies vel decuplus *zehenfach* a dena vice, centies vel centenus *hundertfach* a centena vice. Quamvis nullo apud veteres exemplo, qui, uti vidimus, aliis utuntur vocibus ad hunc ſenſum exprimendum.

Origo particulæ eſt vel a Latino *vice*, vel a Cambrico *ffaig* vice. Utrique ſono & ſignificatu reſpondet.

FT. Termin.

Cum litera terminalis T. ſola ſufficiat ad formandas derivationes, ut poſtea videbimus, ratio reddenda eſt, cur F. illi aliquando præfigatur. Hoc autem non fit apud Antiquos, niſi ubi labialis præcedit. Amant enim labiales non ſolum jungi inter ſe, ut MB. & MP. ſed & mutari in F. ut MP. in MF. aut certe illam ſibi ſociare, unde poſtea exiſtunt PF. MPF. & MF. partim in capite, partim in medio, partim in fine vocabulorum, quod exemplis demonſtrare, hic nimis longum foret. Utuntur hac literarum ſtructura inprimis Gothi, Franci & Alamanni (nam Saxones hoc refugiunt) in formandis quibusdam Subſtantivis.

Hinc aſſumptio Gothis vocatur *andanumft* Luc. IX. 51. ab *andniman* recipere, participatio Keroni *teilnumft*, a *teilnemen* participare, & conventus *zumft*, quaſi *zuaqumft*, a *zuaquemen* advenire. Hodie adventus dicitur *zukunft*, & conventus opificum *zunft*, utrumque vitioſe, cum deberemus dicere *zumft* & *zukumft*, ob radicem *queman* venire, hodie *kommen*.

FÜR. Præfix. Vide VOR.

G. Præfix.

Sæpe abſolute ponitur pro *ge*, per eliſionem vocalis, ut *gleich* pro *ge-leich*, *glauben* pro *ge-lauben*, *glid* pro *ge-lid*, *glimpf* pro *ge-limpf*, *gunnen* pro *ge-unnen*, *be-gleiten* pro *be-ge-leiten*, *verganten* pro *ver-ge-anten*.

GE. Præfix.

Gothis *ga*, Angloſax. *ge*, Alam. *ka*, *ke*, *ki*, *chi*, Francis *ge*, *gi*. Cujus uſus exiguus, quamvis non nullus.

GE, utimur tanquam ſigno & medio faciendi collectiva: hujuſmodi ſunt, *geſtirn* aſtra, *gebeine* oſſa, *geſtraüch* dumetum, *geſchmeiſs* inſecta, *gewürm* reptilia, *getraide* frumentum, *gebürge* montana, *geſchmeide* fabrilia, *gefilde* campeſtria, *getrænke* ſorbilia.

GE, ſignificat aliquando prope. Hinc prope ſitum vocatur *gelegen*, non nobis ſolum, ſed etiam antiquis. Gloſſ. Pez. propior *gileganero*. Hinc opportunitati & cuivis occaſioni nomen *gelegenheit*, quia prope ſita eſt.

GE, eſt nota præteriti in verbis: ſed infinitivo præfixum, plerumque inutile ornamentum eſt, & ſignum nihil ſignificans, niſi quod aliquando videtur ſenſum augere.

GE, in reliquis vocabulis eſt particula plerumque otioſa, principem tenens locum, ornatus potius quam officii cauſa, utpote quæ ſalvo & integro ſenſu abeſſe & adeſſe poteſt, cum in illis nec præpoſitio ſit, nec adverbium, nec ullam orationis partem conſtituat, & antiquitate magis quam utilitate ſe commendet.

HAFT. Subfix.

A Francis & Alamannis nobis relictum. Origo particulæ eſt a notione tenendi. Nam tenere Gothis, Franc. & Alam. dicitur *haban*, Angloſax. *hæbban*, Germanis

manis hodie *heben*. Ab hoc primitivo quicquid tenet vel tenetur, apud Antiquos nomen invenit *haſt*. Hinc Angloſaxonibus manubrium, quod tenetur, & vinculum, quod tenet, uno eodemque vocabulo dicitur *hæſt*. Hinc Keroni moderatio vocatur *mezhafti*, quia modum tenet, & occupatus *pihafter*, quia detinetur. Utriusque ſignificationis virtutem ſervat etiam hodie particula *haſt*, quæ jam active, jam paſſive ponitur in compoſitis.

HAFT, notat detentionem, ſeu, quod idem eſt, impedimentum. Hinc impedimenta legitima vocantur *ehaften*, quod vide in Gloſſario.

HAFT, ſignificat tenacem ejus rei, cui annectitur, virtutis in *tugendhaſt*, veritatis in *warhaſt*, honeſti in *ehrhaſt*.

HAFT, ſignificat detentum in compoſito *breſthaſt*, morbo detentus.

HALB. Subfix.

Antiquis duo ſignificavit, latus vel plagam lateris extra compoſitionem: & reſpectum ad plagam in compoſitione. Prius demonſtravimus in Gloſſario: Poſterius adparet ex ſequentibus Gloſſis Boxhorn. *nordhalba* aquilonem, ſeptemtrionem, *ſundhalba* auſtrum, meridiem, ſubintellige verſus. Hoc ſenſu etiamnum dicimus, *auſſerhalb* extra, *innerhalb* intra, *oberhalb* ſuperne, *unterhalb* inferne, *allenthalben* ubique.

HAND. Subfix.

Vitiatum ex antiquiori *kund* vel *chund*, quod in omnibus veterum Dialectis ſignificat genus in compoſitione, divinum quando Deo, cœleſte quando cœlo, terreſtre quando terræ, maſculinum quando viro jungitur. Hinc divinus Alamannice dicitur *cotchund*, quaſi divini generis: cœleſtis Gothice *himinakunds*, quaſi cœleſtis generis: terreſtris Angloſaxonice *eorthcund*, quaſi terreni generis.

 Itaque

Itaque *kund* vel *chund* in compoſitione idem omnino eſt, quod *kun*, *cynn*, & *chunn* extra compoſitionem in iisdem Dialectis, hoc eſt, genus. Atque hinc jam patet, quid nobis proprie ſit *allerhand*. Nam ſi verbum verbo reddas, nihil aliud ſignificabit, quam omnis generis. Et hanc eſſe veram vocis interpretationem, ipſe populus teſtatur.

HEIT. Subfix.

Olim extra compoſitionem ſignificavit perſonam. Iſiodorus Hiſpalenſis pag. 244. *der ander heit Gotes*, perſona Dei ſecunda. Gloſſæ Keron. perſona *heit*, perſonarum *heito*. Gloſſ. Pez. perſonæ *heite*. Hodie extra compoſitionem obſoleſcit, in compoſitione vero ſignificatus habet conſentaneos, cum relatione ad perſonam ejusque qualitates.

HEIT, eſt perſona abſtracta, naturam perſonis ſingularibus communem ſignificans. Hinc humana natura Otfrido vocatur *gomeheit*, a *gomen* vir, nobis hodie *menſchheit*.

HEIT, ſignificat affectiones perſonarum, bonas vel malas, corporis & animi. Sic humilitas Keroni vocatur *deoheit*, a Saxonico *theow* ſervus. Similiter ſapientia nobis dicitur *weisheit*, ſtultitia *thorheit*, bonitas *gutheit*, malitia *bosheit*, pulcritudo *ſchönheit*. Latinis quoque ſolemne eſt, *perſonas* dicere non ipſos ſolum homines, ſed etiam affectiones, quibus diſtinguuntur.

HEIT, ſignificat ſtatum perſonarum, bonum vel malum. Sic militia Keroni dicitur *chamfheit*, & virginitas ſive ſtatus virginalis Tatiano *magadheit*, VII. 9. nobis libertas *freiheit*. Plura exempla vide in KEIT.

HEIT, ſignificat perſonam publicam, ſive magiſtratum. Exemplum vide in KEIT.

HEIT, interdum eſt perſona multitudinis. Hinc omnes Chriſtiani ſimul ſumti, ſive tota Reſp. Chriſtianorum, quatenus pro una perſona ſumitur, vocatur *Chri-*

Chriſtenheit, non nobis ſolum, ſed etiam antiquis. Jam enim interpreti Iſidori Eccleſia Chriſtiana appellatur *dhera Chriſtinheidi chirühha* pag. 269.

HEIT, in reliquis, quæ ad ſuperiora genera referri non poſſunt, eſt proſopopoeia ſive fictio perſonæ, a Francis & Alamannis, poſtquam Logica & Rhetorica uti cœperunt, licentius introducta. Hinc Gloſſæ Keronis conſuetudinem vocant *keuuonaheit*, munuſcula *manaheit*: nos veritatem *warheit*, evidentiam *klarheit*, obſcuritatem *dunkelheit*, occaſionem *gelegenheit*, & alia ſine numero, in quibus particula perſonali *heit* utimur tanquam medio ex concretis faciendi abſtracta.

HIN. Præfix.

Francis & Alamannis *hina*, ſed in compoſitis tantum. Alias *hin* ſignificat inde, eſtque adverbium loci & motus de loco in locum, ut patet ex loquendi formulis, *hin und her* hinc inde, *hinab* deorſum, *hinauf* ſurſum: imo etiam temporis, præſertim futuri, ut ſuadent formulæ, *forthin* inpoſterum, *immerhin* perpetim. Quando vero obit munus præfixi, tunc eſt adverbium ordinis, ſignificans ultimum terminum rei. Hinc Tatiano mors, quæ eſt ultima linea rerum, vocatur *hinafart*, IX. 3. Ad hanc claſſem ſpectant, *hintrit* obitus, exceſſus e vita, *hinrichten* interficere, necare, *er iſt hin* periit. Inde fortaſſe Sorabis *hinu*, *hinem* pereo, intereo.

ICHT. Subfix.

An vetus ſit dubito: Videtur tamen ab antiquis parentibus ortum. Nam Gothis *waiht* eſt aliquid, *niwaiht* nihil. Idem Angloſaxonibus *wiht* & *nawiht*, ſcriptoribus Francis & Alam. *uuiht*, *uueht*, & *niuuiht* ſive *neor uueht*. Poſteri ſublata prima litera retinuerunt *iht* (quod olim pronunciabatur ut *icht*) ſed in compoſitis tantum, priſtino tamen ſignificatu, hoc ſaltim diſcrimine

ne, quod in formandis adjectivis ſignificet hoc aliquid. Itaque natura ſua omnibus rerum formis Protei inſtar ſe accommodat, & ſubſtantiva, quibus annectitur, in adjectiva ejusdem aut ſimilis naturæ convertit. Hinc ſubſtantivo *berg* juncta producit ſignificationem montoſi, & adjecta ſubſtantivo *fels*, petroſi. Idem de aliis quoque vocabulis, quibus annecti ſolet, ſentiendum, cujusmodi ſunt *fleiſchicht* carnoſus, *flekicht* maculoſus. Vulgo montoſus dicitur etiam *bergechtig*. Haud male. Nam ſi verbum verbo reddas, denotabit, montium aliquid habens.

IG. IGER. Subfix.

Gothi habent *ags* & *eig:* Angloſaxones tantum *ig:* Franci & Alamanni ad imitationem Gothorum *ag*, *eg*, *aker*, & ad imitationem Angloſaxonum *ik*, *ig*, *iger:* Septemtrionales *ugr*.

Res exemplo illuſtranda eſt. Gothis dives, beatus dicitur *audags*, Angloſax. *eadig*, Francis & Alam. *odag*, *odeg*, *otaker*, Lexico Run. *audugr*. Cuncta a ſubſtantia, quæ variantibus dialectis dicitur *aud*, *ead*, *od*, vel *ot*.

Noſtra terminatio eſt a Francica vel Alamannica *ig*, & *iger:* Quarum prior ex uſu noſtro ſubſtantivis, altera adjectivis propria eſt.

Origo particulæ eſt a notione habendi, tenendi, vel poſſidendi. Nam habere, tenere, poſſidere Gothis dicitur *aigan*, Angloſax. *agan*, Alam. & Francis *eigan*, Island. *eiga*, Græc. ἔχειν. Inde nimirum eſt *ag*, *eg*, *eig*, *ig*, *aker*, *iger*, & *ugr*, in omnibus Dialectis, id eſt, habens, tenens, poſſidens.

Hoc ſenſu Germanis Rex appellatur *könig*, ſive *künig*, ab obſoleto *kun* genus, quaſi genus habens antiquum, & dignum tanto generi animum generoſum: nummus *pfennig*, a Cambrico *pen* caput, quia capite ſignatus eſt.

Eodem ſenſu paucus dicitur *weniger*, quaſi defectum habens, a *uuan* defectus: anniculus *jæhriger*, quaſi annum

num habens, a *jahr* annus: temperans *mæſsiger*, quaſi modum tenens, a *maſſe* modus: promtus *williger*, quaſi voluntatem agendi habens, a *wille* voluntas: egenus *dürſtiger*, quaſi opus habens, a *durſt* opus: beatus *ſeliger*, quaſi bonum poſſidens, a *ſel* bonum. Beati enim poſſidentes. Vide Gloſſarium in voce.

IGER, aliud Subfix.

Origine, uſu, & ſignificatione a præcedenti diverſum.

Oritur a verbo Alamannico *augan* apparere, quod vide apud Keronem in Gloſſario. Hodie dicimus compoſite *eräugen*, eodem ſenſu: *hieraus eräuget* hinc apparet, *es eräuget ſich eine gelegenheit* offert ſe occaſio. *Ab aug* oculus, quoniam id quod apparet, oculis conſpiciendum objicitur.

Regnat tantum in adjectivis, & in his pro exigentia rei modo apparentem, modo appariturum, modo eum qui olim apparuit, ſignificat, omnibus temporibus æque obtemperans.

Inde eſt, quod hornus dicitur *heürig*, qui hoc anno apparet, veteranus *fernig*, qui ſuperiore anno apparuit, venturus *zukünſtig*, qui poſtea apparebit.

IN. Præfix.

Alias præpoſitio eſt, quæ in omnibus derivatis & compoſitis intimum rei ſignificat, ut patet ex *innen* intus, *inner* intra, internus, *innwendig*, *innerlich* idem, *inngedenk* intime memor, & ſimilibus, quæ a ſitu interno nomen habent. Quando vero officio fungitur præfixi, tunc eſt adverb. intenſionis, quod ſenſum reddit valentiorem. Hujus generis compoſita ſunt, *inſtandig* inſtanter, *inhalten* ſiſtere curſum vel motum.

ING. Subfix.

Idem quod IG, primi generis, utpote ex illo factum per

per epentheſin, ſicut *geWand* ex *geWat*. Neque ullum præterea ſecretum in hac particula eſt. Hinc Rex Angloſaxonibus promiſcue dicitur *cynig*, *cyning*, & contracte *cyng*; & nummus *penig* & *pening*. Idem obſervare licet circa has voces in idiomate Francico & Alamannico.

ING. aliud Subfix.

Angloſaxonibus & Francis uſurpatum, cujus originem adhuc quæro. Significatus varius eſt & diverſus, pro rerum, quibus annectitur, varietate.

ING, in nominibus manſionum, urbium, & regionum ſignificat terram. Sic terra domicilii B. Virginis Otfrido vocatur *heiminge*, Lib. I. cap. XXI.

Thia muater ouh bibringe
Zi iro heiminge.

Matrem quoque reduc
Ad terram domicilii ejus.

Ob eandem particulam *Lothringen* recte exponitur terra Lotharii, & *Memmingen* terra materna. Ideoque cuidam de ſolo natali curioſius ſciſcitanti reſponſionis loco dedi illud Delphici Apollinis de Homero effatum:

Quid patriam quæris? Mihi MATRIA, non
patria ulla eſt.

ING, in nominibus Gentiliciis ſignificat gnatum. Ita *Bryning* Angloſaxonibus eſt Brynæ filius, *Kipping* Cippi filius. Plura exempla ſubminiſtrabit deſideranti Cel. Hickeſius in Diſſert. Epiſt.

ING, in nominibus appellativis interdum idem valet quod *anke*, juvenis, adoleſcens. Sic puer nobilis Angloſaxonibus dicitur *ætheling*, Otfrido *ediling*, Anglis *adeling*. Cujus ſynonymum apud Germanos *edelknab*.

ING, in nominibus animalium ſignificat unum ex illa ſpecie, unde fit denominatio. Sic anniculum omnium animalium domeſticorum, præcipue ovium & porcorum

Digitized by Google

corum, olim vocabant *friſking*, quaſi unum ex recentibus. Quam vocem poſtea uſus animalibus domeſticis ſubduxit, & porcis ſilveſtribus propriam dicavit. Similiter halecula dicitur *hering*, quaſi unus ex illis qui exercitum ſequuntur. Eſt enim piſcis gregarius, nunquam ſolus natans, ſed ſemper cum exercitu, unde etiam nomen trahit.

ING, interdum novitatem rebus communicat, idemque eſt, quod Islandis *ing*, *ingre*, novus, recens, junior, unde etiam ortum videtur. Exempla vide in LING.

ISCH. Subfix.

Incompertæ ſignificationis, ſed uſu vetuſtiſſimum. Jam enim occurrit apud Tacitum in nomine Conditoris Gentis Germanicæ antiquiſſimo TUTISCO, nec non in nominibus *Cheruſcorum* & *Nariſcorum*. Gothi habent *isk*, Angloſax. *isc*, Franci & Alam. utrumque, & auxilio ejus formant non adjectiva tantum, ſed etiam ſubſtantiva. Hinc familia Keroni dicitur *hiuuiske*, quam vocem etiam agnoſcunt Angloſaxones, ab *hiwe* domus. Plura exempla ſubminiſtrabit Subfix. SCH.

Hodie ſuperat in ſubſtantivo *harniſch* lorica, quod vide in Gloſſario, & adjectivis *kindiſch*, *weibiſch*, *knechtiſch*, aliisque innumeris.

K. Subfix.

Veteres utuntur hac litera ejusque cognata *c.* vel *ch.* tanquam medio & ſigno derivationis. Hinc a *ſcolan* debere (quod Alamannis cuſtoditum) ſervus Gothis dicitur *skalks*, Angloſax. *ſcealc*, Keroni *ſcalch*, quaſi obnoxius, quia ſervum oportet imperata facere, ut diximus in Gloſſario. Huic ſimile eſt *falk* falco, a *fallen* proſternere ſic dictus.

KE. Subfix.

Utimur hac particula in formandis derivatis & diminutis. Sic

Sic a primigenio *ſon* ignis, quod habent Gothi, fit nobis *funkc* ſcintilla, quaſi parvus ignis, plane ut Belgis a *mann* homo fit *mannike* homunculus.

KEIT. Subfix.

Idem omnino quod HEIT, utpote ex illo factum, aut potius vitiatum. Nam H. priſcis pronunciabatur ut CH. quod in ore vulgi facile tranſit in C. vel K. Exemplum vide in *Keiner*. Aliud exemplum præbet nomen Regis Francorum CLODIO, quod certe non aliunde quam a claritate deſumtum eſt. Nam clarus, celebris Angloſaxonibus dicitur *blud*, Francis & Alamannis *bluto*. Quod haud dubie fuit nomen verum & proprium iſtius Regis in patrio ſermone. Ex HLUTO igitur Latinitas Barbara formavit CLODIO & mox per ſyncopen CLOIO. Id quod in Onomaſtico pluribus demonſtrabimus.

Quamvis *keit* pro *heit* novum ſit, nullisque veterum ſcriptis uſurpatum, pollet tamen eodem ſignificatu in compoſitis.

KEIT, ſignificat qualitates perſonales, bonas vel malas: cujusmodi ſunt *mæſſigkeit* temperantia, *gerechtigkeit* juſtitia, *tapferkeit* fortitudo, *grauſamkeit* crudelitas, & alia multa ex vitiorum turba.

KEIT, ſignificat ſtatum perſonalem, bonum vel malum: Huc ſpectant, *einſamkeit* ſolitudo, *dienſtbarkeit* ſervitus, *ſeligkeit*, *glükſeligkeit* felicitas, ejusque oppoſitum *unglükſeligkeit* infelicitas.

KEIT, ſignificat perſonam publicam, in *obrigkeit* vel potius *oberkeit*, magiſtratus.

KEIT, transfertur per proſopopœiam ad omnes rerum qualitates, etiam earum, quæ perſonæ non ſunt, ſignificandas: hujusmodi ſunt *feuchtigkeit* humiditas, *heiterkeit* ſerenitas, & alia ſine numero, quæ proſequi inutile eſt & ſupervacaneum.

L. Subfix.

Digitized by Google

L. Subfix.

Nota antiquiſſima derivationis & diminutionis.

Quemadmodum Gothis a *ſitan* ſedere fit *ſitl*, Angloſax. *ſctl*, Francis & Alam. *ſedal*, Suevis *ſidel*, ſedes, in derivando: ita ab *anke* nobis fit *ænkel* nepos, in diminuendo.

Huc etiam ſpectant *fell* pellis, cutis, a *felan* tegere, quod habent antiqui, *geſell* ſocius, contubernalis, a *ſaljan* divertere, habitare, quod habent Gothi.

LEI. Subfix.

Novum & priſcis ignatum. Videtur ſignificare genus. Hinc *einerlei* eſt unius ejusdemque generis, *zwei-erlei* diverſi aut duplicis generis, *welcherlei* cujus generis, *mancherlei* varii generis, *allerlei* omnis generis.

LEIN. Subfix.

Nota diminutivi, a Francis nobis relicta. Hinc navicula Tatiano vocatur *skifilin*, hodie *ſchiflein*, LIV. 1. filioli *kindilin*, hodie *kindlein*, CLX. 5. & duæ columbellæ *zuuei tubielin*, hodie *zwei täublein*, VII. 3.

Si originem ſpectes, idem videri poteſt, quod Gothis *klahain*, Francis & Alam. *chleno*, Germanis hodie *klein* parvus, minutus, vel ſaltim ex illo detruncatum.

Sæpe etiam L. ſimpliciter ponimus pro LEIN. Hinc porcellus promiſcue dicitur *færkl* & *færklein*.

Hiſce conveniunt ſono & ſignificatu particulæ *lus*, *a*, *um*, & *culus*, *a*, *um*, quibus diminutiva apud Latinos formantur.

Harum particularum ea vis eſt, ut compoſitis ſuis cum parvitate ſimul notionem teneritudinis & delicati tribuant.

LICH. Subfix.

Angloſaxonibus *lic*; Francis & Alam. *lih*, *lihho*. Quid ſignificet extra compoſitionem, nemini antiquitatis cognitione vel leviter imbuto, ignotum eſſe poteſt.

Nimirum

Nimirum ſimilis Gothis dicitur *leiks*, *galeiks*, Angloſ. *lic*, *gelic*, Francis & Alam. *lih*, *gilih*, Germanis hodie *gleich*, quaſi *geleich*.

Idem ſenſus ſubfixi *lich* in omnibus compoſitis. Hinc divinus Germanis dicitur *göttlich*, quaſi Deo ſimilis: humanus *menſchlich*, quaſi homini ſimilis: amabilis *liebliclh*, quaſi amori ſimilis. Et horum vocabulorum, quibus naturæ & affectiones rerum & perſonarum per ſimilitudinem cum exemplari explicantur atque enunciantur, in lingua Germanica tam veteri quam nova nullus eſt numerus.

Hæc dicendi ratio non caſu, aut impetu vulgi, ſed potius ſapientum conſenſu videtur inducta. Cum enim exemplaria rerum ſint æterna ſecundum Platonicos, vel potius ſecundum Barbaros, a quibus ea, quæ in Philoſophia ſunt præſtantiſſima, Plato ſurripuit, veritas cujusque rei ſingularis conſiſtet in ſimilitudine cum ſuo exemplari, quod eſt in intellectu divino.

Olim *lich* terminavit etiam ſubſtantiva. Hinc imago hominis Gothis dicitur *manleik*, Angloſax. *manlica*, Francis *manaliho*, Islandis in Indice Verelii *manlikan*. Hodie *mannlich* eſt adjectivum, ſignificans virilem, ſive viro ſimilem.

LING. Subfix.

Angloſaxonibus, Francis & Alaman. uſitatum. Ortum videri poteſt ex ſimpliciori ING, per proſtheſin, litera L. euphoniæ gratia præfixa. Sæpe etiam ſignificatu cum illo convenit.

LING, novitatem rebus attribuit. Hinc *früeling* proprie eſt ver novum, *fremdling* novus advena, *ſperling* paſſer junior. Nam ſenior Gothis dicitur *ſparwa*, Angloſax. *ſpeara*, *ſpearva*, Anglis *ſparrow*, Germanis prioribus *ſparr*, ut ex compoſito liquet.

LING, ſignificat ſocium, ſive ejusdem ætatis, ordinis, aut conditionis aliquem. Sic *jüngling* proprie eſt unus

Digitized by Google

unus ex junioribus, *ſaügling* unus ex lactaneis, *zwiling* unus ex geminis, *miedling* unus ex mercenariis, *neuling* unus ex novitiis vel novatoribus, *gunſtling*, *liebling* unus ex charioribus, ſive iis, qui gratia pollent apud Principem.

LING, ſignificat ejusdem naturæ vel ſpeciei aliquem, unde fit denominatio: Inde *hænfling* una ex avibus linariis, *friſchling* unus ex anniculis ſive porcis ſilveſtribus recentioribus, *herling* una ex uvis acerbis. Forte ab *herb* acerbus, ut Cl. Friſchio viſum. Quapropter etiam Latinis creduntur vocari Labruſcæ, quod labra lædant.

LING, ſignificare poteſt filium vel progeniem, plane ut ING. in nominibus Gentiliciis. Utrum exemplum extet, neſcio. Ego terrigenam dicerem *erdling* vel *irdling*, ſi vox Latina Germanice reddenda eſſet.

MAL. Subfix.

Proprie adverbium temporis. Nam *mel* Gothis eſt tempus: *mel du bairan* tempus pariendi, Luc. I. 57. *manag mel* multo tempore, Luc. VIII. 29. *mel mein* tempus meum, Joh. VII. 6. 8. *in mela* in tempore, Luc. XX. 10. Hoc ſenſu dicimus *einmal* aliquando, aliquo tempore, *niemal*, *keinmal* nunquam, nullo tempore.

Deinde adverbium numeri, ſignificans toties, ſive tot vices, quot numerus exigit, cui annectitur. Inde *einmal* ſemel, *zehenmal* decies, *hundertmal* centies, *tauſendmal* millies.

Utrumque adverbium novum eſt, & Germanis recentioribus proprium. Nam numeralibus exprimendis veteres Dialectos aliis vocibus, & ſemper diverſis uti, jam ſupra oſtendimus in particula FACH. Idem obſervare licet circa adverbium temporis. Hinc Gothi pro *niemal* dicunt *ni-aiw* Luc. XV. 29. vel *ni-in-aiwa*, Matth. IX. 33. quaſi non-in-ævo: Angloſaxones *næfre*, in iisdem Evangeliorum locis: Franci & Alamanni

nio-in-altere, vel contracte *neonaldre*, quaſi non-in-ætate, teſtibus Tatiano IV. 11. & Kerone in Gloſſis voce *Nunquam*.

NISS. vel NÜSS. Subfix.

Gothi habent *naſſus*, Angloſax. *niſſe*, *nyſſe*, *neſſe*, Franci & Alam. *niſſe*, *neſſe*, *niſſa*, *nuſſi*. Quid ſignificet, nondum inveſtigare licuit. Hunc vero præbuit uſum antiquis, ut miniſterio ejus ab adjectivis & ſubſtantivis quam plurima fierent abſtracta. Sic Gothis a *gudji* ſacerdos, formatur *gudjinaſſus* ſacerdotium, a *thiuda* populus vel potius terra, *thiudinaſſus* regnum, territorium: Angloſaxonibus a *ſeoc* ægrotus, *ſeocneſſe* ægritudo, a *full* plenus, *fulneſſe* expletio: Francis & Alamannis a *los* liber, *arlosneſſe* liberatio, a *drio* tres *driniſſe* trinitas.

Similiter Germanis a *wild* incultus, fit *wildnüſs* deſertum, a *geheim* ſecretus, *geheimnüſs* myſterium, & alia ab aliis, quorum numerus innumerus eſt.

ÖDE. Subfix.

Olim *oth*, *od*, *ode*, uſu gemino familiare antiquis, in derivando & abſtrahendo.

Sic lex Gothis dicitur *witoth* Matth. VII. 12. Francis *uuizzod* apud Otfridum Lib. II. cap. XVIII. a *witan*, quod Gothis ſignificat ſcire & obſervare, quaſi ſcitum vel obſervandum.

Sic Angloſaxonibus a *wer* vir, fit *werod* multitudo; ab *inna* intus, *innothas* viſcera, quaſi interanea. Et ſic alia ab aliis.

Inprimis vero Franci & Alamanni abundant vocabulis in *ode* deſinentibus. Sic æmulatio illis dicitur *ellinode* interprete Kerone in Gloſſis, ab *ellinun* æmulari, contendere virtutis cauſa, quod originem ſuam refert ad vocem Angloſaxonicam *ellen* virtus, unde illis æmulatio nuncupatur *ellen-wodneſſe*, quaſi furor virtutis.

Iisdem

Iisdem faſtus & arrogantia hominis ſuperbi dicitur *libbiſode*, quaſi comparatio, a *libbiſon* comparare, quia ſuperbi omnes præ ſe contemnunt. Vocem habet Kero in *Tyſo*.

Ejusdem particulæ officio Franci & Alamanni abſtracta formabant ex concretis: *vogalode* aucupium, a *vogal* avis: *einode* ſolitudo, ab *ein* unus, ſolus. Hodie dicimus *einöde*. Vox unica, ni fallor, atque ſola, quæ de priſca terminatione ad nos venit, dum cæteras tempus abolevit.

Galli vero permultis utuntur vocabulis, in *ade* deſinentibus, cujusmodi ſunt *promenade*, *barricade*, & ſimilia, quam illi terminationem videntur a Francis accepiſſe.

POR. Præfix.

Nuper ortum per metatheſin ex *ober* ſive *oper* ſupra. P. durum agnoſcunt Angloſaxones in *up*, Belgæ in *op*, Alamanni in *oparor* ſuperior, apud Keron. in Gloſſis, Græci in ἐπάνω.

Hodie reſidet in *Porkirche*, qua voce locus Templi interioris editior ſignificatur.

POR. Subfix.

Adverb. loci, ſignificans ſurſum in *empor*, ſed novitium & priſcis ignotum. Inde habemus *empören* inſurgere contra magiſtratum.

S. Subfix.

Signum & medium derivandi. Huc ſpectat nomen anſeris *Gans*, quod eſt a Celtico *can* albus, ut demonſtravimus in Gloſſario. Litera adjecta S. facit ex adjectivo ſubſtantivum.

SAL. Subfix.

Vetus, ut patet ex voce Francica *uuertiſal*, quæ ſæpe occurrit apud Otfridum, inprimis Lib. IV. cap. XVIII.

 & XXVIII.

Digitized by Google

& XXVIII. nec non Lib. V. cap. XII. cujus interpretatio adhuc dubia eſt, & Oedipum deſiderat.

Alias *ſal* ſive *zal* extra compoſitionem diſcrimen notat. Kero: periculi *zaala*. Eodem ſenſu occurrit aliquoties apud Otfridum in Præfat. ad R. Ludovic. nec non Lib. III. cap. XXV.

Ni bithenkit, quad in uuara,
Unſeroro allo zala,
Non conſideratis, inquit, in veritate
Noſtrorum omnium periculum.

Hodie non occurrit niſi in compoſitis, & eodem (ni fallor) ſignificatu. Quid enim obſtat, quo minus *drangſal* ſit anguſtia periculoſa, *irrſal* error periculoſus, *trübſal* calamitas periculoſa, *ſcheuſal* terriculamentum periculoſum?

Antiqui habent *ahteſal* calamitas, ab *ehtan* perſequi, quaſi perſecutio periculi plena. In Gloſſis Pezianis *cruoziſal* exponitur moleſtia, opinor a cruce. Nam crux quamvis moleſtiam ſignificat, etiam Latinis, teſte Plauto in Bacchide: *Quæ te mala crux agitat?* Quid autem ſit *marriſal* læſio, obſtaculum, & *opiſal* cultus, in iisdem Gloſſis, fateor me ignorare.

SÆLIG. Subfix.

Vi compoſitionis ſignificat eum, qui ob rem malam in periculo verſatur. Utrum antiqui habeant, dubito. Nondum enim repetire licuit.

Viget tantum in compoſitis, & in his ultimum ſemper locum occupat. Ita negligens & deſidioſus dicitur *ſaumſælig*, ærumnoſus *müheſælig*, calamitoſus *trübſælig*, pauper *armſælig*. Nam hi omnes in diſcrimine verſantur, primus ob deſidiam, ſecundus ob ærumnam, tertius ob res adverſas, quartus ob inopiam & egeſtatem.

SAM.

SAM. Subfix.

Gothis eſt præfixum, ut patet ex compoſito *ſamaleiko* ſimile, quod hodie inverſo ſyllabarum ordine effertur *gleichſam.*

In reliquis Dialectis eſt poſtfixum. Hinc pacificus Angloſaxonibus dicitur *ſibſum, geſibſum*, diuturnus *langſum*: Keroni abominabilis *leidſam*, communis *kamanſam.*

Olim erat adverbium comparandi. Hinc quoties in Regula S. Benedicti occurrit *acſi, velut, quaſi, tam, ſimiliter*, Kero interpretatur *ſama.*

Hodie extra compoſitionem obſoleſcit. In compoſitis vero duplicem habet ſignificationem, ſubſtantivam & adjectivam, hoc eſt, ſimulacri & ſimilis. Sic virtutibus præditum appellamus *tugendſam*, quaſi inſtar & exemplar virtutum, tardum *langſam*, quaſi tardo ſimilem, rarum *ſeltſam*, quaſi raro ſimilem. Solent autem ſic loqui Germani, non quod de omnibus dubitent, ſed vel modeſtiæ cauſa, quia mens in dijudicandis rerum & perſonarum affectionibus per ſpecies externas ſæpe decipitur, ut ſæpe præſtet dicere, quid res videatur, quam quid ſit: Vel quia involucra amant in ſermone, ut prodit Diodorus.

Hujus ſubfixi ſynonymum eſt LICH. Hinc pacificus æqualiter dicitur *friedſam* & *friedlich.*

Obſervari meretur, quod SAM comparativo ſignificatu reperiatur etiam in Lingua Græca & Latina. Hinc ſimilis Græcis dicitur *ὁμὸς, ὅμοιος*, ſibilo in ſpiritum aſperum mutato. Hinc Latinis *ſimilis, ſimiliter, ſimilitudo, ſimulare, ſimulacrum*, imo etiam *ſimius* & *ſimia*. Unde niſi a particula Celtica *ſam?*

SCH. Subfix.

Ortum per aphæreſin ex ISCH. Sic homo, qui Gothis dicitur *mannisk*, Angloſax. *menniſc*, Otfrido Franco

mennisg, Ægyptiis *manoſch*, hodie vocatur *menſch*, per ſyncopen, utique a *man* homo.

Similiter Lingua Germanica, quæ in Legibus Longobardorum vocatur *teudiſca*, & apud Walafridum Strabonem *theotiſca*, hodie vocatur *teütſch*, per ſimilem eliſionem.

SCHAFT. Subfix.

Nomen habet a formando, quia formam rebus, quibus annectitur, adtribuit. Nam formare, creare, conſtituere Gothis dicitur *skapan*, Angloſax. *ſcippan*, Francis & Alam. *ſcaffan*, Germ. hod. *ſchaffen*.

Angloſaxones habent *ſcype*, Franci & Alam. *ſceffi*, Belgæ *ſchap*. Hinc Provincia Angloſax. dicitur *landſcype*, Keroni *lantsceffi*, Belg. *landſchap*, Germ. *landſchaft*. Quo ſenſu, mox videbimus.

Schaft apud veteres duplicem habet ſignificatum in compoſitis, activum & paſſivum, hoc eſt, formationis & formati.

Ad ſignificatum activum ſpectat, quod creatio & conſtitutio mundi Ulfilæ dicitur *gaskaft*, Joh. XVII, 24. & conditio Iſidoro *chiſcaft*, pag. 240. Quibus conſentiunt Gloſſæ Boxhornianæ, ubi condicio exponitur *gaskaft*.

Ad ſignificatum paſſivum ſpectat, quod creatura Ulfilæ eod. vocabulo nominatur *gaskaft*, Marc. XIII. 19. Angloſax. *geſceaft*, Iſidoro *chiſcaft* pag. 239. Otfrido *giſceft*, Lib. II. cap. I.

Ad priorem ſignificatum ſpectat, quod conſortium ſive ſodalitium Germanis dicitur *genoſſchaft*, quaſi communis utilitatis procreatio. Utique a *nuz* uſus. Utilitas enim communis ſecundum omnes Philoſophos eſt vinculum naturale, quo homo hominis ſodalis efficitur, & in ſodalitate continetur. Hinc ſocii Tatiano vocantur *ginozza*, XIX. 7. 8. quaſi homines, qui ſe mutuo utuntur. Hodie dicimus *genoſſen* in permultis compoſitis. Antiquitatem vocis vide apud Keron. in *Conſortio*.

In

In reliquis formatum quid ſignificat. Atque hinc jam patet, quid proprie ſit *landſchaft*, *wiſſenſchaft*, & ſimilia in *ſchaft* deſinentia. Nimirum *landſchaft* nihil aliud eſt quam terra in formam provinciæ redacta, *wiſſenſchaft* ſcientia in formam artis redacta, *erbſchaft* hæreditas teſtamento conſtituta, *wirtſchaft* œconomia ſtabilita, *eigenſchaft* qualitas rei propria & quaſi concreata. Et ſic de reliquis judicium ferendum.

SEELIG. Subfix.

Proprie eſt animum habens bene vel male affectum, utpote a *ſeele* animus, & *iger* habens, compoſitum: ſed extra conjunctionem cum aliis vocibus inuſitatum.

Itaque pius nobis dicitur *gottſeelig* tanquam animum habens divinum, infenſus *fcindſeelig*, tanquam animum habens hoſtilem, affabilis *redſeelig*, quaſi animum habens ad ſermones & colloquia propenſum, humanus *leutſeelig*, quaſi animum habens erga omnes humanum. Neſcio quid clarius aut pulchrius dici queat, etiamſi nullo Antiquitatis ſuffragio dicantur.

ST. Subfix.

Signum & medium derivationis. Sic ab *unnan* favere, quod idiomati Angloſaxonico proprium, gratia Gothis dicitur *anſts*, Francis & Alamannis *anſt* vel *enſt*, & compoſite *chienſti*, Germanis olim *unſt*, nunc vero *gunſt*, quaſi *ge-unſt*.

Similiter a *chennan* vel *kunnan*, quod priſcis noſſe & poſſe ſignificat, ars dicta eſt *kunſt*, quaſi peritia, in qua ſcientia cum agendi potentia conjuncta eſt: a *deonon* ſervire, ſervitium vel officium *deonoſt*, hodie *dienſt*: a *prennan* urere, quod habet Kero, ardor, incendium *prunſt*, hodie *brunſt*.

Huc etiam referri debet *geſpenſt*, quod proprie perſuaſionem & ſuggeſtionem ſignificat, utpote a *ſpanan*

ſuadere derivatum: poſtea vero ſpectris tribui cœpit, ſive quod homines a ſpectris ad prava ſollicitari, ſive quod ſpectra præter imagines ab opinione factas nihil eſſe, vulgo exiſtimatum ſit. Kero: ſuademus *ſpanames*, ſuadeatur *ſi keſpanan*, ſuaſione *keſpanſt*, ſuaſionibus *keſpenſtim*.

T. Subfix.

Medium derivandi. Sic a *magan* poſſe, quod ab omnibus Veterum Dialectis agnoſcitur, virtus, potentia Gothis dicitur *mahts* Luc. I, 35. Angloſax. *miht*, ibid. Francis & Alaman. *maht*, Germ. hod. *macht*.

Similiter a *thaurs* ſiccus, quod habent Gothi, Germanis derivatur *durſt* ſiccitas, id eſt, ſitis: a *fraliuſan* perdere, quod habent iidem, *verluſt* jactura: a *treiben* agere, pellere, *triſt* agmen pecudum.

In reliquis, quæ ad hanc claſſem referri non poſſunt, eſt ſignum participiale, & originis ex participio. Talia ſunt *helfant* elephas, ab *helfan* auxiliari: *haubt* caput, ab *heafian* levare: *pracht* ſplendor, claritas, a *brechen* ſplendere.

TE. Subfix.

Idem quod DE. & eundem præſtans uſum. Gothi habent *tha*, in *afgrunditha* abyſſus, *inniujitha* encænia, *inwinditha* injuſtitia, *ſwignitha* gaudium, *trawaida* fiducia, quorum derivationes exhibet Fr. Junius in Gloſſario Gothico: Angloſaxones *te*, in *æryſte* reſurrectio, quod eſt a *ryſan* ſurgere: Franci & Alamanni *da* vel *tha* in *ſelida* vel *ſelitha*, domus, manſio, tabernaculum, quod eſt a *ſaljan* manere.

Germani pauca habent derivata in *te* deſinentia, quia magis delectantur ſubfixo *de* in derivando & abſtrahendo. Spectant tamen ad hanc claſſem quædam abſtracta, cujusmodi ſunt, *gütte* bonitas a *gut* bonus, *mildte* comitas a *mild* comis, *rötte* rubor a *rot* rubeus. Vulgus hæc aliter ſcribit, ſed contra principia Etymologiæ.

TER.

Digitized by Google

TER. Subfix.

Medium derivandi. Hujus ope particulæ a *tan* ignis fit *zunder* fomes, a *mal* menſura *malter* medimnus, a *tru* fides *druter* vel *drauter* fidelis. Atque ut ex una voce pateſcat, omnes veterum Dialectos hanc terminationem agnoviſſe, & derivationis gratia uſurpaſſe, ſiſtam nomen Fratris. Fr. Junius fratrem noſtris ſic appellatum exiſtimat quaſi indigenam, popularem, & in eadem regione natum, ab Armorico *bro* patria, regio. Mihi videtur frater ſic dictus a Cambrico *bru* venter, quaſi uterinus. Utrumque primitivum exhibet Boxhornius in Vocabulario Antiquo-Britannico. Verum ſive meam ſive Junianam ſententiam ſequaris, apparet, derivationem fieri præſentis particulæ miniſterio. Inde eſt, quod Frater Gothis dicitur *brothar*, Angloſax. *brether*, *brother*, *brothor*, *brothur*. Francis & Alam. *bruader*, *pruader*, *bruoder*, Germ. hod. *bruder*. Eandem originem Latino vocabulo adſigno.

TUM. Subfix.

TUM, plerisque compoſitis jus, arbitrium, poteſtatem, & jurisdictionem communicat. Nam judicium Angloſaxonibus dicitur *dom*, *dome*, Francis *duom*, Alam. *tuam*. Familiam hujus vocis dabit Gloſſarium in voce *verdammen*. Et hoc ſignificatu ingreditur etiam compoſita. Hinc principatus Angloſaxonibus vocatur *ricedome*, & magiſterium Keroni *meiſtertuam*.

Similiter hodie jurisdictio Cæſaris, Principis, Epiſcopi, Presbyteri, dicitur *Kaiſertum*, *Fürſtentum*, *Biſchoftum* (contracte *Biſchtum)*, *Prieſtertum*: Ætas majorum & quævis ſpectata antiquitas *altertum*, quia dictaturam exercet in poſteros: Opes, divitiæ *reichtum*, quia quævis divitiæ, etiam privatorum, ſunt parva quædam imperia: Peculium *eigentum*, quia cuivis competit jus in rem ſuam: Demonſtratio *beweistum*, quia demonſtra-

tio eſt inſtar judicati controverſiam decidentis: Virginitas *magdtum*, ob continendi potentiam: Incrementum *wachstum*, a potentia creſcendi: Error dominans *irrtum* &c.

Huc etiam referri commode poteſt *Feudum*, ſtipendiaria poſſeſſio, ſive jurisdictio in Prædia obſequii & fidelitatis gratia a potentiore conceſſa. Nam prior vox compoſiti bona ſignificat, ut dicetur in voce *Vieh*, poſterior jurisdictionem.

TUM, aliquando ſignificat locum judicii. Ita B. Luthero in verſione Sacri Codicis vulgata Tabernaculum Dei inter Judæos in deſerto, nec non adytum Templi Hieroſolymitani vocatur *heiligtum*, quaſi Tribunal ſacrum, ob rationes Theologis notas.

TUM, interdum ſignificat territorium, ubi jurisdictio exercetur. Sic uſus voluit, ut *Kaiſertum*, *Fürſtentum*, *Biſchtum*, *Reichtum*, præter jurisdictionem Cæſaris, Principis, Epiſcopi, Divitis, ſignificarent etiam eorum provincias, regiones, territoria, fundos, & agros. Similiter apud Latinos Regnum dicitur, nonſolum poteſtas regia, ſed etiam terra regnata.

TUM, interdum ſignificat Legem & Conſtitutionem, ſive jure ſive injuria ſancitam, ut in *Chriſtentum*, *Heidentum*.

TUM, ſignificat etiam teſtimonium. Sic reliquiæ Martyrum Catholicis vocantur *heiligtümer*, quaſi documenta & monumenta Sanctorum.

TUM. Præfix.

Sive DOM (utrumque enim recte ſcribitur) ſenſu Eccleſiaſtico eſt Cathedra Epiſcopalis, ſive ipſa ſedes Principis Eccleſiæ, unde tanquam ex ſacro Tribunali ſuam in Terras & Eccleſias ſubjectas jurisdictionem exercet. Qui hanc vocem vel a Græco δόμη ædificium, vel a Latino *Dominus* deducunt, corrigant errorem ſuum

ex

ex præcedentibus. Præcipua compoſita ſunt, *Tum-kirche*, *Tum-Probſt*, *Tum-Herren*, quorum ſenſus ex dictis manifeſtus eſt. Quamvis autem TUM proprie non ſit Præfixum, etiamſi multis nominibus præfigatur, nolui tamen illud a Subfixo ſeparare, quoniam ſe mutuo explicant.

VER. Præfix.

Gothis *fra*, Angloſax. *for*, Franc. & Alam. *far*. Extra compoſita nullum, in compoſitis varium & multiplicem ſignificatum habet.

VER, ſæpe ſenſum intendit: *vermehren* augere, *verbeſſeren* emendare, *verharren* perſiſtere, *verreiſen* proficiſci, *verzagen* deſperare, *verhinderen* impedire, *verſpotten* illudere, *verordnen* diſponere.

VER, ſæpe ſenſum remittit: *verachten* contemnere, *verlernen* dediſcere, *verzeihen* ignoſcere, *verweſen* interire.

VER, interdum notat errorem, vel in dicendo, vel in agendo. Hinc, quando lingua præcurrit mentem, id vulgo vocamus *verſprechen*, & errorem calculi committere *verrechenen*, & non ſatis ſibi proſpicere *verſehen*.

VER, interdum notat pravitatem, vel in oratione, vel in actione. Sic *verſprechen* aliquando eſt maledicere, obtrectare, & occurrit eo ſenſu in Sacris Literis Jud. IX, 23. Similia ſunt, *verwürken* delinquere, *verdenken* ſuſpicari, *verdacht* ſuſpicio criminis. Hiſce ſynonyma ſunt, *übelſprechen*, *böſes thun*, *argwænen*, *argwan*, quibus idea mali, quæ particula *ver* continetur, clarius exprimitur. Ex eodem cenſu ſunt, *verſühren*, *verleiten*, ſeducere.

VER, interdum notat privationem, ut in *verleümden* diffamare, *vervorteilen* defraudare.

VER, interdum notat negationem, ut in *verſagen*, recuſare.

VER,

VER, interdum notat corruptionem, ut in *verligen* ſitu corrumpi, *vergeben* tabeſcere.

VER, adverb. ordinis, ſignificans ultimum terminum rei. Sic decoquere bona ſua cum meretricibus vulgo vocatur *verhueren*, diſſipare comeſſando *verpraſſen, verſchlemmen, verſauffen*, perdere ludendo *verſpilen*, diſſipare quocunque modo *verthun*.

VER, adverb. eventus, ſignificans *fruſtra*, Inde id, quod fruſtra datur vel impenditur, vocatur *vergebens, vergeblich*.

VER, adverb. eventus, ſignificans proſpere. Sic de homine, cui optime proſpectum eſt, dicere ſolemus, *er iſt verſorget*, felicem curarum eventum hac particula indicantes.

VER, adverb. copulæ, in *verheüraten* connubio jungere.

VER, adverb. viciſſitudinis, ſignificans commutationem unius rei cum altera, veſtimentorum cum veſtimentis in *verkleiden*, domicilii cum domicilio in *verhauſen*, mercium cum pretio in *verkauffen*, uſus cum pretio in *verpachten, vermieten*. Ubi notandum, quod Germani non habeant verbum, quod illis ſignificet *vendere* aut *elocare*, & quod cogantur venditioni & elocationi nomen dare ab emptore & conductore.

VER, adverb. loci, ſignificans *trans*: in *verſetzen* transponere, *verpflanzen* transplantare.

VER, adverb. loci, ſono & ſignificatu conveniens cum Alamannico *fer* procul. Kero: abſit *fer ſii*, quod abſit *daz fer ſi*. Huc ſpectant, *verweiſen* relegare, *verjagen* fugare, *vertreiben* pellere.

UM. vel UMB. Præfix.

Adverbium loci, notæ ſignificationis, Angloſaxonibus *umbe*, Alaman. & Francis *umbi*. Quibus conveniunt ſono & ſignificatu Græcorum ἀμφὶ, & Latinorum particulæ

ticulæ præpoſitivæ *am* & *amb*, in fronte quorundam compoſitorum, cujusmodi ſunt *amplecti*, *ambages*, *ambeſus*, *ambire*, & ſimilia.

In compoſitis plures habet ſignificatus, ab ſua natura ceteroquin alienos.

U M, ſignificat motum de loco, & explicatur per *nider*, deorſum, peſſum. Hinc proſternere nullo diſcrimine dicitur *umwerffen* & *niderwerffen*, dejicere *umſtoſſen* & *niderſtoſſen*, demoliri *umreiſſen* & *niderreiſſen*, corruere *umfallen* & *niderfallen*.

U M, ſignificat motum ad locum, & exponitur per *hinter ſich* (retro), *zurük* (a tergo), nec non per *wider*, quatenus plagam oppoſitam ſignificat. Ita reverti promiſcue dicitur *umkehren*, *hinter ſich kehren*, *zurükkehren*, *widerkehren*. Neceſſe enim eſt, redituros eo verti unde venerant, quod quidem fieri non poteſt, niſi converſione corporis in oppoſitam plagam, ita ut quam antea plagam adſpexerant oculi, nunc humeri reſpiciant.

U M, ſignificat motum de loco ad locum, & explicatur per *hin und her*, hinc inde. Ita vagari per urbes & agros, indiſtincte dicitur *umziehen*, *umſchweiffen*, & *hin und her ziehen*.

U M, ſignificat motum in loco, & converſionem ſuperi & inferi. Hinc gyrare rotam nobis dicitur *umdrehen*, vertere arenarium *umwenden*, proſcindere terram vomere *umpflügen*, evertere urbes *umkehren*. Huc etiam ſpectat *umſtürzen*, cujus ſynonymum ſæpe eſt *das underſte oben kehren*.

U M, ſignificat defectum a linea recta, quatenus eſt breviſſima, adeoque diſpendium temporis & loci, majus vel minus. Sic quod extra viam vel tramitem eſt, dicitur nobis *umſeyn*, ambages & diſpendia viarum *umwege*, *umſchweiſe*, & ire per ambages *umgehen*, *umſchweiffen*. Imo etiam circulus non aliam ob cauſam dicitur *umkreis*, quam quia per declinationem a linea recta in ſe ipſum redit.

UM,

Digitized by Google

UM, adverb. viciſſitudinis, ſignificans converſionem & permutationem unius rei cum altera, veſtimentorum in *umkleiden*, mercium in *umſchlag*, ephippiorum in *umſattlen*, pecuniæ in *umſezen*.

UM, adverb. numeri, repetitionem ſignificans. Ita *umſchmelzen, umgieſſen* dicitur de metallis, aliisque fuſilibus, quatenus denuo funduntur, ſive in novam, ſive in priſtinam formam. Similiter & *umſchmieden* eſt recudere, & quaſi rurſus cudere. Huc etiam referri poteſt *umſchlagen*, quando ægrotus recidivam patitur.

UM, adverb. ordinis, ſignificans ultimum terminum rei. Hoc ſenſu trucidare dicitur *umbringen*, occumbere *umkommen*, quaſi perducere & pervenire ad ultimum terminum vitæ, mortem inquam & interitum. Eodem ſenſu dicimus, *die zeit iſt um*, quando tempus præterlapſum eſt.

UM. Subfix.

Particula cauſalis. Hinc cauſam quærentes interrogare ſolent *warum*, & reddentes reſpondere *darum*. Veteres dicebant *biwie*, & reſpondebant *bithiu*. Vitium, quod in noſtris latet vocabulis, aperiet Gloſſarium.

VN. Præfix.

Particula latiſſime regnans, Gothis, Angloſax. Francis & Alaman. *un*, Belgis *on*, Septemtrional. *o.* vel *u.* Græcis *α*. Latinis *in* & *im* in compoſitis. Præfigitur ſubſtantivis & adjectivis. In illis varium admittit ſignificatum, in his unum tantum.

UN, ſubſtantivis præfixum, ſæpe ſignificat defectum & privationem. Sic impotentia a defectu virium dicitur *unmacht*, ignominia a privatione honoris *unehre*.

UN, ſubſtantivis præfixum, aliquando ſignificat exceſſum. Kero: nimis *unmez*. Eodem ſenſu intemperantia hodieque dicitur *unmaſſe*, utique a nimio, quod menſu-

Digitized by Google

menſuram excedit. Sic etiam onera ſubditis impoſita, quatenus modum excedunt, vocantur *unpflichten.*

UN, ſubſtantivis præfixum, ſæpe vim habet negandi. Sic alienus a Chriſto dicitur *unchriſt*, quaſi non-Chriſtianus, malevolentia *ungunſt*, quaſi non-favor, occupatio *unmuſſe*, quaſi non-otium, intempeſtivitas *unzeit*, quaſi tempus non-tempeſtivum. Hujus commatis porro ſunt, *unglük*, *ungnade*, *unfug*, *undank*, *unbold*, *unheil*, *unruhe*, *ungrund*, *unſchuld*, *unwille*, *unzucht*, *unluſt*. In quibus aliqua ſunt, quæ etiam ſenſum privativum admittunt.

UN, ſubſtantivis præfixum, ſæpe ſignificat vitium & pravitatem naturæ. Inde eſt, quod homo immanis & monſtrum hominis vocatur *unmenſch*, prava indoles *unart*, ſtupiditas *unverſtand*, mala herba *unkraut*.

UN, ſubſtantivis præfixum, aliquando ſenſum intendit. Hinc caſus extraordinarius, ſed triſtis & fatalis vocatur *unfall*.

UN, adjectivis præfixum, ſemper negandi vim habet. Sic immortalis dicitur *unſterblich*, quia mori non poteſt, indignus *unwürdig*, quaſi minime dignus.

UN, interdum adjective ponitur pro eo, quod negandum aut inficiandum eſt. Sic de re indubia dicere ſolemus conceſſionis gratia, *es iſt nicht un*, quatenus certior eſt, quam ut negari a quoquam poſſit aut debeat.

UND. Subfix.

Idem quod DE. vel UT. Nam fama promiſcue dicitur *leümde*, *leümut*, & *leümund*. Et prior quidem terminatio in formandis derivationibus magis recepta eſt: Altera orta eſt ex priori per converſionem literarum: Ultima ex media per epentheſin. Originem vocis ſiſtet Gloſſarium.

UNG. Subfix.

Omnibus veterum Dialectis, ſi Gothicam excipias, uſitatum.

uſitatum. Sic Eccleſia & quævis congregatio Angloſaxonibus vocatur *geſamnunge*, Francis & Alam. *ſamanunga*, Germ. hod. *verſamlung*. A *ſam* ſimul, quod vide in Gloſſario.

Quid ſignificet, non liquet. Veteres ope ejus formaſſe derivata, extra dubium eſt. Sed non ideo meram & arbitrariam vocis deſinentis flexionem eſſe exiſtimem, cum quia vetuſtas & longus ſæculorum ordo multa delevit, quorum hodie nulla ratio reddi poteſt, tum quia jam ſæpe vidimus, multis particulis quosdam adhærere ſecretos ſignificatus, quos neque noſtra, neque ſuperior ætas animadvertit.

UNTER. Præfix.

Gothis *undar*, Angloſax. *under*, Francis & Alaman. *untar*. Quid ſignificet per ſe, notum, quid in conjunctione cum aliis ſæpe obſcurum eſt.

Prima obſcuritatis cauſa eſt affectatio Latiniſmi, Francis inprimis & Alamannis interpretibus familiaris. Nam quoties illi in Latinis vocabulis offendebant præfixum *ſub* vel *inter*, toties reddebant *unter*, non attendentes ad ſignificationem vocis nativam, ſed unice ad uſum Latinum. Teſtes ſunt Gloſſæ Keronis, in quibus ſubſequi redditur *untarfolgen*, intermiſſio *untarlaz*, ſubtrahere *untarzeòhan*, quamvis ſubtrahere in Reg. S. Benedicti ſit producere cum aliqua mora. Idem obſervare licet in Tatiano, qui ſæpe abſurdus eſt, dum erga Vulgatam nimis religioſus. Latinos autem ſæpe peſſimos dicendi magiſtros eſſe in vocabulis ab *inter* incipientibus, haud obſcure fatetur Perizonius in notis ad Minervam Sanctii pag. 349. Interim ex hoc fonte nobis nata ſunt compoſita, *unterbrechen* interrumpere, *unterfahen*, *unternemen* ſuſcipere, *unterhalten* ſuſtinere, ſuſtentare, *unterpfand* hypotheca, ab *ὑπὸ ſub*, quaſi ſuppoſitio. In quibus manifeſta eſt Latini ſermonis imitatio.

Altera obſcuritatis cauſa eſt, quod noſtri particulam

Gothicam

Gothicam *und*, ſæpe transformarint in *unter*, etiamſi ſignificatu diſcrepent. Eſt autem *und* Gothis idem quod Græcis ἀντὶ, contra, Matth. V, 38. *augo und augin, jah tunthu und tanthau*, ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμȣ. Hodie dixeris, *aug gegen aug, zan gegen zan.* Gothi eodem ſenſu utuntur particula *and.* Hinc illis *andſtandan* eſt reſiſtere, id eſt, contra ſiſtere, in verſu proxime ſequente. Noſtri videntur Gothos imitati in verbis, quæ audaciam cœpti aut incipiendi denotant, cujusmodi eſt *unterſtehen*, quo nihil aliud denotari videtur, quam ſiſtere ſe contra, & *unterwinden* efferre ſe contra, niti in contrarium. Gallis certe *guinder*, quod origine Germanicum eſt, hoc ſenſu dicitur.

Tertia obſcuritatis cauſa eſt, quod noſtri ſæpe elliptice loquantur, ſubſtantivo vel adjectivo, quod exprimendum erat, ſilentio oppreſſo. Hinc diſcernere dicitur *unterſcheiden*, quaſi diſtinguere inter bonum & malum, verum & falſum, ſimile & diſſimile: Confabulari *unterreden*, quaſi loqui inter ſe mutuo: vetare *unterſagen*, quaſi edicere ſub pœna: tradere *untergeben*, quaſi dedere ſub diſciplinam: omittere *unterlaſſen*, quaſi linquere inter cætera cura noſtra indigna: ſupponere *unterſchieben*, quaſi ponere inter genuina: receptaculum *unterſchleif*, quaſi receptio ſub tectum. Ad has ſimilesque locutiones ellipticas, quibus ſermo noſter ſcatet, forte digitum intendit Diodorus, quando de Galatis, hoc eſt, Gallis & Germanis ſcribit, quod in Colloquiis ſint parci verborum & obſcuri, & pleraque enunciantes per involucra.

VOR. Præfix.

Particula notæ ſignificationis in & extra conjunctionem, Gothis *faur*, Angloſax. *for*, Alam. & Francis *fora*, *furi*. Uſus veterum patet ex ſequentibus interpretamentis.

Ante tempus, Matth. VIII, 29. Goth. *faur mel.* Angloſax. *ær tide.* Tatian. *ér ziti,* LIII, 6.

Vade prius, Matth. VI, 24 Goth. *gang faurthis.* Angloſax. *gang ær.* Tatian. *far ér,* Cap. XXVII, 1.

Ante te, id eſt, coram te, vel præ te, & in conſpectu tuo, Matth. VI, 2. Goth. *faura thus.* Angloſax. *beforan the,* Tatian, *fora thir,* cap. XXXIII, 2.

Pro ovibus. Joh. X, 15. Goth. *faura tho lamba.* Angloſax. *for minum ſceapum.* Deficit Tatianus.

Pro iis, non pro mundo. Joh. XVII, 9. Goth. *bi ins, ni bi tho manaſeth.* Angloſax. *for hig, ne for middaneardc.* Tatian. *furi sie, nalles furi uueralt.* CLXXVIII, 1.

Ex his veterum teſtimoniis manifeſtum eſt primo, *vor* eſſe adverb. loci in omnibus Dialectis, ſed adverb. temporis in Gothica tantum: ſecundo, eandem particulam eſſe præpoſitionem cauſalem in omnibus Dialectis, excepta Francica, quæ ſola utitur particula *für.*

Hodie *vor* & *für* ita diſtinguimus, ut *vor* ſit temporis, non loci, nec cauſæ, *für* loci & cauſæ, non temporis: & hanc diſtinctionem in conſtructione diverſis caſibus tuemur.

Cum priore particula convenit ſono & ſignificatu Græca πρὸ, cum poſteriore Græca ὑπὲρ, Latina *præ, pro,* ſi metatheſin adhibeas. Nam literæ P. F. & V. in omnibus linguis permutantur.

UR. Præfix.

Celtarum Philoſophi cauſam antemundanam & principium Univerſi vocabant *ar, or, ur.* Verelius in Indice Scando-Scythico: *ar,* principium rerum ante creationem. Poſtquam autem cum Geolatria opinio invaluit, Terram eſſe originem & principium rerum, nomen, quod antea erat Deo proprium, Terræ quoque tribui cœpit. Hinc Cambris & Armoricis terra dicitur *ar,* Græcis ἔρα, opinor ſenſu Geolatrico. Unde id nominis hauſtum ſit, nemini

nemini principiis noſtris adſueto ignotum eſſe poteſt. Nam a particula Angloſaxonica *ær* ante, prius, cui reſpondet Francica & Alamannica *er*, Gothica *air* eodem ſignificatu, fit ſubſtantivum *ar*, *or*, *ur*, quod vi originis (nam proles ſequitur parentem) neceſſario principium ſignificat.

Hoc ſubſtantivum tranſiit in omnes Linguas a Celtica oriundas, etiam Græcam & Latinam. Inde principium Græcis ἀρχὴ, & doctrina de Principiis ἀρχαιολογία. Inde Latinis *origo* & *oriri*, manifeſto principii ſignificatu.

Aliàs principium Angloſaxonibus dicitur *ord*, vel a primitivo *ær*, vel a derivativo *ur*. Nam ex utroque fonte promanare potuit mediante litera D. ſalvo & integro ſenſu. Latini coguntur eandem voculam agnoſcere. Nam ab *ord* principium, habent *ordiri*, *primordium*, *exordium*, quod omnibus opinor eſſe manifeſtum.

Ab hoc ſubſtantivo noſtri Geolatræ Terram appellarunt *örde*, quaſi principium, ut diximus in Gloſſario. Si quis tamen malit nomen Terræ ex iisdem fontibus, unde ipſum *ord* oritur, repetere, per me licebit. Quamvis enim terra Angloſaxonibus dicatur *eorthe*, ſeptemtrionalibus *jord*, manifeſto originis ab O. indicio: in reliquis tamen Dialectis dominatur E. clarum. Sed qualiscunque demum inſtituatur nominis hujus pronunciatio aut derivatio, ſemper denotabit id, quod volumus, nempe principium.

Ur pro principio Germanis excidit. Superat tamen eodem aut conſentaneo ſenſu in præfixo *Ur*.

UR, ſignificat id, quod ordine naturæ antecedit, in exiſtendo & operando. Hinc VERBUM rerum omnium opifex ſcriptoribus Francis & Alamannis vocatur *uruuerchman*, quia ante omnes opifices eſt, & cæteris opificibus materiam præparavit. Hinc cauſa Germanis dicitur *urſache*, quaſi res antica, quia cauſa prior eſt effectu: & proavi *uranen*, quaſi anteceſſores avorum: & fragmen-

Digitized by Google

fragmenta ruinarum *urbau*, quoniam ædificio ex ruderibus alterius ædificii præſtruuntur. Sic etiam in negotio Philoſophiæ archetypi Platonicorum, ſive exemplaria æterna, ſecundum quæ omnia condita ſunt, vocantur *urbilder*, quaſi imagines primitivæ.

U R, ſignificat ortum & initium rei. Hinc Gothis oriri dicitur *urrinnan*, quaſi currere ab ortu, & Oriens *urruns*, ob eandem rationem. Viget hic ſenſus in multis hodie compoſitis, cujusmodi ſunt, *urheber* auctor, *urſprung* origo, ſcaturigo, *urſpringlich* primitivus, *urkund* teſtimonium ſive documentum originale & primitivum, *urkundlich* primitive teſtificatum.

U R, ſignificat cauſam in genere: hinc *urteilen* eſt cognoſcere & diſcernere cauſas, *urteil* cognitio & diſcretio cauſarum, ſenſu forenſi & philoſophico.

U R. aliud Præfix.

Idem quod *vor* vel *für*, quatenus *coram* ſignificat. Kero: coram eo *fora imu*, ante oculos, i. e. coram oculis, *fora augoom*.

Hoc ſenſu confeſſio judicialis vocari ſolet *urgicht*, a *gehan* confiteri, quaſi confeſſio coram judice facta.

U R. aliud Præfix.

Idem quod Francis & Alamannis *furi*, Latinis *præ*, in quibusdam compoſitis, cujusmodi ſunt apud Keronem, præponere *furiſezzen*, prævalere *furimagan*.

Hæc particula nominibus animalium præfixa, indicat, illud animal præ cæteris ſui generis, grande & ſtupendum eſſe, & tenere quaſi principatum. Sic bos ſilveſtris Poruſſiæ dicitur *urochs*, vel quod idem eſt, *aurochs*, quia robore & mole reliquos boves antecellit. Ob eandem cauſam inſignior equus priſcis dicebatur *urgaul*, & Boioariis hodie præſtantior aper *urſau*, & Weſtfalis præſtantior verres *urkempe*.

UR.

UR. aliud Præfix.

Idem quod *er* intenſivum. Hinc pervetuſtus nobis dicitur *uralt*, quaſi valde antiquus.

Auctores hujus particulæ ſunt Franci & Alamanni, quibus *ar*, *er*, *ir*, *or*, *ur*, promiſcue uſurpatur in compoſitis. Kero: liceat *arlaube*, licuit *erlaupta*, licentia *urlaubii*.

Et hinc porro patet, quid nobis ſit *urlaub*, nimirum nihil aliud quam *erlaubnüſs*, conceſſio, quamvis utrinque ſenſu intenſivo.

UT. Subfix.

Cum hæc terminatio valde infrequens ſit in Dialectis vetuſtioribus, hinc illam ex uſitatiore DE. vel DA. depravatam eſſe ſuſpicor: eoque magis, quod videam noſtra in *ut* deſinentia Francis & Alamannis terminari in *da* vel *ta*.

Gloſſ. Keron. paupertas *armida*. Hodie *armut*. Id eſt, *ærmde*. Unde Angloſaxonibus *ermth* & *yrmth* dicitur.

Gloſſ. Pez. abſinthia *uuermota*. Hodie *wermut*. Rectius Miſnici, qui hanc herbam *wærmde* vocant. Nomen enim habet a calore.

WAN. Præfix.

Olim valuit extra compoſitionem in omnibus Dialectis, & ſubſtantive defectum, adjective deficiens denotavit. Hinc verba Domini apud Marcum X, 21. *unum tibi deeſt*, Gothus reddit: *ainis thus wan iſt*: Angloſaxo: *an thing the is wana*. Quibus conſentiunt Gloſſæ Keronis: deeſt *uuan iſt*, deſunt *uuan ſint*, deeſſe *uuan uueſan*.

Subſtantivum habet Otfridus Lib. IV. cap. X.

Digitized by Google

Ir ezet, quad er, ana uuan
Lichamon minan.

Comeditis, inquit, abſque defectu
Corpus meum.

In compoſitione Priſcis erat adverbium defectus. Kero: debiles *uuanaheilem*, debilibus *uuanaheileem*. Verelius in Indice: *Van* nota defectus & privationis, hinc *vana* imminuere, *vanta* deficere, deeſſe.

Hodie extra compoſitionem nullam orationis partem conſtituit, in compoſitis vero eſt adverbium defectus. Inde eſt, quod inſanum & delirum vocamus *wanſinnig*, *wanwitzig*, ob defectum ſanæ mentis.

Hujus voculæ inſignis eſt antiquitas. Profecta enim eſt de Celtis, & relicta nonſolum omnibus Dialectis a Celtica Lingua oriundis, ſed etiam communicata Latinis, qui inde formarunt *vanus*, *vanitas*, *evaneſcere*, nec non *vecors* & *veſanus*: Quæ non aliunde rectius quam a defectivo Celtico *wan* derivantur.

WART. Subfix.

Nunquam niſi in Compoſitis uſurpatur. Et in his duplicem habet ſignificatum apud Priſcos. Nam ſubſtantive locum, adjective vero eum, qui in loco eſt, ſignificat. Kero in Gloſſis: præſentiam *antuuarta*, præſentis vitæ *des antuuartan libes*, præſentem *antuuartan*, *kakanuuartan*, præſens *antuuurti*. Lege *antuuarti*. Nam *antuuurti* reſponſum eſt Keroni.

Quod *uuart* locum ſignificet Keroni, ipſe prodidit in hac Gloſſa: usquequaque *eogouuerti*. Id eſt, ubique, omni loco. Nam *eogo* vel *eoco* Alamannis ſignificat omnis, quod vide prolixe demonſtratum in Gloſſario voce *Jeder*. Hoc adjectivum junctum eſt cum ſubſtantivo, quod hoc loco nullum aliud eſſe poteſt, quam *uuart* locus.

Origo

Origo vocis eſt a *huuar*, ubi, quod ab omnibus veterum Dialectis, & hodie etiam a Belgica agnoſcitur. Inde *uuart* locus, & per aphæreſin *ort*. Nam & hoc utebantur veteres, ſed non niſi in compoſitis, cujusmodi eſt *uuidorort* apud Otfridum & Tatianum, quo locus poſticus deſignatur. Vide Gloſſarium in voce.

Atque hinc jam patet, quid Keroni proprie ſit præſentia & præſens. Nimirum præſentia illi nihil aliud eſt, quam locus adſpicienti oppoſitus, ab *ant*, *kakan*, contra, adverſus, & præſentes, qui in locis oppoſitis ſibi mutuo ſunt obverſi. Neque in hac locutione quicquam eſt, quod aliquem offendere poſſit, cum etiam hodie præſens ſæpe ſimpliciter dicatur *zugegen*, nulla loci mentione facta, quod longe durius eſt.

Hodie præſentia nobis dicitur *gegenwart*, quo ſenſu, jam expoſuimus.

WARTS. ſive WERTS. Subfix.

Proprie genitivus nominativi præcedentis, ſed per ſe nihil ſignificans, & ab uſu ad ultimas vocabulorum ſedes relegatus, ubi non locum ſed verſus locum ſignificat. Idem fatum expertum eſt nomen lateris *ſeits*, unde huc dicitur *diſſeits*, illuc *jenſeits*. Nam inter hæc duo hodie diviſum eſt locorum imperium, dum Veteres poſterius ignorant.

In reliquis Dialectis, tam recentibus quam antiquis, nominativus hoc officio fungitur. Hinc verſus locum Gothis dicitur *wairth*, Angloſax. *weard*, Angl. *ward*, Belg. *waerd*, Island. *vart*.

Ad ſilvam vocabulorum in *warts*, *wærts*, vel *werts* deſinentium, ſpectant hodie, *aufwarts* ſurſum, *niderwarts* deorſum, *innwarts* intus, *auswarts* extus, *rükwarts* retrorſum, *vorwarts* antrorſum, *anderwerts* alibi, & alia ſine numero.

Digitized by Google

WEG. Præfix.

Gothis *weg* ſignificat motum. Hinc verba Domini apud Matthæum VIII, 28. *& ecce motus magnus factus eſt in mari*, ab interprete Gothico ſic redduntur: *jah ſai wegs mikils warth in marein.* Hoc ſenſu ſuperat in *bewegen* movere.

Angloſaxonibus *weg* videtur magis denotare locum quam motum, quantum ex compoſitis *aweg* & *onweg*, quibus interpres Angloſaxonicus utitur, cognoſcere licet. Joh. I, 29. *her is ſe the deth aweg middan-eardes ſynne*, ipſe eſt qui tollit peccata mundi e medio. Matth. XXVIII, 2. *and awylte thone ſtan onweg*, & revolvit lapidem de loco.

Germani utuntur ſignificatu ex Gothico & Angloſaxonico mixto. Hinc illis *weg* ſæpe eſt motus de loco remotivus, præſertim extra compoſita. Sic vulgo dicimus, *weg, weg*, cede loco, *weg mit ihm*, tollatur e medio, locum & motum de loco una voce complectentes.

In compoſitis vero videtur ſimpliciter denotare de loco, cujusmodi ſunt *wegwerffen* abjicere, *wegtreiben* abigere, & alia hujus commatis, quæ non opus eſt diutius proſequi.

ZER. Præfix.

Sed novum, & in locum particularum vetuſtiorum *za, zua, ze, zi*, ab uſu intruſum, & litera canina auctum, ſive quia Germanis auribus talis dentium ſtridor pergratus eſt, ſive quia aptior viſus, utpote aſper & terribilis, deſtructionibus rerum ſignificandis. His enim ſolis præfigi ſolet, ut ſenſum in illis intendat.

Gloſſ. Keron. corrupti (id eſt, rupti, fracti) *zaprohhan.* Hodie *zerbrochen.* Gloſſ. Pez. demolitus eſt *ziſtorta.* Hodie *zerſtörte.*

ZIG.

ZIG. Subfix.

Denariis proprium, Angloſax. *tig*, Francis & Alam. *zog*, *zug*. Sic quadraginta Matth. IV, 2. Angloſaxonibus dicitur *feowurtig*, Tatiano *fiorzug* XV, 2. Germ. hod. *vierzig*. Cuncta a quatuor, quod Angloſax. eſt *feower*, Keroni *fiereo*, Germ. *vier*. Nam quatuor denarii efficiunt quadraginta.

Origo particulæ eſt a notione trahendi vel ducendi. Nam ducere, trahere Gothis dicitur *tiuhan*, Angloſax. *teon*, Francis & Alaman. *zihan*, *zeohan*, Germ. hod. *ziehen*. Inde *zug* tractus, nomen, quo non aptius ullum denario imponi poterat, cum quia denarius nihil aliud eſt, quam tractus decem unitatum, quæ nubium inſtar videntur invicem trahi & duci, tum quia ductor eſt omnium decadum a ſecunda usque ad decimam, ſaltim apud illos populos, qui per tractus numerabant, quales omnino fuerunt Saxones, Franci, & Alamanni. His enim viginti, triginta, & reliqua, nihil aliud denotat quam duos vel tres tractus, quorum ſinguli valent denarium. Hoc adeo verum eſt, ut etiam centum interpreti Tatiani dicatur *zehenzug*, quaſi decem Decades, cap. CCXII, 6.

Atque hinc jam patet, quid nobis proprie ſignificet *zwanzig*, *dreizig* (corrupte *dreiſſig*) & reliqua, & quem præbeat uſum particula *zig*, quatenus nominibus numerorum *zwen*, *drei*, *vier*, & reliquorum ſubfigitur.

ZU Præfix.

Franci & Alamanni habent *za*, *ze*, *zi*, *zua*, *zuo*. Quatenus præpoſitio eſt, ſignificat *ad*, quatenus vero præfigitur, alios habet ſignificatus.

ZU, adverb. quantitatis, ſignificans *nimis*: *Zu hoch* nimis altum, *zulang* nimis longum, *zunahe* nimis propinquum, *zuvil* nimium, quaſi nimis multum.

ZU, adverb. qualitatis, in *zuſtand*, ſtatus rerum, qui poteſt eſſe bonus vel malus.

ZU, interdum auget ſignificatum, ut ζα Græcorum. Hujus generis ſunt *zubereiten* parare, *zulaſſen* concedere, *zuſchlieſſen* claudere, *zureden* inſtare verbis, *zuvor* ante, *zuwider* contra.

ZU, ſignificat vices, vel temporis, in *zuzeiten*, *zuweilen*, cujus ſynonymum eſt *unterweilen* per intervalla, vel ſortis & fortunæ, in *zufall* caſus.

ZU, ſignificat promiſſum, in *zuſagen* promittere. Promiſſa enim moribus antiquis dabantur manu ſtipulata, id eſt, de manu ad manum. Forte etiam Latinis a preſſione pollicis dicitur *polliceri*.

ZU, ſignificat incrementum, in *zunemen* creſcere, quod omnino ſic dicitur, quaſi capere incrementum.

ZU, ſignificat clauſum, ſicut *auf* apertum. Hinc vulgo dicimus, *die thüre iſt zu* janua clauſa eſt, *zuthun*, *zumachen* claudere, proprie clauſum facere, *zufrieren* congelare, *zuheilen* vulnus hians ſanando jungere & cute obducere, *zudruken* oculos comprimendo claudere, vel ſuos vel alienos, *zuſcharren* obruere terra.

REGU-

REGULÆ ETYMOLOGICÆ.

I. NOVA· PENDENT· EX· ANTIQVIS· NON· VICE· VERSA·

NOva enim ſunt radicata in Antiquis. Et hinc porro manifeſtum eſt, quod nemo de natura & proprietate Linguæ hodiernæ recte judicare, aut vocabulorum verum ſenſum, veram pronunciationem, & rectam ſcribendi rationem habere poſſit, niſi in receſſus veteris ſermonis admiſſus. Quicunque ergo ſtudio Antiquitatis neglecto, ſolis hodiernæ Linguæ ſubſidiis freti, vocabulorum rationes reddere præſumunt, ſimiles ſunt eorum, qui foribus neglectis in penetralia introire conantur. Et hi plerumque audaciæ ſuæ hanc pœnam luunt, ut nil niſi monſtra explicationum producant. Hoc enim negotium, ſi quod ullum, *Antiquarium* deſiderat, qui fontes Gothicos, Saxonicos, Francicos & Alamannicos, & Celticos etiam, non guſtaverit modo, ſed etiam hauſerit. Hujus regulæ Corollarium eſt, quod omnis Etymologia ex hodierno ſermone petita, ſuſpecta aut falſa ſit.

II. ORIGINES· QVÆ· DOMI· HABERI· POSSVNT· NON· DEBENT. PETI. AB· EXTERIS·

Eſt enim juris naturalis ſicut ſuis uti bonis & ex ſe natis, ita etiam ſua dicendi copia & ubertate. Omnes certe

certe pro conceſſo habent, laticem haurire ex fonte ſuo vel communi. Cur non idem liceat in Linguis? Imo non licitum tantum, ſed etiam juſtum eſt, & ab univerſo Gentium Senatu receptum, ut ex domeſticis vocabulis, ſi fieri poſſit, derivationes inſtituantur. Qui ſecus faciunt, & præter neceſſitatem ad Fontes Græcos, Latinos, Hebræos, Syros, confugiunt, in patriam Linguam injurii ſunt, cujus divitias vel ignorant, vel adſpernantur. Sicut enim hominum, ita etiam vocabulorum quædam cognatio eſt & parentela. Nec deſunt voces primigeniæ, quæ proavorum inſtar integras ducunt familias, & ſæpe numeroſas, quæ vero jure civitatis non debent temere privari, donec aliunde advectas luculenter probetur. Si quæ primitiva deſiderantur, quærenda illa ſunt, non ſtatim apud Hebræos & Græcos, ſed ante omnes apud *Scythas*, *Phryges*, & *Celtas*, quos generis & linguæ noſtræ auctores fuiſſe, jam ante demonſtravi. Quodſi negotium non ſuccedit, tunc demum liberum erit, ab Hebræis aut Græcis repetere, quæ apud Scythas, Phryges, & Celtas fruſtra quæruntur. Dubium enim non eſt, noſtros, dum adhuc in Oriente vel Græcia verſarentur, potuiſſe multa peregrina, aut ex peregrinis facta, ſuo immiſcere Sermoni, & ex his quædam deinceps, relictis poſt tergum radicibus, in Occidentem ſecum adportare.

III. LINGVA· IN· QVA· VOCIS· ALICVIVS· RATIO· ET· CAVSA· REDDITVR: EIVSDEM· VOCIS· GENVINA· MATER· EST· ETIAMSI· VOCEM· IPSAM· NON· AGNOSCAT.

Sic *Probſt* revera eſt a Latino Præpoſitus, etiamſi Tullius neſciat quid ſit *Probſt*: Sic *Proſapia* revera eſt a Cel-

Celtico *ſip*, ſtirps arboris, etiamſi Celtæ neſciant quid ſit proſapia: Sic *kind* proles, omnino eſt ab Angloſaxonico *cenned* genitus, etiamſi Angloſaxones hoc derivatum eo ſenſu non agnoſcant. Plura Exempla ſubminiſtrabit Gloſſarium.

IV. DERIVATA DEBENT REFERRE ET EXPRIMERE SVA PRIMITIVA.

Sicut proles oris & indolis ſimilitudine parentem prodit, ut multis alias ignaris ſolus indicium fuerit adſpectus: ita vox genita debet oſtendere genitorem ſuum, non figura ſolum, ſed etiam poteſtate.

V. VERITAS DERIVATIONIS EX SIMILITVDINE SONI ET SENSVS DIIVDICANDA EST.

Ubi alterutrum deficit, radix falſa aut ſuſpecta eſt.

VI. IN SONO DIIVDICANDO NON TAM AD VOCALES QVAM AD CONSONANTES ADTENDENDVM. EST.

Vocales enim plerumque permutantur, Conſonæ non item, niſi homogeneæ. Sic a *geben* dare, fit *gift* donum, bonum vel malum: a *graben* fodere, *gruft* ſcrobs, ſepulcrum. Quod ſane fieri non poſſet, niſi B. & F. eſſent literæ homogeneæ. Oportet autem eum, qui cauſas vocabulorum ſcrutatur, ante omnia noſſe, quid in Conſonantibus ex genio Linguæ ſit homogeneum, quid heterogeneum, quid convertibile, quid non? Cujus rei ſcientia, etiamſi videatur obvia & parabilis, acre tamen judicium exigit, & non niſi longo uſu acquiritur.

Digitized by Google

VII. QVÆDAM SVBSTANTIVA ORIVNTVR A VERBIS QVÆDAM VERBA A SVBSTANTIVIS.

VIII. VERBVM A VERBO REGVLARITER NON ORITVR.

Excipiuntur tamen Verba *diminutiva*, *frequentativa*, & *faceſſentia*. Ad Diminutiva ſpectat *riſlen*, guttatim cadere, quod eſt ab antiquo *riſan*, cadere. Ad Frequentativa, *ſamlen* colligere, congregare, quod eſt ab antiquo *ſamnon* ejusdem ſignificatus: *melden* commemorare ſcripto vel viva voce, quod eſt ab obſoleto *malen* loqui: *befeſtigen* firmare, quod eſt ab antiquo *feſtinon* ejusdem ſignificatus: *endigen* finire, conſummare, quod eſt ab antiquo *enton* ejusd. ſignificatus: *lieferen* tradere, quod eſt ab antiquo *læwan* ejusd. ſignificatus. Faceſſentia dico, quæ negotium faceſſunt, ſive quæ faciunt ut facias. Sic a *ligen* jacere, eſt *legen* ponere, facere ut jaceas: a *ſitzen* ſedere, *ſetzen* collocare, facere ut ſedeas: a *wiſſen* ſcire, intelligere, *weiſen* oſtendere, facere ut ſcias vel intelligas: a *ſaugen* ſugere, *ſaügen* lactare, facere ut ſugas: a *wachen* vigilare, *wecken* ſuſcitare, facere ut evigiles: a *leben* vivere, *laben* refocillare, facere ut reviviſcas. Et ſic alia ab aliis. In quibus formandis Germani videntur Hebræorum conjugationes imitari. Quod etiam faciunt Latini, in quibusdam verbis. Non omnia autem verba producendis faceſſentibus apta nata ſunt, ſed ea fere tantum, quæ paſſivo carent.

IX. PARTICVLÆ SOLENT ESSE VERÆ RADICES.

Verba ſunt ill. Leibnitii in Gloſſario Celtico voce *Cwmmwd*. Exempla dabit Gloſſarium in voce *Geitz*, & paſſim

paſſim alibi. Nemo igitur contemnat particulas tanquam inutiles & ſteriles minutias. Pendent ab his atomis magna ſæpe rerum & verborum ſecreta.

X. ABSQVE· PARTICVLIS· NIHIL· DERIVARI· NIHIL· COMPONI· POTEST.

Fidem faciunt Prolegomena. Hinc omnis Etymologia, quæ nullam habet particularum rationem, in componendo & derivando, quantumvis ſpecioſa & ingenioſa, ipſo jure nulla & falſa eſt. Itaque ſi quis nomen Regis *König* a Perſico *Chan* princeps, vel aliunde derivare ſuſtineat, neglecta particula *ig*, certiſſimum eſt, illum ignorare, de quo alios docere præſumit. Si quæratur, unde ſit tanta Particularum in derivatis diverſitas, & tantus in Compoſitis tam præcedentium quam ſubſequentium numerus? Reſpondeo, multitudinem & varietatem rerum & idearum peperiſſe multitudinem & varietatem particularum. Enim vero ſi medium derivandi & componendi unum tantum fuiſſet & ſimplex, non varium & multiplex, res & ideæ rerum innumeræ manſiſſent anonymæ & vocabulis deſtitutæ. Igitur neceſſitas vocabulorum provida, ut poſſet augere numerum compoſitorum, & ex uno fonte plura & diverſa deducere derivata, & res ſingulas nominibus diſcernere, tot commenta eſt Particulas, quot videbantur negotio ſufficere.

XI. FIGVRÆ· GRAMMATICORVM· IN· NEGOTIO· ETYMOLOGICO. RECTE· ADHIBENTVR· QVOTIES· OPVS· EST.

Cum pauci Lectores his figuris aſſueti ſint, Verſus memoriales, quibus illæ continentur, quamvis vulgo notos, hic adjiciam.

Pro-

Proſtheſis *apponit capiti, quod* Aphæreſis *auſert.*
Syncope *de medio tollit, quod* Epentheſis *indit.*
Conſona quod gemina in medio eſt, dat Diplaſiaſmus.
Auſert Apocope *finem, ſed dat* Paragoge.
Dicitur e binis conflare Synæreſis *unam.*
Dicitur in binas diſflare Diæreſis *unam.*
Litera ſi legitur tranſpoſta Metatheſis *extat.*
Compoſitæ vocis diſſectio Tmeſis *habetur.*

XII. ORTHOGRAPHIA PENDET AB ETYMOLOGIA.

Scripturæ vocabulorum tam veterum quam recentiorum, cum ſæpe ſint vitioſæ, ſolent turbare eos, qui origines ſcrutantur. Verum originibus ſemel inventis, æquum non eſt, ut a vitiis illis diutius teneantur ſuſpenſi. Cujus rei Exemplum dedi ex Lingua Angloſaxonica in voce *Garten.* Scripturæ enim nullum eſt in voces imperium. Tota majeſtas reſidet penes Etymologiam. Hæc ſola poteſt recte ſcribendi leges ferre, & ſcripturam jure ſibi ſubjicere. Quid ergo ſentiendum ſit de illis, qui totis decernere Libris ſatagunt, quomodo vox aliqua ſcribenda ſit, cujus ipſi originem neſciunt, nec unquam curæ habuerunt, apparet: nimirum, temerarium & ridiculum eſſe eorum laborem, utpote nullo jure nulliſque viribus, & ſola ingenii fiducia ſuſceptum, ne quid gravius dicam.

ABEND.

Digitized by Google

A.

ABEND, veſpera. Keroni *abant*, Angloſax. *æfen*. Haud dubie a defectu lucis. Oritur enim a participio verbi *aben* ſeu *auen*, quod priſcis Belgis teſte Kiliano ſignificavit abire, deficere, quodque eodem ſenſu ſuperat apud Helvetios ſecundum Pictorium. Cambri ab eodem verbo videntur habere Subſtantivum *aber*, quo caſum fluvii ſive oſtium deſignant, ubi aqua in aquam cadit. Ipſius vero verbi origo repetenda eſt ab adverbio defectus *ab*, quod vide in Præfixis.

ABENTEUR, vox hiſtoriæ fabuloſæ propria, quæ proprie dicitur de fortibus & virilibus auſis. Nam vir Gothis dicitur *aba*, in accus. *aban*, in dat. & abl. *abin*. Vide Evangelium Gothicum Luc. I, 27. 34. II, 36. Marc. X, 12. Agnoſcunt eandem vocem veteres Islandi in Indice Verelii Scando-Scythico, ubi *abo* exponitur colonus. Altera compoſiti pars auſum ſignificat. Nam audere Angloſax. dicitur *dyrran*, Francis & Alam. *durren*, Islandis *thora*, Anglis *to dare*, conſentientibus Græcis, quibus Θαῤῥεῖν eodem ſenſu dicitur. Hinc ſtrenuus, fortis, audax Cambris & Amor. vocatur *dewr*, & auſum, molimen *tur*, compoſite *antur*, teſte Boxhornio in Vocabulario Antiquo-Britannico. Quibus conſentiunt, quod audacia Islandis dicitur, *thor*, Græcis θάῤῥη. Sequuntur

E hic

Digitized by Google

hic Galli recentiores, ut ſæpe alias, Germanos, dum molimen audax vocant *avanture*, eumque qui ſe fortunæ temere committit *avanturier*. Video, etiam alios hanc vocem ad linguam Germanicam referre conatos, quamvis nullo aut parum proſpero ſucceſſu. Kiliano *abenteur* ſic dicitur, quaſi *avend-ure*, hora veſpertina. Alius deducit a *thüren* audere, & hactenus bene: Sed dum alteram compoſiti partem ab *affe* ſimia, repetit, quaſi *abenteur* ſit id, quod ſimia audet, a vero & ſerio pariter aberrat, cum minime probabile ſit, hiſtoriæ fabuloſæ ſcriptores voluiſſe Heroes ſuos, *Riſios* inquam, atque *Rekios*, eorumque fortiter geſta, ignominioſo vocabulo riſui legentium exponere.

ABER, hodie conjunctio adverſativa, ſignificans *autem*, vix aliquo apud Veteres exemplo.

ABER, rurſus, iterum. Alamannis & Francis *abur* vel *auur*. Kero: iterum *abur*. Tatianus XVI. 1. *andares tages abur ſtuont Johannes*, altera die iterum ſtabat Johannes. Otfridus IV. 7. *unz er auur quami*, donec rurſus veniat, id eſt, redeat. Hoc ſenſu occurrit *aber* in Scripturis Sacris 1 Reg. VIII, 65. nec non in compoſito *aberacht* proſcriptio iterata, & *abermal* altera vice. Ab hoc adverbio temporis vel numeri vices Abiæ apud Ulfilam vocantur *afar Abijins*, Luc. I, 5. propter ordinem ſuccedendi.

ABER, interdum eſt nota exceſſus, valetque idem quod Germanis ſuperioribus *über*, inferioribus *over*. Hinc Kiliano Belgarum interpreti *auer* & *ouer* promiſcue exponitur per *ſuper*, *præter*, *ultra*. Germani agnoſcunt hunc ſignificatum in compoſito *aberglaube*, ubi *aber* indignam rei, cui præfigitur, magnitudinem notat.

ABERGLAUBE, ſuperſtitio, proprie nimia & abſurda credendi facilitas, præcipue in negotio religionis, ab exceſſu fiduciæ ſic dicta. Nam *glaube* fidem denotat, quæ rebus veris, & imprimis ſacris adhibetur, *aber* vero

Digitized by Google

vero exceſſum, plane ut Belgicum *over*. Hinc Kiliano *auerghbeloove* & *overghelooue* unam eandemque rem ſignificant, nempe ſuperſtitionem, hoc eſt, nimiam religionem, & vanum DEI cultum. Latinis quoque *ſuper* in *ſuperſtitio* aliquid ſuperfluum deſignare videtur, quod modum rectum excedit, & quaſi ſuperſtat.

ABERMAL, iterum, ſecunda vice, altero momento. Ab *aber* rurſus, & terminatione numerali *mal*, de cujus origine & poteſtate egimus in Prolegomenis.

ABERWIZ, delirium. Quum præfixum *aber* duo ſignificare poſſit, vel exceſſum, ſi idem ſit quod *over*, ſuper, præter, ultra, vel defectum, ſi derivetur ab *aben*, deficere: Hinc totum compoſitum duplicem admittit ſenſum, quorum uterque ab uſu agnoſcitur. Vulgo enim *aberwiz* vocant, non ſolum ſtultitiam ex nimia ſciendi cupiditate ortam, ſed etiam omne delirium, quod ex deliquio rationis & ſanæ mentis ſequitur. Utrobique *wiz* ſcientiam notat, a *wizzan* ſcire, quod vide apud Keronem.

ABGOT, falſus Deus, Deus expers divinitatis, ob præfixum negativum *ab*. Gloſſ. Pez. excelſis *abgotir*, ad fanum *ze apkutio hus*.

ABGUNST, invidia. Appellationis ratio ſatis manifeſta. Negat enim favorem & benevolentiam. Keroni invidia dicitur *abanſt*, quaſi minime gratia, a negativo *ab*, & *anſt* gratia. Utriusque originem vide in Subfixo ST.

ABLAS, venia delictorum, ſeu remiſſio pœnæ. Goth. *aflet*, Otfrido *ablaz*. A verbo *laſſen* ſinere, & præfixo *ab*, quod ſignificatum intendit, & peccatorem impunitum dimittit.

ABLEIBEN, mori, decedere e vita: non a *leib* corpus, ſed a *lyb* vita. Kero: vita *lyb*, vitam *libe*, vitæ æternæ *des euuigin libes*. Præfixum *ab* hoc loco ſignificatum remittit, & defectum vitæ notat.

ABMÆHEN, abſcindere. Ulfilæ *aſmaitan*, a ſimplici *maitan* ſecare. Inde Latino-Barbaris *amadere* gramen deſecare. Simplex agnoſcunt etiam Cambri, quibus *medi* metere, tondere. Noſtri literam T. in medio vocis elidunt. Retinent tamen eandem literam in derivato *mader* fœniſeca. Cum Gothico *maitan* convenit Latinum *metere*.

ABMÆHEN, demetere. Gr. ἀπαμᾶν & ἀμάειν. Hic ſignificatus oritur ex priori.

ABSAGEN, dicam ſcribere, rectius *abſachen*. Oritur enim non a *ſagen* dicere, ſed a *ſachan* litem conteſtari, ope præfixi *ab*, quod hic ſignificatum auget. Ab hoc verbo rixæ Keroni vocantur *ſecho*, Angloſax. *ſac*, *ſaca*, Verelio in Indice *ſaka*. Ab eodem verbo componitur Gothis & Angloſax. *andſakan*, Alam. & Francis *farſahhan* abnegare, abrenunciare, Germanis *widerſacher* adverſarius.

ABSPÆNEN, ablactare, arcere ab ubere, Keroni *intſpanan*. Ab Angloſax. *ſpana* uber, quod Germanis remanſit in *ſpanſerkel* porcellus ſubrumus. *Ab* hoc loco privativum eſt.

ABWERTS, de loco. Adverbium ex nomine & præpoſitione compoſitum, cujusmodi ſunt apud Latinos *extemplo*, *inpoſterum*, *inprimis*, & alia. Prior compoſiti pars per ſe manifeſta eſt. Altera locum ſignificat, ut diximus in Subfixo WART.

ABWERTS, deorſum. In hoc compoſito *ab* non eſt præpoſitio, ſed adverbium loci inferioris, & *werts* motus verſus locum. Vide Subfix. WERTS.

ACHT, proſcriptio, odium publicum. A notione perſequendi. Nam perſequi Angloſaxonibus dicitur *ehtan*, perſecutio *ehtnyſſe*, perſecutor *ehtere*. Et hinc Kero perſecutionem interpretatur *aahtunga*. Quibus conveniunt Græca ἔχθω odi, ἔχθος odium, ἐχθρὸς hoſtis, qui ante fuit amicus. Goldaſtus in notis ad Script. Parænet.

rænet. *acht* arceſſit ab *ach* aqua, quaſi proſcriptio ſit interdictio ignis & aquæ, haud dubie ſeductus, quod Helvetios eodem vocabulo aquam & proſcriptionem denotare noverat. Verum etiamſi inter *ach* aqua, & *aach* proſcriptio (quibus vocabulis Helvetii utuntur) haud magna in ſono ſit differentia, tota tamen ſimilitudo ex vitio pronunciantium eſt, qui dum literam T. ſegniter nimis efferunt, aut plane deglutiunt, videntur aquam dicere, quum volunt dicere proſcriptionem. Amant hanc in pronunciando pigritiam inprimis Gothi, qui literam T. in medio vocis plerumque elidunt, ut pluribus exemplis oſtenſum in not. ad Keron.

ADEL, nobilitas, proprie genus paternum. Refert enim originem ad auctorem generis patrem, qui Gothis dicitur *atta*. Ab hoc ſubſtantivo Alamannis fit primo *edil* nobilis, patritius, & deinde per abſtractionem *ædili* nobilitas. *Ædili* pro nobili genere habet Iſidorus Hiſpalenſis pag. 264. *Ni uueizs ih einigan Chuninc ſona Judaſes edhile*, neſcio quem regem ex genere Judæ. Idem pag. 260. *Chichundemes auh nu dhes aedhili endi odhil*, demonſtremus nunc etiam genus & patriam ejus. Gothi, Vandali, & Longobardi nobilitatem videntur vocaſſe *Atala*, quantum ex nomine proprio *Atalarichus*, quod obſervante Grotio nobilitate pollentem ſignificat, colligi poteſt. Optime interim majores noſtri nobilitatem a patribus & avis appellare inſtituerunt. Quid enim eſt nobilitas, niſi claritas avita?

ADELICH, nobilis, proprie patritius, id eſt, claris parentibus ortus, & patribus ſimilis, quaſi *attalich*, ab *atta* pater, & *lich* ſimilis, quod vide in Prolegom. Nimirum is demum vere nobilis cenſeri debet, qui non ſolum claro genere ortus eſt, ſed & ab avita virtute haud quaquam recedit. Ab hac generis & virtutis claritate *Attalici Reges* apud Phryges (quos lingua Germanicæ ſimili uſos eſſe, ex multis vocabulis manifeſtum eſt) Straboni

boni memorati, nomen accepiſſe videntur. Eodem nomine infantes illuſtribus parentibus nati ſæpe affecti leguntur. Hinc ſcilicet nomen ITALICO cuidam Svevorum Regi apud Tacitum Hiſt. 3. cap. 5. Unde de antiquitate vocis judicium ferri poteſt.

ADLER, aquila. Quaſi *edler ar*, nobilis vultur. Aut certe contractum ex *adelaar*, quo Belgæ utuntur & eodem ſenſu. Tradit hanc etymologiam Cyriacus Spangenberg in Speculo Nobilitatis Lib. 2. cap. 2. eandemque multis rationibus confirmat Doctiſſ. Friſchius in Miſcell. Berolin. Tom. I. pag. 61. Vide ſimplex in *Ar*.

ÆCHTER, proſcriptus, proprie perſecutor & turbator Reip. AS. *ehtere*, Græc. ἐχθρὸς.

ÆNLICH, ſimilis. Iſidoro *anachilihho* pag. 243. *Got giscuaf mannan anachilühhan*, Deus creavit hominem ſibi ſimilem. Componitur autem vox Iſidori (unde noſtra per contractionem orta) ab adverbio ſimilitudinis *ana*, quod hodie effertur *an*, & adjectivo *chilihho* ſimilis, quod hodie effertur *gleich*, in compoſitis *lich*.

ÆR, ſpica. Gloſſ. Pez. ſpica *ahir*. Idem Angloſaxonibus *ear*. In Lexico Runico *aar* exponitur proventus annonæ. Atque inter nomina menſium Carolina eſt etiam *Aran-manoth*, Auguſtus, quaſi menſis ſpicilegii. Ipſum vero *ar* Helvigio videtur vel apocopatum ex *ariſta*, vel ſyncopatum ex ἀθὴρ, quamvis præter neceſſitatem, cum longe veroſimilius ſit, utramque vocem tam Græcam quam Latinam, a Celtis promanaſſe.

ÆTTE, pater. Vox pueris apud Svevos & Helvetios inprimis familiaris, ſed vetuſtiſſima, & a Phrygibus jam uſurpata, ut diximus in Præfatione. Hoc etiam blandimento alloquitur Diana Jovem apud Callimachum in Hymno Dianæ verſ. 5. *Da mihi ἄττα* (ſic enim legunt quidam Codices vetuſti, non ἄππα) *virginitatem æternam conſervare*. Latini, ut prodit Feſtus, pro reverentia cuilibet ſeni dicunt *atta*, quaſi patris eum nomine appellantes.

lantes. Unde porro iiſdem *atavus* quaſi pater avi dicitur. Gothi dicunt *atta* eodem ſenſu, Cantabri *aita* obſervante Junio, Friſii *hayte*, Armorici *tad* per metatheſin, quod imitatur quædam inſcriptio apud Gruterum pag. 662. DIS· M· ZETHO· CORINTHVS· TATA· EIVS· ET· NICE· MAMA· F· Voſſio videtur factum a ſono puerorum, cum lallare incipiunt, adeoque ab ipſa ſuggeſtum natura. Hoc nomen magnam & illuſtrem familiam ducit in omnibus fere Dialectis. Nam ab *atta* pater, Germanis derivatur *adel* nobilitas, genus paternum, *edel* nobilis, patritius, Islandis *att* genus, proſapia, majores, *attlund* patria, *attiord* ſolum natale, *ættmenn* propinqui, *edli*, *edle* natura, indoles, ingenium, quæ vide apud Verelium in Indice.

ÆZEN, cibare. Ab antiquo *az* cibus, quod vide in *As*. Hodie tantum dicitur de avibus, quæ cibo in os ingeſto pullos ſuos paſcere ſolent. Convenit *obeſare*, quo utitur Columella Lib. 8. cap. 7.

ÆZEN, allicere. Ab *as* cibus fallax, quo feræ ineſcantur. Priſci delectantur compoſito *an-azan*. Gloſſ. Pez. inſtigaſſet *anazti*, incentor *anazari*, ſtimulis *anazung*. Gloſſ. Boxhorn. inſtigante *anazentemu*.

AFFE, ſimia. Angloſax. *apa*, Angl. *ape*, Camb. *ap*, *eppa*. Proprie imitator & mima hominis, ſive ab adverb. ſimilitudinis *ab* immediate, quod in multis Dialectis, tam recentibus quam antiquis effertur *af*, ut notavimus in Præfixis, ſive a verbo inde oriundo *affen* imitari. Nomen aptius animali imponi vix poterat. Nam ex omnibus brutis nullum eſt, quod ad ſpeciem humanam magis accedat, aut facta hominum magis imitetur. Plinius: *Simiarum genera perfectam hominis imitationem continent, facie, naribus, auribus, palpebris &c.* Et alibi: *Mira ſolertia, viſco inungi, laqueisque calceari imitatione venantium tradunt. Mutianus & latrunculis luſiſſe &c.* Appoſite etiam Cyprianus Epiſt. 73. *Simia-*

Digitized by Google

rum more, quæ cum homines non ſint, homines tamen imitantur. Hinc imitatores ſtolidi & abſurdi vulgo vocari ſolent *ſimiæ.* Sic Regulus Ruſticum per convitium appellat *Stoicorum Simiam*, apud Plinium Lib. I. Epiſt. 5 Eſt & laudabile imitandi ſtudium, propter quod etiam præſtantiſſimi naturæ imitatores, & artes quoque ipſæ cum Simiis comparantur. Sic ars pictoria, cum ſit naturæ in lineis & coloribus imitatrix, hieroglyphice per Simiam deſignatur. Ob eandem cauſam Tatianus, celebris pictor, appellatus eſt ſui temporis Simia, quod naturam perfecte imitaretur, teſte Catanæo in not. ad Plin. Eadem vis Latini vocabuli, ſi Celticas origines adhibeas Vide, ſi juvat, obſervationes noſtras ad particulam *Sam* in Præfixis, & apparebit, SIMIAM non a ſimis naribus ſic dici, ut vulgo credunt, ſed potius a ſimilitudine, ſive formæ externæ, ſive morum & actionum, cum homine.

AFRICA, pars mundi meridionalis, ab antiquis Celtarum Philoſophis ſic dicta, quod *regio ſimiarum* eſſet. Nomen videtur a Phrygibus conditum, ex *af* & *riçe*, quorum illud ſimiam, hoc regionem, ditionem & regnum hodieque ſignificat. Conſtat enim Phryges antiquitus uſos eſſe lingua Germanicæ ſimili: quod ideo moneo, ne quis ad hanc Etymologiam obſtupeſcat. Nomen certe Barbarum eſt, & a vetuſtiſſimis Græcorum non intellectum. Herodotus lib. 4. cap. 45. *Neque poſſum conjectura colligere, unde, cum una ſit Terra, trifaria ſint ei nomina indita e mulierum cognominibus.* Unde dubium non eſt, Græcos id nominis aliunde accepiſſe. A quibus autem, niſi a Phrygibus mortalium antiquiſſimis & ſapientiſſimis? Hos enim Cœlum & Terram primos lineis deſcripſiſſe, & deſcriptiones ſuas Græcis tradidiſſe, alibi oſtendimus. Res ipſa mire reſpondet vocabulo. Quis enim in Geographia adeo hoſpes eſt, ut Africam ſimiarum quaſi natale ſolum eſſe neſciat? Solinus in Memorabilibus Africæ: *Omne autem latifundium, quod inter*

inter Ægyptum, Æthiopiam Libyamque diffunditur, quantumque lucis opacum eſt, varium implevit Simiarum genus. Ad quæ verba Commentator Solini Georgius Draudius in margine notavit, *Africa Simiarum patria.* Similia refert Strabo e Poſidonio de Sylvis Libyæ Lib. 17. Geographiæ.

AFTER, poſt. Gothis *aſtaro* retro. Angloſaxonibus & Alamannis apud Keronem *after* poſt. Græcis *αὐτὰρ* poſtea. Cuncta cognato ſignificatu. Viget hodie in compoſitis, cujusmodi ſunt *after-darm* inteſtinum rectum, *after-erbe* hæres ſubſtitutus, *after-geburt* ſecundinæ, *afterkind* poſthumus, *afterlehn* ſubfeudum, *after-rede* calumnia, & aliis.

AL, anguilla. Apud Latinos nomen habet a forma ſerpentina, apud Germanos a pinguedine, ſi derivetur ab *ala* ſaginare, quod extat in Indice Verelii. Vide vero annon *al* forte correptum ſit ex *alah*. Nam in Gloſſis Pezianis anguilla exponitur *alh.* Quod ipſum videtur contractum ex *alah*. Quid autem ſit *alah*, rimatoribus antiquitatis obſcurum eſſe nequit. Nam *a.* vim negandi habet in compoſitis, ut notavimus in Præfixis. Negat autem hoc loco luſum venereum, qui priſcis dicitur *lah*, recentioribus *laich*, a verbo *laichen* ludere, quod vide ſuo loco. Jam cum Plinius anguillam animalibus adnumeret, *quibus nec genus maſculinum eſt, fæmininumve, quæque nec animal nec ovum ex ſe generant*, inſolens videri non debet, ſi majores noſtri idem ſenſerint de hoc piſce, eamque ob cauſam nomen illi creaverint ab impotentia generandi, mira in tam fecundo elemento naturæ proprietate.

ALLENTHALBEN, ubique. Proprie ex omni latere. Nam *halb*, quod rei diviſæ hodie pars dimidia eſt, olim ſignificavit latus, ut diximus in voce.

ALMANACH, Calendarium. Quidam conflari putant ex articulo Arabico *al*, & dictione Græca *μὴν*, menſem

ſem denotante. Jamblichus vero *ἀλμεναχικὰ* inter voces ægyptias refert, Sect. VIII. de Myſteriis cap. 4. Et Ægyptios hac voce prædictiones rerum contingentium ex ordine & ſerie menſium diſpoſitas deſignaſſe, ex Porphyrio probat Duchenius in Gloſſario. H. Stephanus Germanis vocem vindicat, quaſi ex communi formula Hiſtoricorum *ALS MAN NACH der geburt Chriſti zelte &c.* natam, jlocalariter magis, quam vere.

ALP, ephialtes. Proprie Dæmon vel genius loci. Nam in lingua Angloſax. *wæter-ælf* eſt dæmon aquaticus, *land-ælf* dæmon campeſtris, *dun-ælf* dæmon montanus. Et in Indice Verelii *alf* exponitur dæmon. Scoti quoque, ni fallor, Dæmones vocant *Elvas*. Tribuitur autem hoc nomen ſomno graviori, quod vulgo perſvaſum ſit, halitum dormientium a ſpiritu quodam incubo intercludi.

ALPEN, alpes. Videntur ſic dicti ab albedine, quod montes iſti perpetuis nivibus caneſcant. Eſt enim *alb* ſive *alp* pro albo vox Celtica perantiqua, & Armoricis hodieque uſitata, unde candidus Latinis dicitur *albus*, judice Pezronio. Nec deſunt veſtigia hujus vocis apud Francos & Alamannos. Nam olor R. Mauro appellatur *alpiz*. Et Gloſſæ a R. Pezio publicatæ Cygnum interpretantur *alpiz*. Unde, niſi a Candore? Hos imitantur Helvetii in *elbſch* apud Pictorium. Omitto jam Græcos, quibus *ἄλφος* macula alba dicitur.

ALTAR, ara. A Latino *altare*, auctoribus Francis & Alamannis, qui primi hanc vocem civitate donarunt. Kero: altaris *altarres*. Gothi altare vocant *hunslaſtads*, quaſi locum ſacrificii; Saxones *weofod*, quaſi menſam ſacram & pulvinar ſacrum. Vide, ſi juvat, Evangelium Gothicum & Angloſaxonicum Matth. V, 23. & Luc. I, 11.

AMBT, officium, munus, miniſterium & quodvis negotium. Hujus vocis generatio ita ſe habet. A Belgico

achter

achter pone, poſt, oritur apud Alam. & Francos *ahton*, proſequi. Inde porro proſeminatur compoſitum *ambahtan* miniſtrare, circumſectari, cujus ſoboles eſt *ambaht* officium. *Ambaht* autem contrahitur in *ambt*. Hujusmodi contractio haud nupera ſed valde antiqua eſt. Nam in Gloſſis Pez. negotium exponitur *ampht*.

AMBTMAN, prætor cauſarum civilium, præfectus loci, vel judicii in loco. Contractum ex antiquiore *ambachtman*, quo omnis, qui officio aliquo apud Principem, civili aut militari fungitur, inſigniebatur. Gloſſ. Lipſ. *ambachtman* miniſtri. Gloſſ. R. Mauri: tribunus *ampakman*, qui vel mille præeſt viris. *Man* dignitatis gratia adjectum videtur, ut ſignificet eum, qui cæteris miniſtrantibus præeſt. Ubi vero *man* omittitur in fine, tunc ſuppletur in capite per *walt*. Hinc centurio Tatiano dicitur *waltambaht*, CCXII. 5. Alias *ambaht* extra compoſitionem cum nota dignitatis, duo ſignificat antiquis, officium, & eum, qui officii vel obſequii cauſa potentiorem ſectatur. Kero: officium *ambahti*, miniſter *ambath*. Lege *ambaht*. Junius etymon vocis repetit a ſubſtantivo *bah* tergum, quod miniſtrantes ſoleant circumſtare eos, quorum aſſeclæ ſunt: Stiernhielmius a *biudan* præcipere: uterque incommode. Nam *ambaht* nomen habet a ſectando. Hunc ſenſum poſtulat radix *ahton* ſequi, perſequi, proſequi, quæ non ſolum de inimicis, ſed etiam de amicis dicitur, ut demonſtravimus in Notis ad Keron. Et hoc ſenſu veteres quoque Galli Germanica voce uſi ſunt, teſte Cæſare, qui vocem Barbaram Latine reddit *ambactus*. Lib. VI. de Bello Gall. cap. XIV. *Ut quisque eſt genere copiisque ampliſſimus, ita plurimos circa ſe AMBACTOS Clienteſque habet.* Feſtus *ambactos* interpretatur *circumactos*, ſed perperam. Nam vox origine Belgica eſt, & proprie ſignificat ſectatorem, prætereaque nihil. Cæſar ejusmodi ſectatores alibi vocat *Soldurios*, Tacitus vero *Comites*. Uterque ſuos graphice & pro-

& prolixe deſcripſit. Ille Lib. III. de Bello Gall. cap. XXII. Hic de moribus Germanorum cap. XIII. & XIV. *Am* ſignificat circum apud Cambros, & optime præfigitur iis, qui potentiorem aliquem obſequii & obſervantiæ cauſa ſequuntur. Hinc illi, qui circa aliquem ſunt, Græcis ſimpliciter dicuntur *οἱ ἀμφὶ*, ut *οἱ ἀμφὶ τὸν Ὀρφέα* Orphei ſectatores apud Platonem, & *οἱ ἀμφὶ Κόδρον* Codro proximi apud Herodotum.

AMEIS, formica. Latinis a ferendis micis, Germanis a fuga otii ſic dicta, quaſi *ano muaz* (ut Alamannice loquar) hoc eſt, impigra. Componitur enim a ſubſtantivo *muaz* otium, quod vide in *Emſig*, & præfixo *a.* quod otium negat. Eſt autem formica animal occupatiſſimum. Unde etiam Horatio *parvula magni formica laboris* dicitur Sat. 1. Labores formicarum brevi encomio complexus eſt Plinius in Hiſt. naturali XI. 30. quod cum lectu jucundum ſit, hic deſcribam: *Si quis comparet onera corporibus eorum, fateatur, nullis portione vires eſſe majores. Gerunt ea morſu. Majora averſa poſtremis pedibus moliuntur, humeris obnixæ. Et iis Reip. ratio, memoria, cura. Semina arroſa condunt, ne rurſus in fruges exeant e terra. Majora ad introitum dividunt. Madefacta imbre proferunt atque ſiccant Operantur & noctu plena luna.* Helvetii hoc inſectum vocant *ambeis*, ſive quia morſu gerit, ut Plinius ait, onera ſua, ſive per epentheſin, ex nimia labiorum compreſſione ortam, qua fit, ut litera *b.* quæ naturaliter incipit, ubi *m.* deſinit, ſimul protrudatur. Sic vulgus in Græcia olim Alamannos vocavit *Alambannos*, teſte Dione in Excerptis.

AMMAN, prætor urbanus in Civitatibus Imp. Vox nimis arcta, & ideo obſcura, utpote ab uſu vocabulorum Tyranno ex voce correpta *ambtman* de novo & anguſtius contracta, non nuper quidem, ſed jam ante aliquot ſæcula, ut ex Gloſſario Dufrenii in voce apparet.

AN-

Digitized by Google

ANBRECHEN, illuceſcere, *anbruch des tages* prima lux, *anbrechend* ſublucanus, *anbrechender tag* dies oriens. Non a *brechen* frangere, ſed a *brechen* fulgere, & adverbio ordinis *an:* ita ut *anbrechen* ſit ſpargere primitias lucis. *Brechen* pro fulgere, vox antiquiſſima eſt, quæ adhuc ante D. annos viguit. In Scriptoribus Parænet. Goldaſti pag. 448. Stellæ micantes vocantur *brechende ſterne*, a *brechen* nitere, fulgere, ut recte obſervatum Goldaſto. Ab hoc verbo clarus, lucidus, fulgidus Gothis dicitur *bairht*, Angloſax. *beorth*, Camb. *berth*, Angl. *bright*, Germanis prioribus *brecht*, ut patet ex nominibus propriis, *Albrecht* præclarus, *Adelbrecht* genere & nobilitate clarus, & ſimilibus. Quibus jungi poſſunt verba vetera pud Lipſium: *filoberth* præclara, *filuberthon* præclaris. Ex eodem fonte eſt ſubſtantivum *bracht*, quo ſplendorem & claritatem principum virorum in ædificiis, veſtimentis, & reliquo cultu ſignificare ſolemus. Confer Keronem in *Præclara*.

ANDEN, graviter animadvertere, ſive zelare. Angloſax. *andian*, Otfrido *anton* Lib. III. cap. XIV. Inde zelus Angloſaxon. *anda*, Keroni *anto*. Cuncta a particula *ant* vel *and* quæ in multis compoſitis apud veteres *contra* ſignificat. Similiter Græcis ab *ἀντὶ* derivatur *ἀντιᾶν*, obviam ire, tendere in aliquem, nonnulla cum reliquis affinitate.

ANEN, avi, proavi, majores. Ejuſdem cum *anherr* originis. Adverbium ordinis *an*, quando abit in ſubſtantivum, naturaliter producit hunc ſignificatum. Antiquitatem vocis collige ex his Otfridi de B. Virgine rythmis Lib. I. cap. 2. *Uuanta ira Anon uuarun thanana Gotes drut thegana.* Nam progenitores ejus erant fideles Dei miniſtri. Audi etymon bove dignum in Gloſſis Germ. ad *Land-Recht* Art. 29. Lib. 3. *Das wort AHNEN iſt aus dem Latein gezogen, von dem wörtlein ANUS, welches heiſſet der hinder an dem Menſchen.* Contu-

meliam

meliam hoc dixeris, non etymologiam. Mirum eſt, hunc auctorem majores ſuos non deduxiſſe ab Aſinis per Syncopen.

ANEN, ominari, præſagire, ab adverb. ſimilitudinis *an*. Nam a ſimilibus ſimilium fit admonitio. Hinc quando mens ex ſimilibus colligit præterita, tunc dicitur *recordari*. Quando vero ex ſimilibus colligit futura, tunc dicitur *ominari*.

ANGER, pratum. Gloſſ. Pez. arva *angar*. Verelio in Indice *angur* exponitur ſinus. Hinc ſuſpicor, *anger* eſſe ſinum terræ haud ſpatioſum, & forte ab *eng* arctus, ſic dictum. Græca ἄγκος, ἀγκίον vallis, convallis, haud male conveniunt cum reliquis.

ANGESICHT, facies, vultus, adſpectus. Gloſſ. Pez. vultus *anaſicht*. *An* notat motum radiorum ad locum, quem reſpicimus.

ANGST, anguſtia. Cambris *angen* neceſſitas, *ynged* anguſtia. Græcis ἄγχειν coarctare, conſtringere, ἄγχος conſtrictio. Quibus conſentiunt Latina *angere* & *anxius*. Cuncta ab *eng* arctus, anguſtus, quod Cambris effertur *ing*.

ANHERR, avus. Quaſi dominus originis. Ab adverb. ordinis *an*, quod principium rei ſignificat, ſicut Latinis *ante*. Vulgus in Svevia pro *anherr* dicit *æne*, brevius & rectius. Eſt enim *æne* vi originis quaſi *anticus*, ſive is, qui ante alios natura, ordine, & generatione exiſtit, & qui quaſi princeps & antiſtes familiæ eſt. Ex eodem fonte vetula Latinis dicitur *anus*, & natu maximus Gallis *ainé*. Similiter ab adverbio ordinis *ante* fit apud Latinos *antiquus*, & *anterior*, apud Gallos *ancien*, apud Italos *anciano*. Ipſum vero *ante* videtur a Celtico *an* tanquam ſimpliciori ortum.

ANKE, ſive *ænke*, juvenis, adoleſcens, proprie is, qui proximus noſter eſt quocunque modo, ab adverbio Celtico *wng* prope, Cambris hodie uſitato. Cui conſentit

tit Græcum ἐγγὺς eodem ſignificatu. Duplex autem eſt haud dubie proximitas, alia ſanguinis & cognationis, alia comitatus & miniſterii. Proximi enim nobis ſunt non ſolum cognati, ſed etiam ii, qui prope nos ſunt, & circa nos verſantur obſequii cauſa. Igitur vi originis *anke* ſignificat primo proximum cognatum, plane ut Latinis *propinquus* a *prope*, & hoc ſenſu ſuperat nobis in diminutivo *ænkel*, nepos: Deinde quemcunque nobis miniſtrantem, ſive officium ejus nobile ſit, ſive ſordidum & mercenarium. Hinc in Gloſſis Iſidori *Anculus* (ſic enim legendum cum Salmaſio, non *aculus*, ut vulgo) dicitur *miniſterialis domus regiæ*. Hinc in Gloſſis Theotiſcis *akermann* & *anke* ſæpe ſunt Synonyma. Gloſſ. Pez. agricultura (lege agricultore) *acharmanne*, *eincho*. Hinc in Saxonia inferiore omnes juvenes & ſervi agricultorum hodieque vocantur *ænke*. Eandem vocem (ſi præjudicata abſit opinio) reperire licet in Græcia & Latio in derivatis. Græcis ἐγκονεῖν eſt cum ſedulitate laborare, ἐγκονὶς, ἐγκονίδες famulæ, miniſtræ, ἄγκονος diaconus, ſervus, apud Heſychium. Latini utuntur *ancilla* pro miniſtra, & *anculare* pro miniſtrare, teſte Feſto. Apud eundem invenies *anculos* & *anculas* Deorum miniſtros. Occurrit & *Ancus* inter nomina propria veterum Latinorum. Cuncta e fonte Celtico, ut conſideranti patet.

ANLEHNEN, incumbere. Keroni: *analhineen*, Angloſax. *onhlinian*, Græc. ἀνακλίνειν, ἐγκλίνειν, Lat. *inclinare*, Gall. *encliner*. Cuncta a primitivo *glin* genu, quod ſuperat eo ſenſu apud Cambros & Armoricos.

ANLUGEN, intueri. Verbum Svevis & Helvetiis hodie uſitatum, a ſimplici *lugen*, proſpicere, quod vide ſuo loco. *An* notat motum radiorum verſus objectum, quod adſpicimus. Ab hoc verbo formarunt veteres ſubſtantivum *anlucce* facies, quod extat in Gloſſ. Lipſ.

ANSE-

ANSEHEN, ſubſt. auctoritas. Ab aſpici, monſtrari, & dicier hic eſt. Utimur de iis, qui ob excellentem aliquam virtutem aut dignitatem omnium oculos in ſe convertunt. ' Angloſaxones eodem ſenſu dicunt *anſyne.*

ANTEN, privare; A privativo *ant,* quod vide inter Præfixa in ENT. Ab hoc verbo fit ſubſtantivum *antida* privatio, ablatio, alienatio, vox Francis præprimis uſitata, quæ in Lege Salica Latine redditur *antidio*, recte vidente & obſervante Cl. Eccardo in notis pag. 24. Ipſum verbum viguit adhuc ante D. annos. Winsbeck ad Filium, §. 29.

Gut, das iſt gitikeit ein klobe,
Dem es iſt lieber dannc Got und weltlich ere, ich wene er tobe,
Den es alſo gevaſſet für,
Das er ſich ante ir beider é, danne er das eine gar verkür.

Hodie obſoleſcit. Superat tamen in compoſito *verganten,* quod vide infra in loco.

ANTLIZ, vultus, facies. Gothis *andawleiz,* item *wlits* ſimpliciter, Angloſax. *andwlite,* Gloſſis Boxh. *antlutte,* Islandis *andlit.* Significat proprie obtutum, ſive adſpectum oppoſitum. Principium & caput vocis eſt præfixum *ant* contra, adverſus, de cujus emphaſi in hac voce egimus in Prolegomenis. Ideoque apud Islandos *andlit* & *vidurlit* habentur pro Synonymis, teſte Verelio in Indice. Altera compoſiti pars ſignificat intuitum. Nam reſpicere, intueri, Gothis & Angloſax. dicitur *wlitan,* Islandis *lita,* per truncationem literæ W. ab initio vocis. Sed prius antiquius eſt, quamvis a bona poſteritate repudiatum. Et auſim dicere, *wlitan* eſſe vocem vetuſtiſſimam, & Celticæ Linguæ coævam, eo quod *vultus* apud Latinos non aliunde melius & commodius quam ab hoc verbo deducatur. Adde, quod *vultus*

& *wlits*

& *wlits* ſimilitudine ſoni ſe mutuo referant, & communem teſtentur parentem. Bödikerus, vir alias haud indoctus, vocabulum *antliz*, quod Gothicum eſſe vidimus, ſic dictum cenſet, ab *anden* & *laſſen*, hoc addito interpretamento, *dabey man andet, wie es einem læſſet:* Quod neſcio an viris in Literatura Antiquo-Germanica verſatis ſit perſuaſurus. Ejusdem cenſus eſt Etymologia ab alio haud inferioris doctrinæ Viro allata, qui nullo veterum ſuffragio *antliz* mutavit in *antgliz*, & *gliz* calvitium interpretatur, quaſi *antliz* ſit id, ubi coma deficit, *die vordere glaze des haubtes.*

ANTWORT, reſponſum. Gothis *andawaurd*, Angloſax. *andwyrd.* Francis & Alam. *anduuurti.* Proprie ſermo qui regeritur interroganti. A præfixo *ant* contra, adverſus, & *wort* ſermo. Kero: ſermo *wort*, bonus ſermo *cuataz uuort.*

ANTWORTEN, reſpondere. Kero: reſpondeas *antuuurti.* Gothi & Saxones carent hoc compoſito. Gothis tamen a *waurd* ſermo, derivatur *waurdjan* loqui.

ANZüNDEN, Gothis *intandjan*, Lat. *incendere*, *accendere.* Originem vocis vide in *zunder.*

APFEL, pomum. Gloſſ. Boxhorn. mala aurea *effeli chuldine.* Gloſſ. Pez. malum *aphol*, mala punica *rota ephili*, ſub malo *unter affoltrun.* Idem Cambris & Armor. *afal.* Procop. in Cherſon. Taur. *apel.* Quibus conveniunt quædam Sorabica, cujusmodi ſunt *jablo* pomum, *jablon* malus, *jablunke* locus malis conſitus.

AR, aquila, rectius *arn*, ut reliquæ Dialecti. Angloſaxonibus *earn*, Islandis *ern*, Belg. *arend*, Camb. *eryr.* Idem quod Gallis hodie *conquerant.* Nam conſequi, conquirere Alam. & Francis dicitur *arnon*, *kearnon*, Angloſax. *gearnian*, Anglis *to earne*, Germ. *arnen*, *erarnen*, & hinc meſſis *ernde*, quaſi acquiſitio. Ab *arnon* igitur eſt *arn* aquila, conqueſtor inter aves. Quod nomen apprime convenit huic volucri. Non enim in proximo prædatur

aquila, ſed prædas ſuas undique conquirit, teſte Plinio, & hinc gratiſſimum populorum domitoribus Symbolum eſt. Primus illam Romanis Legionibus dicavit C. Marius, cum antea lupi, minotauri, equi, aprique ſingulos ordines anteirent. Hodie *ar* extra conjunctionem obſoleſcit. Superat tamen in compoſitis, cujusmodi ſunt, *fiſch-ar* aquila marina piſcibus infeſta, Lev. XI, 13. Deut. XIV, 12. *ent-ar* anateria, *ſtoſſ-ar* accipiter, *adel-ar* contracte *adler* nobilior aquila, *ſpraw-ar* contracte *ſperber* accipiter paſſerum: nec non in nominibus propriis quarundam Germaniæ urbium, ut ſunt, *Arnheim*, *Arnſtat* &c. quarum Catalogum contexuit Spangenberg in Speculo Nobilitatis. Helvigius vocem deducit ab αἱρέω capio, ut aquila ſit accipiter. Quod acceptari poſſet, ſi neceſſitas confugiendi ad Græcos, quæ hic nulla eſt, nobis incumberet.

ARBEIT, labor. Keroni: *arbaeit*, Lexico Run. *erfide*. Proprie laboris patientia. Vox antiquiſſima, & ab ipſa agricultura (qui primus hominum labor fuit) profecta, & poſtea ad reliquas humanæ vitæ occupationes adhibita. Originem refert ad *ar*, quod in Lex. Run. exponitur cultura, & verbum Gothicum *beidan* pati, quod extat eo ſignificatu apud Ulfilam Luc. XVIII, 7. Tranſiit vox Germanica per metatheſin literarum etiam in alias linguas. Hinc Cambris dicitur *trafael*, *trafod*, Hiſpanis *trabajo*, Gallis *travail*, Italis *travaglio*. Alii alias claviculas admovent, ut vocem obſcuram aperiant. Sunt, qui *arbeit* idem eſſe volunt, ac *arb* hæreditas, & *heite* promiſſio, quia labor occupantibus ampliſſimum proventum promittit. Aliis *arbeiten* ſic dicitur, quaſi *erdbe-eiden* terram colere, a veteri Friſico *eyde* raſtrum.

ARG, pravus. Proprie perverſus. Corruptum ex *arug*, quo priſci uſi ſunt. Gloſſ. Lipſ. *arug* perverſa. Origo vocis eſt a præfixo *a*. quod hoc loco ſenſum intendit, & ſubſt. *rug* tergum. Similiter perverſus Keroni dicitur

Digitized by Google

dicitur *ababe*, a *bab* tergum. Longobardis *arga* ignavum & inertem ſignificat. Vide Paul. Diacon. de Geſtis Longobardor. Lib. 6. cap. 24. & Leges Longobard. Lib. 1. Tit. 5. Sed hic ſenſus Græcus eſt, non Germanicus. Græcis enim ἀργὸς ignavum notat.

ARM, brachium, Gothis *arms*, Angloſax. *earm*, Franc. *arm*. Armoricis *armm* tota compago ab humeris usque ad pugnum. Idem Græcis ἀρμὸς, Lat. *armus*. Et hinc porro *armillæ* ornamenta brachiorum. Sunt autem brachia arma hominis prima & naturalia, quibus homo a natura ad profligendas injurias præ cæteris animalibus inſtructus eſt. Vide ergo, annon inſtrumentis bellicis ſive *armis* appellandis occaſionem dederint apud veteres Latinos? Horum enim lingua, perinde ut Græca, plena eſt vocibus Celticis. Nec deſunt graviſſimæ rationes, quibus oſtendatur, ipſam *brachii* vocem origine Celticam eſſe. Nam membrum illud humani corporis, cum ſit volubile, & ad defenſionem corporis affabre à natura factum, Cambris & Armoricis, veteris Linguæ Celticæ cuſtodibus, dicitur *braich* ſive *brech*, omnino a *brechen* frangere, quod in medio ruptum ſit, & hinc Latinis *brachium*, aut nullo aut eodem ſenſu, ut optime obſervatum Pezronio in Antiq. Celt. pag. 376.

ARMBRUST, baliſta. Verel. in Ind. *armborſt*, arcus, ex quo ſagitta mittitur. Videtur idem quod brachium fractum, cujus ſpeciem refert. A *breſta* frangi, quod extat in eod. Indice.

ART, genus, natura, indoles, bona vel mala, Hiſpanis *arte*. Græcis ἀρετὴ eſt indoles bona, & virtus inſita: Gallis *ard* vitium naturale corporis vel animi in quibusdam compoſitis, cujusmodi ſunt, *babillard*, *gaillard*, & alia, Duumviris in Etymologia Linguæ Germanicæ, Stadenio & Diecmanno in not. ad Gloſſas R. Mauri obſervata. In iisdem Gloſſis occurrit *elir-arter* barbarus,

 peregri-

Digitized by Google

peregrini generis, manifeſto indicio, vocem *art* Priſcis quoque uſitatam fuiſſe.

AS, cibus, victus. Alam. *az*, Turcis *as*. Lat. *eſus*, *eſca*. Gloſſ. Lipſ. *at* eſcas. Gloſſ. Pez. in cibos *zi azun*, inedia *azaloſi*. Refer ad *ezzan* edere, quod extat apud Keron. *As* pro cibo hodie obſoleſcit. Viget tamen in derivatis *æſſig* veſcus, *æzen* cibare.

AS, cadaver, morticinium. Proprie cibus fraudulentus, ſive illicium, quod feris ineſcandis per inſidias objicitur. Inde *æzen* allicere.

AS, monas. Utimur hodie in ludo latrunculorum. Similiter Islandis *as* monas, teſte Verel. in Indice. Græcis εἷς unus.

ASCHE, cinis. Gothis *azgo*, Angloſ. *axa*, Franc. *aſca*. Gloſſ. Lipſ. *aſca* cinis. Verel. in Ind. *aska* cinis, pulvis. Heſychio quoque ἄζα exponitur pulvis, obſervante Fr. Junio.

ASCHE, ſive *æſche*, fraxinus. Angloſax. *æſc*. Franc. & Alam. *aſch*. Gloſſ. Pez. fraxinus *aſch*. Verel. in Ind. *askr* baculus de fraxino. Carmina antiqua celebrant quoddam Genus hominum FRAXINEUM. Heſiod. Op. & dies verſ. 145. *Tertium Genus æneum e FRAXINIS, vehemens & robuſtum, quibus Martis opera curæ.* Vox ipſa nos manu ducit ad genus ASCANIUM, hoc eſt, Phrygium, unde Germanos & reliquos Celtarum populos (quibus deſcriptio Poetæ apprime convenit) oriundos eſſe, in Diſſertatione *de Origine Gentis & Linguæ Germanicæ*, docebo.

ASCHE, aqua. Vox olim multis populis Celticis in Britannia familiaris. Willielmus Baxter in Gloſſario Antiq. Britann. *isca*, hoc eſt, aqua. Et mox: Erant *iſcæ* in Britannia innumeræ: apud Belgas etiam flumen *eſcb* vel *aſch* eſt, quod pro *iſca* venit. Eduardus Luidius in Adverſariis poſthumis: *uyſc*, Anglis *usk*, Hibernis *uisge* aqua. Hodie apud noſtros non occurrit, antiquitus tamen obtinuiſſe ex derivato *waſchen* conjicio. Quid

enim

enim eſt *waſchen*, niſi aqua profluente abluere? Idem colligi poteſt ex nomine proprio *Aſciburgium* apud Tacitum cap. III. de M. G. Nam ſi ullum fuit unquam ejus nominis Burgum in ripa Rheni ſitum, inde certe nomen habuit. Hodie dixeris *Waſſerburg*.

ASCHE, navis. Extat eodem ſenſu in Lege Salica. Verelius in Ind. *ask*, *askur* navis. Inde piratæ Adamo Bremenſi vocantur *aſcomannen*, quod Sagittarius fruſtra interpretatur *haſchemænner*. Nam ſecreta veterum vocabulorum non poſſunt nec debent ex ſimilitudine cum hodiernis dijudicari. Hodie utrumque obſoleſcit.

ASIA, pars Mundi orientalis, ſic dicta, quod Deorum patria eſſet, ſicut Africa ſimiarum. Nam *as* ſeptentrionalibus Deus eſt, & *æſar* Dii, prout ex Monumentis Runicis & Mythologia Islandorum manifeſtum eſt. Idem liquet ex Indice Verelii, ubi, *as* Deus, *aſiamenn* viri divini, ſive Dii, qui cum Odino in Scandiam venerunt, *askyndur* divinæ originis. Proprie quidem monadem denotat; Sed refertur ad Deum, quod *Omnibus ex nihilo ducendis ſufficit UNUS*. Cujus rei perſpicuum ſymbolum eſt in numeris. Quemadmodum igitur DEUS a bonitate dicitur GOT, ita ab unitate AS. Fallitur igitur Vir celeberrimus Hickeſius, quod nomen AS gentile putet Diis ſeptentrionalibus, cum revera ſit appellativum, non ſolum apud Septemtrionales, ſed etiam apud Hetruſcos, qui Odinum cum comitatu ſuo nunquam viderunt. Teſtis luculentus eſt Suetonius in vita Auguſti cap. 97. *Sub idem tempus ictu fulminis ex inſcriptione Statuæ ejus prima nominis litera effluxit. Reſponſum eſt, centum ſolos dies poſt hac victurum, quem numerum C. litera notaret: futurumque ut inter Deos referretur, quod ÆSAR, id eſt, reliqua pars e Cæſaris nomine Etruſca lingua DEUS* (imo Dii) *vocarentur*. Teſtis quoque Heſychius: Αἰσοί, θεοὶ ὑπὸ Τυῤῥηνῶν: *Æſi, Dii apud Tyrrhenos*. Primus vocem Septemtrioni intuliſſe

videtur *Odinus*, Princeps Phrygius, quem metu Pompeji in Scandiam fugiſſe, tradit EDDA Islandorum, cui in re patria credendum. Hunc poſteritas vocavit ASAM, i. e. Deum, quod humana natura aliquid ſublimius habere crederetur, nec illum tantum, ſed & comitatum ejus. Quemadmodum enim, qui Saturnum olim comitabantur, DII cognominati ſunt, teſte Sanchoniathone apud Euſeb. in Præp. Evang. Lib. I. cap. 10. Ita commilitones Odini ſimiliter dicti ſunt ASÆ, i. e. Dii. Eadem vox diu ante Odinum potuit innoteſcere Tyrrhenis per Æneam Trojanum, qui haud dubie multa vocabula Phrygia ſeu Celtica Italiæ intulit, ſicut poſtea Odinus Septemtrioni. Nam ut reliquas voces nunc omittam, altare in priſco ſermone Latino non *ara* ſed *aſa* dicebatur. Unde, niſi a re divina, quæ in ara peragitur? Varroni quidem aliter videtur, qui *aſam* ab *anſis* deducit apud Macrobium Saturn. III. 2. Sed hoc neminem debet morari, cum Latini ipſi Linguæ ſuæ plerumque ſint ignari, id quod illis a Perizonio aliquoties & merito quidem objicitur in notis ad Sanctii Minervam. Unde jam nullus dubito, nomen *as* ſenſu Germanico & Hetruſco Phrygium eſſe, & partem Mundi Orientalem illo denominari, quod veteres in ea Terræ parte Deorum patriam collocaſſent. Deos enim ex minore Aſia, quæ univerſæ Aſiæ nomen dedit, prodiiſſe, & Phrygiam pro natali ſolo agnoſcere, conſtans fama eſt, quam alibi fuſe demonſtrabo. Recte igitur & ſapienter a Gudmundo Andreæ ASIA exponitur *terra ſacra, ſolum divinum*, in Explicatione Voluſpæ §. 20. Merito etiam Germani eandem vocem ſibi vindicant, quatenus Lingua Phrygia utuntur, etiamſi hodie *as* præter unitatem nihil illis ſignificet.

AUROCHS, rectius *urochs*, bos ſylveſtris, Latinis per apocopen *urus*. Macrobius Lib. 6. Saturnal. cap. 4. vocem eſſe Gallicam putat. URI, inquit, *Gallica vox eſt, qua feri boves ſignificantur*. Sed vel Gallicam poſuit pro Germanica,

Germanica, Gallos & Germanos more veterum confundens, vel certe haud explorata ſcripſit. Nam priſcis illis Gallis, quantum ex Lingua Armorica & Cambrica conjicere licet, *ur* virum denotavit, non bovem. Præterea Urus eſt fera Germaniæ, qua Scythiam verſus protenditur, non Galliæ. Sic enim Plinius: *Germania Scythiæ* (id eſt, Sarmatiæ) *contermina, inſignia gignit boum ferorum genera, jubatosque BISONTES, excellentesque vi & velocitate UROS, quibus imperitum vulgus BUBALORUM nomen imponit.* Unde ergo hæc nomina, niſi a Germanis? Videamus primo quid ſit *Urus*? Germanis *ur* nomen non eſt, nec ullam orationis partem conſtituit, niſi conjunctum cum alio. Quando vero nominibus animalium, ut hic bovis (nam *ochs* bovem ſignificat) præfigitur, tunc ſingularem habet emphaſin, quam vide in Præfixo UR. tertiæ ſignificationis. De voce *Biſontis* id unum addo, eam quoque origine Germanicam videri. Quamvis enim dudum in deſuetudinem venerit, viguit tamen ante mille annos apud Francos. Gloſſæ Boxhornianæ bubalum interpretantur *uuiſunt.* Et in Gloſſis a R. P. Pezio publicatis bubalorum nomen exponitur *uuiſanto.* Opinor a fremitu. Nam *biſa* pro turbine, & *bizon* pro fremere, reperiuntur inter verba vetera apud Lipſium. *Biſon* igitur Græcis & Latinis erit bos fremens, ſi interpretationem Theotiſcam adhibeas. De *Bubalo* poſtea videbimus in *Büffel.*

AXT, ſecuris. Græcis ἀξίνη, Lat. *aſcia* quaſi *acſia*, Gothis *akizi*, Alam. & Franc. *acus*, Angloſax. *æx*, Germ. inf. *æxe.* Cuncta ab acie ferri, quæ Angloſaxonibus dicitur *ecge*, Islandis *ægg.* Ab hoc primitivo Celtico remanſit quoque Græcis ἀκή & ἀκὶς cuſpis, Latinis *acies* & *acus*, & quicquid in Latio *acidum*, *acutum*, & *aculeatum* eſt.

Digitized by Google

B.

BACHSCHWEIN, item *bach* vel *baker* per apocopen, porcus ſylveſtris, proprie tergus ſuillum, ut bos tergus bubulum apud Poëtas. Nam tergus Anglofaxonibus dicitur *bac*, *bæce*, Islandis hodieque *bak*. Superant veſtigia hujus vocis in Lingua Gothica, Alamannica, & Sorabica, quæ vide in obſervationibus ad Keronem voce *Perverſas*. Quemadmodum autem nomen totius ſæpe adhæret parti præſtantiori, & viciſſim nomen partis præſtantioris ſæpe communicatur integro: Ita porcus omnis, non ſolum ſylveſtris, ſed etiam domeſticus, nec hoc tantum, ſed & lardum porci, cœpit appellari *bach*, quia ſicut tergus eſt major & melior pars porci, ita lardum tergoris. Hinc Kiliano *backe*, *baecke* porcus, *baeck-vleeſch* caro ſuilla. Similiter Cambris lardum dicitur *baccwn*, Anglis & Franco-Gallis *bacon*, Germanis vero *ſpek* ſibilo præfixo. Et hinc porro Latinitas infima formavit ſuos *bacones*, hoc eſt, porcos ſaginatos & petaſones apud Cangium in Gloſſario.

BACHSTELZE, motacilla. A *bach* rivus, & *ſtelze* gralla. Delectatur enim hæc avicula rivis ſcaturientis aquæ, & pedibus longis tanquam grallis incedit. Belgæ eandem vocant *quikſtaert*, quaſi codetremulam, a motu caudæ continuo.

BAD, balneum. Angloſax. *bæth*, Keroni *pado*. Cambris *bait* vadandi locus, ubi aquarum brevia. Angloſaxonibus *wadan* eſt vadare, tentare fundum, Germanis *watten* tranſire vadum, *baden* aqua profluente ablui, ubi vadum, interprete Leibnitio in Celticis. Quibus conveniunt Latina *vadum* & *vadare*. Cuncta, uti inter ſe cognata, ita a Phrygio *bedy* orta, quod Phrygibus aquam ſignificat. Reſtituit hanc vocem Clemens Alexandrinus ex Orpheo & Didymo Grammatico Lib. 5.

Stro-

Stromatum: *Dicit* (Didymus) *Phrygas aquam vocare BEDY, ſicut etiam Orpheus:*

Nympharumque BEDY promanat limpida lympha.

BÆREN, portare, Goth. *bairan*, Francis & Alam. *peran*, Anglosax., *bæran*, *beran*, Islandis *bera*, Græcis φέρειν, Lat. *ferre*, Sorabis *beru*. Vox Saxonicæ Genti, ſed inferiori, unice familiaris, ubi antiquitate ſua ſe tuetur, dum apud reliquos Germanos fere exulat. Fieri tamen nequit, ut lingua ſuperioris Germaniæ citra hoc vocabulum intelligatur. Nam ex hoc fonte ſunt *bar* ſive *bær* feretrum, ejusque compoſita: item *bærmuter* matrix, quæ fœtum geſtat, quaſi mater ferens: & terminatio *bar*, quæ in innumeris adjectivis dominatur.

BÆREN, parere. Actio mulierum. Gothis *gabairan*, Francis *beran*. Otfridus Lib. I. cap. V.

Thu ſcalt beran einan
Alauualtentan.

Tu paries Omnipotentem.

Tatianus Harm. V, 13. *uuirdun taga giſulte thaz ſiu bari*, impleti ſunt dies ut pareret. Convenit ſono & ſignificatu Latinum *parere*. Cuncta a *bar* conſpicuus, quod vide in Prolegomenis. Quid enim eſt parere, niſi edere in lucem? Hodie non utimur niſi compoſito *gebæren*.

BÆREN, gignere, pocreare. Actio virorum. Senſus Francis proprius, & ex eodem fonte petitus. Tatianus V, 1.

Abraham gibar Iſaken, Iſak gibar Jacoben.

Abraham genuit Iſaac, Iſaac genuit Jacob.

Convenit cum hoc ſignificatu Hebræum *bara* creavit, & quod filius multorum populorum conſenſu dicitur *bar* vel *barn*, quaſi gnatus. Hodie nec ſimplici nec compo-

ſito amplius utimur eo ſignificatu, forte quia durum viſum recentioribus, idem verbum de utroque ſexu uſurpare. Verum meminiſſe debemus, quod *parere* etiam apud antiquos Latinos de viro dicitur, ſicut *τίκτω* apud Græcos, & inde *parens* a pario.

BAKEN, pinſere, conficere panem, *beke*, *beker* piſtor, panifex. Franci habent *pachan*, & *pecho*. Gloſſ. Pez. crudi panes *unchipachaniu protb*, panificas *pecchun*. Cuncta a Phrygio *bek*, quod teſte Herodoto Lib. 2. cap. 2. panem ſignificat. Germani ſervant hoc primitivum adhuc in voce *wek*, ſimili ſignificatu. Helvigius vocem Phrygiam conatur repetere ab Hebræo *bag* eſca, cibus, ſicut & Græc. *φάγω* comedo, ſed præter neceſſitatem, cum nihil omnino obſtet, quo minus Phryx, Græcus, & Hebræus, vocem unusquisque ſuam ex Lingua primigenia tanquam ex communi theſauro acceperit. Obſervari meretur, quod inventum frumenti, agriculturæ, & panificii tribuitur Phrygibus magno veterum Scriptorum conſenſu: cujus rei demonſtrationem Diſſertationi *de Origine Gentis & Linguæ Germanicæ* reſervamus. Unde mirum non eſt, Phrygiam vocem cum Phrygio invento alicubi perennaſſe, eidemque conſtanter adhæſiſſe, præſertim apud populos Germanicos. Hos enim e Phrygia oriundos eſſe, & Phrygio ſermone uti, nonſolum ex hac voce, ſed etiam ex pluribus aliis colligit doctiſſimus & in Antiquitatibus humani generis perveſtigandis & illuſtrandis magno cum veritatis fructu, dum viveret, verſatus, Abbas PEZRONIUS, in Celticis pag. 298. Denique *baken*, quod origine Phrygium eſſe vidimus, magnum agit vocabulorum agmen in Lingua Germanica, cujusmodi ſunt *bak-ofen* furnus panarius, *bak-trog* vas panarium, *bak-werk* collyrides, torta panis, & alia, quæ in omnium ore ſunt, & Phrygiam originem palam teſtantur.

BANN, coactio imperantis. Goldaſto derivatur a *band* vinculum: ſed perperam. Oritur enim a verbo *bannen*.

Digitized by Google

nen, quod in latiſſimo ſignificatuum ambitu poſitum eſt. Hinc *bann*, utpote proles tam late dominantis parentis, parentique ſimilis, refertur ad omnes jurisdictionis, tam ſacræ quam ſecularis actus, cujusmodi ſunt prohibitio, evocatio, proclamatio, conſcriptio, proſcriptio, excommunicatio. In Legibus Germanorum antiquis occurrunt *bannus* & *heribannus* pro conſcriptione ſeu coactione militum. Germanis hodiernis *bann* excommunicatio a cœtu fidelium, interdictio ſacrorum a Principe Eccleſiæ facta, *reichsbann* proſcriptio imperii. Islandis *bann* interdictum, teſte Verelio in Indice. Italis *bando* publicatio, *banditore* præco, *bandito* cui ob ſcelera ſacris & communione hominum interdictum.

BANNEN, cogere imperio, ſive id fiat jubendo & citando, quod in legibus veterum Germanorum vocatur *bannire*, ſive interdicendo & prohibendo, quod Verelio in Indice dicitur *banna*, ſive proclamando & publicando, quod Italis eſt *bandire* per epentheſin, ſive proſcribendo & exterminando, quod Gallis eſt *bannir*. Nam hæc omnia originem ſuam referunt ad eum, cui ſumma poteſtas in Republica, qualem Gothi vocant *fan*, h. e. dominum, Cambri *pen*, h. e. caput, populi Sarmatici *pany*, eod. ſenſu quo Gothi, Latino-Barbari *bannum*, unde Rectori Croatiæ nomen *Banno*, quaſi Domino. Et tametſi id nominis honoris cauſa etiam aliis tribuatur, qui Remp. non gerunt, ut pene tot ſint in orbe Domini quot homines, certiſſimum tamen eſt, illud imperantibus magis proprium eſſe, & unumquemque, quo eminentiore loco poſitus eſt, eo majore & potiore jure eſſe & vocari caput & Dominum. Hinc principes & Reges, & qui rerum potiuntur, omnibus temporibus appellati ſunt Domini, & hodieque hoc titulo præ cæteris mortalibus afficiuntur. Unus Tiberius illum repudiavit, ne videretur ingeniis ad ſervitutem natis imperare, callide magis, quam ex animo. Quemadmodum igitur Latinis a *Dominus* derivatur *dominari*,

Digitized by Google

minari, ita noſtris olim a *fan*, voce Gothica, *bannen* imperio cogere, quocunque modo id fiat. Harum ſignificationum alias vetuſtas abolevit, alias uſus conſtanter retinuit, ſaltim in compoſitis & derivatis. *Bannen* pro cogere vel cogendo ſuperare, hodieque interdum dicitur. *Bannen* pro citare, ſuperat in compoſito *teufelsbanner*, qui diabolum evocat. *Bannen* pro excommunicare, viget in *bann* interdictio ſacrorum. *Bannen* pro exterminare & proſcribere, compoſite dicitur *verbannen*, & proſcriptio imperii *reichs-bann*.

BANNIER, labarum, vexillum. Cambris *banniar*, Gall. *banniere*, Anglis *banner*. Ab elevatione dictum putat Boxhornius, quod *bann* Britannice & antiquitus excelſum ſignificet. Alii deducunt a Latino *pannus*, & ſcribunt *pannier*. Alii ab antiquo *fanon* linteolum. Alii a *band* faſcia, quod ejusmodi faſciæ haſtis ſive perticis olim conſveverint alligari, ut ex vetuſtis imaginibus apparet. Omnes præter veriſimilitudinem. Vexillum enim eſt ſignum multorum ſub uno ductore certantium. Signum autem Gothis (quibus multa in re militari vocabula debent reliqui Germani) vocatur *bandwo*, Marc. XIV, 44. & ſignificare *bandwjan*. Idem Islandis *bænda*. Hinc Latino-Barbaris Vexillum dicitur *bandum*, & vexillifer *bandophorus*, quaſi ſignifer. Tranſiit autem litera D. in literam præcedenti ſimilem ex mollitie pronunciantium, ut ſæpe alias. Mollius enim & facilius pronunciatur *bannier*, quam *bandier*, quod durum & aſperum eſt. Cuſtodiunt tamen literam D. in medio vocis Itali in *bandiera* vexillum, Germani in *fændrich* vexillifer, & Galli in *abandonner* deſerere vexillum.

BAR, ſubſtantive.

BAR, vox perantiqua & Scythica, quæ Scythis olim enunciabatur *wæor*, ut demonſtrabimus infra in *Batallic*, quæque Latinis eſt & effertur *vir*, Cambris *gwr*, & *wr*, Gothis *wair*, Angloſax. *wer*, Legibus antiquis Francorum, Alaman-

Alamannorum, & Longobardorum *barus & baro*, Hiſpanis *varon*, Gallis aliquando *guarou*. Franciſco Junio ſignificat proprie virum, qui ſe & communem patriam defendit, a *weren* arcere, prohibere. Germanis ſuperat in *bær-wolf* ſive *werwolf* homo-lupus, & *wergelt* pretium hominis occiſi.

BAR, ſive *bær*, vox Celtica vel Scythica, ſignificans beſtiam domitam & indomitam. Inde per varias vocis flexiones, mutationes, & additiones, natum Græcis φὴρ, Latinis *fera*, *verres*, *aper*, *porcus*, Angloſaxonibus *tambar* verres, *wilde-bar* aper, Septemtrionalibus *biarn-dyr* urſus vel urſa, quaſi fera beſtia, Germanis *bær* verres & urſus, *eber* aper, *barch*, *borch*, *bork* porcus. Cuncta uti ſono, ita etiam ſignificatu affinia. Nec mirum videri debet, diverſas animalium ſpecies eodem vocabulo inſigniri. Nam hoc in omnibus fere linguis uſu venit. Similis confuſio in vocabulo haud diſſimili, regnat apud Hebræos, quibus *par* bos, *pere* onager, *pered* mulus. Nec veriſimilitudine deſtituuntur, qui Elephantum Græcis dictum putant ab Hebr. *alluph* bos. Nam Italia, quum primum vidiſſet Elephantos Pyrrhi Regis bello in Lucanis, eosdem *boves Lucas* appellavit, & dentes eorum *cornua*, teſte Plinio in Hiſtoria Naturali. Latinis *picus* & *pica* ſola terminatione, *lupus* & *vulpes* ſola literarum transpoſitione diſtinguuntur. Quid dicam de *caprea* & *capra*, de *hinnulo* & *hinno*, de *cato* & *catulis*, de *bubone* & *buſone*, aliisque pene indiſcretæ ſimilitudinis vocabulis? Eandem confuſionem obſervare licet in regno plantarum. Græcis ἄπιος eſt pirus arbor, Germanis *apel* fructus arboris, nempe malum: Latinis *pomus* ſpecies arboris, Germanis *baum* quævis arbor: Græcis δρῦς quercus, Cambris *derw* idem, Angloſaxonibus vero & reliquis antiquis *triw* nomen arboris eſt, non quercus.

BAR, Phonaſcis Germaniæ hodiernis, veterum Bardorum ſucceſſoribus, cantum denotat, obſervante Cel.

Wa-

Wagenſeilio, in libello germanico eleganti *von den Meiſterſingeren* cap. 4. Convenit cum hoc ſignificatu cantus ille militaris veterum Germanorum, *Barditus* Tacito dictus, relatu quidem aſper & terribilis (utpote ore ad ſcutum admoto, quo magis vox repercuſſa intumeſceret, prolatus) ſed tamen cantus. Eadem vox etiam Carmen ſignificat. Et hinc fortaſſe Cantoribus atque Poëtis nomen *Bardorum* antiquitus inditum. Cambris certe *Bard* poetam ſignificat.

BAR, ſive *bær*, geſtatorium quodcunque, Latinis *feretrum*, Angloſax. *bære*, Francis & Alamannis *para.* Gloſſ. Pez. feretrum *para*, geſtatorium *para*, in lecticis *in parun.* Armoricis *biere.* Germanis *bær* feretrum, *bar* feretrum exequiale, quamvis per apocopen. Nam feretrum exequiale proprie eſt *todten-bar.* Suevis *trag-bær* feretrum, per pleonaſmum. Cuncta a notione ferendi, quam vide in verbo *bæran.* Galli imitantur Armoricos in *bierre*, Itali Alamannos in *bara.* Conſenſum Ægyptiorum circa hanc vocem vide infra in *Pferd.*

BAR, adjective.

BAR, nudus, detectus. Angloſ. *bara.* Francis & Alam. *para*, Gloſſ. Pez. nudam *para*, exertum *paren.* Winsbeckio in Parænesi ad filium verſ. 24. *bar* eſt nudus & deſtitutus:

Sun, du ſolt diner Zungen pflegen
Das ſi niht us den angen var,
Si lat dich anders unterwegen
Der eren und der ſinnen bar.

Et ſtricti gladii olim dicebantur *bare ſwerden.* Hodie *bar* quidem eandem vim obtinet in compoſitis, cujusmodi ſunt *barfuſs* nudipes, *barhaubt* aperto capite, ſed extra compoſitionem obſoleſcit. Sunt, qui ab hoc adjectivo Celtico *Bramanas*, (ſive Barmanas) Indorum Philoſophos, nomen accepiſſe ferunt, quaſi nudos ſapientes, ſeu, quod idem eſt, Gymnoſophiſtas, Græcis verbum verbo red-

reddentibus. Illud certiſſimum, viguiſſe olim in lingua noſtra verbum *baren* denudandi ſignificatu, unde *bar* pro nudo genus ſuum tueri poteſt.

BAR, præſens. Ita Pictorius. Sic vulgo dicimus, *bar gelt* pecunia parata, *barſchaft* aurum & argentum ſignatum. Helvigio derivatur a παρὰ, quod *bar* ſit id, quod præ manu eſt, parate atque in promptu. Quod in iſta radicum indigentia tolerari poteſt, præſertim cum majoribus noſtris pecunia fuerit ignorata.

BARBAR, barbarus. Nobis videtur vox hybrida, a Celtica *bar* vir, & Syriaca *bar* extra conflata, ut Barbarus ſit extraneus, ſive homo, cui genus exterum. Veteres Gloſſæ refugiunt hanc vocem, & barbarum interpretantur vel *elirarter*, vel *elelendig*, vel *eliporo*, vel alio aut ſimili vocabulo. Tanta enim erat apud priſcos ſermonis patrii abundantia, ut nihil non redderent copioſe, quod nobis hodie, in iſta dictionis paupertate fere impoſſibile eſt.

BAREN, oſtendere, manifeſtare, proferre in lucem. Ita Kilianus. Convenit Hebræum *beer* manifeſtavit. Germani utuntur compoſito *offenbaren*, quod ſenſum reddit redundantem, ſed a ſimplici habent terminationem *bar*, quam vide. Latinis parere, ſive adparere eſt oſtendi, nonnulla cum reliquis affinitate. Nam quando *calceus ipſos oſtendit digitos* (ut de pauperum calceis canit Palingenius) digiti utique adparent. Hinc oſtendere atque apparere uno eodemque verbo exponitur apud Keronem.

BAREN, denudare, detegere, revelare. Angloſ. *berian*, *aberian*, Francis & Alam. *giparon* & *irparon*. Hinc detecti in Gloſſis Pezianis vocantur *giparota*. Et in Gloſſis Lipſii *ribaridos* ponitur pro denudaſti, & *rebarnuſſi* pro revelatione. Germanis excidit verbum. Reſtat tamen adjectivum a verbo oriundum, *bar* nudus.

BARON,

BARON, baro. Vox pure Germanica, idem ſignificans, quod *bar* vir. Hinc apud Anglos hodieque in foro vir & uxor vocantur *Baron* & *femme*. Et apud eosdem, Proceres Regni non aliam ob cauſam conſueverunt vocari *Barones regni*, quam quia *homines Regis* ſunt, & Regiæ Majeſtati *Hominium* ſeu *Homagium* præſtant, docente Cel. Hickeſio in Gram. Angloſax. pag. 146. Quicunque enim alteri quodammodo obnoxius eſt, is *homo* ejus eſſe cenſetur, ſive *Baro*. Et hoc ſenſu vox Germanica jam antiquitus tranſiiſſe videtur in Latinam Linguam. Hirtius de Bell. Alexand. cap. 53. *Concurritur ad Caſſium defendendum, ſemper enim BARONES, compluresque evocatos cum telis ſecum habere conſueverat.* Cicero lib. 5. ad Attic. Epiſt. 11. *Apud Patronem & reliquos BARONES te in maxima gratia poſui.* Goldaſto *Barones* ſunt liberi Domini, qui nullam unquam ſervitutem ſerviiſſent, ab adjectivo *bar* liber, quod extat apud Keronem in *Liberorum*. Verum cum iidem vulgo *Liberi Barones* appellentur, augmentum illud, quod minime inutile eſſe volunt, ſatis teſtatur, ipſum *Baronum* vocabulum haud quaquam a libertate hauſtum eſſe.

BART, barba. Francis & Alam. *part*. Gloſſæ Pez. ſine barba *ungiparta*. Præcopienſibus in Cherſoneſo Taurica *bars* barba. Oritur a participio verbi *baren* oſtendere, manifeſtare. Nam barba prodit virum, eſtque ſignum & index virilitatis. Armorici eandem rem vocant *barf* vel *barv*, unde Latinis *barba* judice Pezronio. Forte utrumque a *bar* vir, ob eandem rationem.

BATALLIE, vox Gallica, ſed Germanis poſtliminio reſtituenda. Oritur enim ab Angloſaxonico *bat* vel *batt* fuſtis, baculus. Unde Gallis *baton*, eodem ſenſu. Ab hoc ſubſtantivo Saxones porro formarunt verbum *beatan*, vel *beoton*, cædere, verberare. In Evangelio Angloſaxonico occurrunt, *mid fyſtum beoton, mit handum beoton*, cædere pugnis, cædere manibus, Marc.

XIV,

XIV, 65. *beatan tha cnihtas and tha thinena*, verberare ſervos & ancillas, Luc. XII, 45. Idem Cambris *baeddu*, Gallis hodie *battre*, Latinis *batuere* apud Plautum. Hujus vocis incredibilis eſt vetuſtas. Nam Herodotus, qui multa vocabula Scythica oblivioni ſubduxit, teſtatur Amazones Scythice dici *Æorpatas*, quaſi viricidas, a *patan* cædere, Lib. IV. cap. CX. Verba Herodoti hæc ſunt: *Scythæ Amazones vocant οἰοϱπατὰ quod nomen poteſt transferri ἀνδϱοκτόνοι, id eſt, viricidæ: ÆOR enim virum dicunt, PATA autem occidere.* Prior compoſiti pars eſt *Æor*, vir. Mallem *waor*. Nam Gothis *wair*, Angloſaxonibus *wer* idem denotat, quod homo Græcus non poterat exprimere, ob defectum Literæ W. Altera compoſiti pars eſt *pata* occidere. Latine dixeris *cædere*, quod magis æquivocum eſt, & omnibus ſenſibus congruum, non Scythico tantum, ſed etiam Angloſaxonico. Nam ejusmodi voces ſolent eſſe ambiguæ, ut *slahon*, quod Francis percutere & occidere ſignificat. Nos hodie utimur frequentativo *patſchen*. Itaque *bataille* in primo & principe ſignificatu proprie eſt duorum aut plurium conflictus, qui fuſtibus aut ſimilibus armis peragitur. Extat vox *battalia* eo ſenſu in Legibus antiquis Burgundionum, Addit. 1. Art. 5. §. 2. Burgundos autem antiquitus lingua Germanica uſos eſſe, probat Picardus in Celtopædia ex Epiſtola Sidonii Apollinaris ad Syagrium, & noviſſime vir Clariſſ. D. Johannes Jacobus Maſcovius in præclaro opere *Hiſtoriæ Germanicæ*, pag. 276. & 481. Ideoque & pars illa Galliæ, quæ Burgundis occupantibus ceſſit, dicta eſt *Germania Lugdunenſis*. Idem probari poteſt ex Plinio, cui Burgundiones inter genera Germanorum ſunt pars & proles Vandalica, & Gothorum conſanguinei, ut dixi in Præfatione. Hodie *bataille* eſt pugna exercitus cum exercitu.

BEHÆND, pernix, ſolers, *behændigkeit* ſolertia. Utique a *hand* manus, plane ut *dexteritas* a dextra.

Bayerische Staatsbibliothek München

Dicitur inprimis de iis, qui manibus uti ſciunt, vel ad producendum humanæ vitæ utile inventum, ut artifices, vel ad faciendum ludicræ rei ſpectaculum, ut Hiſtriones. Hinc quædam *manuum Philoſophia* apud Veteres celebratur. Pantomimi certe eam ob cauſam Græcis dicti χειροσόφοι, h. e. manibus ſapientes, quod tanto artificio res geſtas, quamvis tacito corporis motu, oculis objicerent, ut viderentur manibus loqui. Quanto majori jure noſtros artifices, qui opera utilia conficiunt, ſic appellabimus. Quemadmodum autem corpori, ita etiam menti ſua quædam manus eſt, qua veritatem apprehendit. Hinc Zeno, pater Stoicorum, comprehenſionem mentis ſimilem dicebat *iis rebus, quæ manu prenderentur*, apud Ciceronem in Quæſt. Acad. Latinis ſane in *hendo, prehendo*, & *comprehendo*, quæ mentis operationes ſunt, idea manus involvitur, ſi Celticas origines adhibeas. Unde mirum videri non debet, ſi ipſa ſapientia ab Ulfila, Gothorum interprete, *handugei* appelletur. Plura huc ſpectantia vide in voce *Vernunft*.

BEIN, crus. Inde ocreis aliisque crurum munimentis nomen *bainberga* in Lege Ripuariorum, XXXVI. 11. Græcis βαίνειν eſt ire, incedere. Jam cum crura ſint naturalia gradiendi inſtrumenta, oportet inter vocem Germanicam & Græcam aliquam eſſe affinitatem. Utra primitiva ſit, ambiguum: Veroſimile tamen, Græcos verbum ſuum vel accepiſſe a Celtis, vel a Subſtantivo Celtico formaſſe.

BERATEN, proſpicere de nuptiis. Utitur Lutherus Syr. VII, 27. Vox difficilis, & cum nullis aliis quibus ſono accedit, cognatione conjuncta. Servant tamen radicem ejus in ultima Thule Islandi, quantum ex Indice Verelii cognoſcere licet, ubi ſequentia, lucem voci haud exiguam præbitura, occurrunt: *rad* res uxoria, conjugium, *radahagur* conſultatio de nuptiis, *radlaus* cui nulla matrimonii ſpes, *radſpell* divortium ob matrimonium.

BERG,

Digitized by Google

BERG, mons. Gothis *bairg*, Angloſax. *beorg*, Keroni *pereg*. Leibnitio etiam Gallica vox eſt, quia Cato apud Plinium notavit, *Bergomates, etiam prodente nomine, altius quam fortunatius ſitos*. Quo ipſo ſenſum Catonis feliciter reſtituit, qui diligentiam & eruditionem Harduini adhuc fugit. Eadem vox in remotiſſima ætate reperitur apud Phryges, & eodem ſenſu, quorum arx ſumma πέργαμος (Trojana inquam ſeu Iliaca) haud dubie a ſitu montano nomen habuit. Unde vocem *berg* Phrygiam eſſe, & a Phrygibus oriundam, negari vix poteſt. Hæc una vox, etiamſi nullæ aliæ ſupereſſent (ſuperſunt autem quam plurimæ) judice Pezronio ſufficeret ad probandum, Linguam Phrygiam Germanicæ ſimilem fuiſſe. Sed ne videamur inanibus conjecturis indulgere, teſtes advocandi ſunt. Itaque Suidas auctor eſt, *Pergama* Græcis dici generatim omnia loca editiora, πάντα τὰ ὑψηλά. Quem illi ſignificatum haud dubie a Phrygibus, ut plura alia, acceperunt. Eundem vocis ſignificatum agnoſcunt etiam veteres Gloſſatores. Hinc *Pergama* in Gloſſis Pezianis exponitur *hoho gizimpri*, id eſt, in edito ædificata. Et ejusmodi loca hodienum Germanis vocari *Bergham*, ſive *Bergheim*, hoc eſt, montanas manſiones, omnibus notum eſt. Utrumque compoſitum, Phrygium & Germanicum, infra recurret in voce HEIM ſeptimæ ſignificationis, quam vide. Ab hoc primitivo oritur verbum *bergan* in omnibus Dialectis a Celtica oriundis, vario quidem ſignificatu, univerſe tamen a montibus petito. Gothis *bairgan* eſt ſervare, quod montes eſſent receptacula hominum contra varia pericula, inprimis contra inundationes. Hic ſignificatus ſuperat apud Batavos, quibus *geborgen* ſervatus. Angloſaxonibus *beorgan* eſt defendere, quod montes eſſent præſidia contra hoſtes. Inde Germanis *burg* caſtrum, caſtellum, & Græcis πύργος turris, pars arcium potiſſima. Iisdem *byrgan* eſt ſepelire,

tumulo condere, quod tumuli mortuorum eſſent inſtar collium, & monticulis ſimiles. Hinc *burgio* pro ſepulchro ponitur in Legibus Salicis. Isque ſignificatus poſtea traductus eſt ad omnem occultationem. Hinc celare, occulere dici cœpit *bergan*. Gloſſ. Pez. celaverint *pipergent*. Idem Germanis *bergen*. Keroni *porgan*, *piporgan* eſt cavere, quod priſci mortales montibus ſibi caverent ab inſultu prædonum. Inde nomen cautori, qui vel ſibi vel alteri cavet, antiquitus inventum. Gloſſ. Pez. fidejuſſor *purigo*. Hodie *bürge*.

BERNSTEIN, ſuccinum. Idem quod *brennſtein* lapis cremabilis, ſic dictus, quod facile concipiat ignem, a *byrnan* ardere, quod vide infra in *Feur*. Hinc ſuccinum in aliis Dialectis apud Pictorium & Decimatorem vocatur *aidſtein*, ab obſoleto *aiden* ardere, conſentientibus Græcis, quibus αἴθειν idem ſignificat. Imo etiam vox Latina non alium admittit ſenſum. Oritur enim a Celtico *cynne* incendere, incendi, quod hodie cuſtoditur a Cambris, teſte Boxhornio. Res ipſa reſpondet vocabulo, & vocabulum rei. *Si naturam ſuccini admoto igne tentes*, inquit Tacitus, *in modum tedæ accenditur, alitque flammam pinguem & olentem: mox ut in picem reſinamve lenteſcit.* Cap. XLV. de M.G. Primi Succini collectores, quantum literis proditum eſt, fuerunt Gothi, Gens Germanica, qui ſuccino pro ligno utebantur ad ignem, & Teutonis id vendebant, prout in Diſſert. *de Lingua Codicis Argentei* demonſtravimus. Gothis vero ad Mæotidem profectis, in eodem Maris litore ſucceſſerunt Æſtii. Hos ſuccinum legiſſe Taciti ævo, & GLESUM appellaſſe, ipſe teſtatur loco proxime citato. *Gleſum* autem dixerunt ob ſplendorem & pelluciditatem, ut nos vitrum hodie appellamus *glas* ob eandem cauſam, etiamſi Angloſaxones diverſis vocibus utantur, vitrum appellando *glæs*, & ſuccinum *glære*. Veroſimile eſt, nomen rei a Gothis inventum eſſe, relictumque iis

locis,

Digitized by Google

locis, ubi ab antiquo purgamentum illud concreti maris colligebant. Nam *glit* ſplendorem Gothis ſignificat in compoſito *glitmunjan* ſplendere, coruſcare. Ab eodem primitivo ſplendere, coruſcare Angloſaxonibus dicitur *glitinian*, Alam. & Francis *glizan*, Danis *gliſe*, Germ. *glitzen*, Græc. ἀγλαΐζομαι. Unde porro dubium non eſt, Æſtios, quorum Lingua Britannicæ propior erat quam Germanicæ, *glit* mutaſſe in *gles*.

BESCHLEUNIGEN, accelerare. Ab antiquo Francico *sliumo* cito, velociter, quo paſſim utuntur Tatianus & Otfridus. Tatianus CLIX, 4. *thaz thu tuoſt, tuo sliumor*, quod facis, fac citius. Nec turbare nos debet, quod litera N. in voce Germanica non reſpondeat antiquo vocabulo. Harum enim literarum permutatio noſtris, neſcio quo vitio, prorſus familiaris eſt. Sic pro *nemman* appellare, *zumft* conventus, quas voces reperire licet in Gloſſario Keronis, hodie dicunt *nennen*, & *zunft*, præter rationem & invita etymologia.

BESUCHEN, videndi gratia adire. Non a *ſuchen* quærere, quod ex uſu hodierno eſt, & ab hoc loco alienum, ſed a verbo Runico *ſekia* venire, accedere, ſicut optime obſervatum Fr. Junio in Gloſſ. Goth. voce *ſokjan*. Græci eodem ſenſu dicunt ἥκειν, ſibilo in acutum converſio, ut fere ſolent in vocibus barbaris. Præfixum *be* hoc loco ſignificat *ad*, ut diximus in Præfixis.

BESUDLEN, contaminare, rectius *beſulen*, ut in reliquis Dialectis. Gothis *biſauljan*, Angloſ. *ſylian*, Francis *kiſalon*. Gloſſ. Boxhorn. *kiſalota* decoloravit. Miſnii utuntur *beſülen*. Gallis *ſouiller* videtur a Gothis relictum. Cuncta a primitivo *ſole* ſordes, quod hodie cuſtoditur ab Anglis. Litera D. in medio vocis ſupervacanea eſt, & præter rationem ab uſu adoptata, ut ſæpe alias. Sic vulgo dicunt *gebærden* pro *gebæren* geſtus, *ſpindel* pro *ſpinnel* fuſum, & alia plura, quæ memoria parum fida nunc recuſat.

BETTRISEN, homines diuturno morbo lecto affixi, Otfrido *bettiriſon* Lib. III. cap. XIV. Componitur a *bett* lectus, & *riſe* caducus. Nam cadere Angloſ. dicitur *hryſan*, Keroni *riſan*, *ziriſan*. Gothi eodem ſenſu dicunt *driuſan* cum augmento initiali *d*. Helvetii *reyſen*, quod vide apud Pictorium. Germani, quibus verbum hoc excidit, utuntur diminutivo *riſelen*, guttatim cadere.

BIDERMANN, vir probus & utilis, qui facit quod non ſolum ſibi, ſed etiam aliis expedit. Contractum ex *piderbermann*. Kero: *piderber* utilis, *piderban* expedire, *piderbit* expedit, *piderbi* uſus, utilitas, *unbiderber* inutilis.

BIENEN, apes. Videntur ſic dictæ, quod ſimul habitent, ab Angloſaxonico *byan* habitare. Nota eſt Apum ſub uno Rege Reſpublica. Et cum *byan* ſignificet etiam ædificare, hoc quoque apibus convenit, miris utique architectis. Nam domos cellasque conſtruunt ſexangulas omnes, & totum intus alveum tectorio obducunt.

BLIZ, fulgur, *blizen* fulgurare. Voces ex vetuſtioribus contractæ. Nam fulgurare antiquis eſt *blehazan*. Gloſſ. Boxhorn. micare *pleckazzan*. Gloſſ. Pez. rutilat *plecchazit*. Inde porro fulgur *blehezunga*. Tatianus LXIV, 4. *ih geſah Satanaſen ſoſo blehezunga fon himilo fallantan*, videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem. Idem CCXVIII, 3. *ſamaſo blehezunga uuas ſin giſiuni*, ſicut fulgur erat adſpectus ejus. Originem vocis videntur cuſtodire Græci in φλὸξ, φλογὸς, flamma, quæ Keroni effertur *lauga*, Angloſax. *leg*, Island. *loge*, per aphæreſin, omnino vitioſe, quod vocem Græcam haud dubie a Celtis in Græcia proſeminatam, & derivata conſideranti, manifeſtum eſt. Extenſionem voci dedit ſtudium longitudinis. Nimirum veteres Germani cum eſſent longuriones & immenſis corporibus

bus præditi, delectabantur etiam vocibus longis & ad terrorem compoſitis, ut ſermo formæ reſponderet. Hinc multa terribilia & ſesquipedalia verba apud priſcos (inprimis Gothos, Alamannos, & Francos) invenimus, quorum magnitudinem poſtera ætas ſæpe tam arcte conſtrinxit, ut hodie vix a peritiſſimo internoſci queant.

BLÖD, timidus, meticuloſus. A verbo antiquo *ploden* pavere. Gloſſ. Pez. paveas *plodes*, paveſcat *ploden*, expavit *irplodeta*. Verel. in ind. *bleide*, *bleidaſt* trepidare, *bleidskapur* timiditas.

BOK, aries, hircus, caper, capreolus. Eſt enim nomen generale & omnibus maſculis in genere ovium, caprarum, & caprearum commune. Angloſaxonibus *bucca*, Cambris & Armoricis *bwch*, & *bouch*. Vox a Celtis relicta, quod hinc colligere licet, quia fœmina capri Græcis vocabulo conſono vocatur βήκη, Armoricis *bicq*, & in quibusdam Franciæ locis *bique*, teſte Pezronio in Antiquitatibus Celticis. Argumentum quoque vetuſtatis eſt, quod laſcivire inſtar Capri Græce dicitur βαυκίζεσθαι, manifeſta ad vocabulum Celticum alluſione. Leibnitius in Gloſſario Celtico vocem deducit a cornibus flexis. Poterat eadem facilitate & meliori jure a libidine deducere, per verbum *beügen*. Quamvis enim *bygan*, & *bugan* ſenſu Angloſaxonico & hodierno ſignificet tantum curvare; poterit tamen ſenſu Græco ſignificare etiam ſubigere: ita ut *bok* proprie ſit ſubactor gregis, ſive animal repandum & curvatum in Venerem. Conſtat autem hanc pecudem ad coitum procaciſſime ferri, & hominem libidine æſtuantem hodieque nomine ejus appellari. Ut Faunos & Satyros veterum nunc omittam, qui ob eandem cauſam caprina facie & hircinis pedibus pinguntur & ſculpuntur, teſte Herodoto Lib. 2. cap. 46. Gallis idem animal vocatur *bouc*. Italis *becco*. Illud e Celtico, hoc ex Germanico fonte.

BORK, ſive *barch*, Latinis *porcus*, Angloſax. *færh*, Armor. *porch*. Inde Gallis *pourceau*, ut Batavis *værken* a *færh*. Cuncta a ſimpliciori *Bar*, quod vide.

BöS, malus. Hebr. *boſch*, Latinis *peus*, unde *pejor* & *peſſimus*, obſervante Helvigio. Vox peregrina, nec usquam (quantum memini) in Monimentis Theotiſcis obvia, ſed vel a Judæis nobis tradita, vel a Latino *peſſimus* per apocopen formata: non quod nullam mali ideam noſtri antiquitus habuerint, ſed quod aliis ſignis uſi ſint, ad hunc animi ſenſum exprimendum. Nam malus Gothis dicitur *ubils*, Angloſax. *yfel*, Keroni *ubil*, Francis *balo*, Cambris *yfall*, Germ. hod. *übel*. Quibus convenit Græcum φαῦλος.

BRAUT, ſponſa. Gothis *bruth*, Angloſax. *bryd*, Francis & Alam. *brut*. Tatianus XXI,6. *ther brut habet ther iſt brutigomo*. Tacitus majoribus noſtris ſeram Venerem, ſevera matrimonia, & ſeptam pudicitiam tribuit. cap. XVIII. XIX. XX. Erant enim moribus caſtiſſimis, & verecundiæ præter morem Barbarorum adeo ſtudioſi, ut eam turpi vocabulo lædere voluiſſe, haud veroſimile ſit. Unde mihi in veteres prorſus injurii videntur, qui in hac voce obſcœni quid ſuſpicantur, quod faciunt Mylius & Leibnitius. Quanto melius & caſtius appellatio ab ornatu nuptiali deſumitur, ita ut ſponſa antiquis modeſtiſſime dicta ſit *brut*, quaſi ſplendida, aut ſuperbe ornata. Sane in Indice Verelii *pryda* exponitur ornare, *prydi* ornamentum, *prudlega* ornate. Quibus conveniunt quædam Angloſaxonica, *prutian* ſuperbire, *pryde* faſtus. Apud Germanos viguit olim *berden*, ornandi ſignificatu. Utitur hac voce Lutherus Eſa. LXI. 10. Exigit hanc interpretationem vox Gothica *bruthfaths* ſponſus, qui non aliam ob cauſam ſic dicitur, quam quod ſit ornator ſponſæ. Nam moribus antiquis dotem & ornamenta nuptialia non ſponſa viro, ut hodie, ſed vir ſponſæ offerebat, teſte Tacito in Germania cap. XVIII.

Idque

Digitized by Google

Idque haud obſcure ſignificatur per illud *fathr* in fine compoſiti, quod eſt omnino a verbo Angloſax. *fadian*, vel Runico *fada* ornare. A ſponſis vox *brut* tranſiit ad omnes fœminas mundi muliebris præ cæteris ſtudioſas. Hinc ejusmodi mulieres ab Edda Islandorum vocantur *brudur*. Vide Reſenium Part. 2. Eddæ Islandicæ, in mulierum appellationibus. Ab his porro nomen ad omnes pervenit mulieres, præcipue maritatas, plane ut hodie *épouſe*, quod ſponſis proprium, omnibus uxoribus tribuitur. *Brudur*, inquit Cl. Wormius, *poetice quamlibet fœminam ſignificat*. In Epiced. Regneri Lodbrog Stroph. XIII. Hinc fortaſſe Cambris *priod* conjux, *priodas* nuptiæ.

BRAUTIGAM, ſponſus. Angloſaxonibus *brydguma* Joh. III, 29. Francis *brutigomo*. Tatianus XXI, 6. *ther brut habet ther iſt brutigomo*. Otfridus Lib. II. cap. XIII.

Ther brut habet in uuar min,
Ther ſcal ther brutigomo ſin.

Idem quod *brutmann*, vir ſponſæ. Kero: vir *comman*, viro *commane*. Idem Gothis *gumei*, Angloſax. *guma*. Gothi ſponſum vocant *bruthfads*, Luc. V, 35. ab ornando, ut diximus ſupra.

BROSAMEN, micæ, proprie fragmina, quantum ex verbo Gallico *briſer* frangere, haud dubie a Francis relicto, & adjectivo Belgico *bros* fragilis, colligere licet. Antiquitatem vocis collige ex hoc Otfridi de catulis rythmo Lib. III. cap. X.

Thero brosmono ſih fullent,
Thie fon then diſgin fallent.

BüFFEL, bos ſylveſtris, proprie extraneus. Nam *bu*, teſte Boxhornio in Vocabulario Originibus Gallicis ſubfixo, antiquis Britannis & hodie Cambris bovem, *al* vero iisdem alium, alienum, & extraneum ſignificat. Totum compoſitum Armoricis vocatur *bu-al*, apud

Pezronium in Antiq. Celt. Ab hoc Celtico Græci formarunt βȣ́βαλος, Latini *bubalus*, Germani *Büffel*. Plinius ſcribit *biſontibus & uris ab imperito vulgo Bubalorum nomen imponi.* Sed præter rationem iraſcitur vulgo, quia bos peregrinus aliter vocari non poterat, ne quidem a Sapientibus. *Bu* mugitum animalis imitatur. Græci habent βȣ̃ς, Latini *bos*. Ex quibus *bu* cæteris ſimplicius eſt, utpote ab ipſa ſuppeditatum natura. Similiter pro *al* Græci habent ἄλλος, Latini *alius*, & *alienus*. *Al* origine Celticum eſſe, vel hinc cognoſcere licet, quod eodem ſenſu reperiatur in omnibus linguis a veteri Celtica oriundis, ut diximus infra in voce *Elend* primæ ſignificationis.

BUTER, butyrum, Angloſax. *butere*, Græc. βȣ́τυρον. Plinius credidit, butyro nomen eſſe a βȣ̃ vacca, & τυρὸς coagulum, Lib. XXVIII. c. 9. *E lacte fit Butyrum, Barbararum gentium lautiſſimus cibus, & qui divites a plebe diſcernat. Plurimum e bubulo, & inde nomen.* Quod etiamſi ingenioſum ſit, probabilius tamen eſt (quod etiam notavit Caſaubonus in Athenæum) cibi Barbarici nomen a Barbaris ad Græcos & Latinos perveniſſe. E Græcis Dioſcorides, e Latinis primus Butyri meminit Plinius. Ne Ariſtoteles quidem, quando rem ipſam tangit, vocabulum nominat. Itaque nomen *buter* aliquando deduxi a *bu* vacca, quod ſuperat eo ſenſu apud Cambros. Nuper autem ab Hippocrate didici, nomen ipſum Scythicum eſſe, & a lacte, non bubulo, ſed equino deſumtum. Is enim Libro IV. de morbis, interprete Conringio in Diſſertatione de Germanicorum corporum habitu, ita ſcribit: *Simile vero hoc eſt, ac quod Scythæ faciunt ex lacte equino. Effuſum enim in cava ligna lac agitant: illud vero conturbatum ſpumeſcit ac diſcernitur: & PINGUE quidem (Græce πῖον) quod Butyrum vocant, cum leve ſit, in ſummo ſeponitur, grave vero & craſſum ſubſidet, id quod etiam ſecernen-*

cernentes ſiccant, *quando autem concretum & ſiccatum eſt, Hippacen appellant*. Æquum ergo eſt, ut credamus, Butyrum appellationis rationem primitus accepiſſe a pinguedine, auctoribus Scythis Equimulgis, & ab his ad reliquos Scythas (Scytharum enim multa genera ſunt), qui domos figunt & vitam paſtoritiam ſectantur (e quorum numero haud dubie ſunt Germani) & nomen & inventum perveniſſe. Hodie pingue & pinguedo nobis dicitur *fett*, quod cum principio vocabuli Scythici haud male convenit.

C.

CAPHAN, gallus caſtratus. Caſtrantur autem Galli, non lumbis aduſtis candente ferro, ut Plinio perſuaſum, ſed teſticulorum præciſione. Et hinc illi nomen a *kappen*, quod cuſtodientibus Belgis eſt præcidere, abſcindere, reſecare, obſervante Clariſſ. Eccardo in Legibus Salicis. Equidem *kappen* pro reſecare nuſpiam proſtat in Monumentis Antiquo-Theotiſcis: vetus tamen cenſeri debet, quod Latino-Barbari eodem ſenſu dicant *capulare*, Angli *chippe*, Galli *couper*. Et fortaſſe a vero non aberraverit, qui *kappen* ad Celticas voces retulerit, unde ipſi *Capro* nomenclatura, quod virgulta carpat maleficum frondibus animal, præſertim cum Græci eodem ſenſu dicant κοπτεῖν & in Ariſt.ſec. κοπεῖν. Græci inferiores Gallum caſtratum vocant κάπων. Primus e Latinis, quantum ſcio, Martialis *caponem* nominavit: Plinio tacente, qui vocem illam videtur ut barbaram repudiaſſe. Armorici eundem vocant *cabon*, Galli *chapon*, Germani melius & aptius *cap-han*, rem & affectionem rei ſimul exprimentes.

CARFREITAG, feria ſexta ante Paſcha, quam Rubricæ veterum vocant *diem paraſcevæ*, hoc eſt, præparationis. Hic dies interpreti Angloſaxonico dicitur *gege-*

gegearcung-tag, Joh. XIX, 14. Tatiano *garotag*, CXCVIII, 3. A*garon* præparare, quo utitur Otfridus Lib. V. cap. XX.

Inſabet thaz er uuorahta
Richi thaz er garota.
Accipite, quod fecit
Regnum, quod præparavit.

Unde ſupervacaneum videtur, aliam voci etymologiam quærere, cum hæc ſatis commoda & antiqua ſit. Nam *car* pro ſatisfactione, unde quidam hujus diei nomen derivare conantur, ſuffragio veterum deſtituitur.

CARWOCHE, ſeptimana, quæ Paſcha proxime antecedit. Videtur ſic dicta, quaſi luctuoſa & feralis, quod Servator in illa ſeptimana multa triſtia, & ultimum denique ſupplicium paſſus ſit. Nam *car* pro luctu ſuperat in quibusdam derivatis apud veteres. Gloſſ. Pez. lugubre *charalih.* Gloſſ. R. Mauri, feralia *chara.*

CHUR, optio. Angloſax. *gecorennyſſe.* Vocabulum a guſtu deſumptum, ut Palthenio ante omnes obſervatum. Nam guſtare Scriptoribus Francis dicitur *choron*, ſive *koron.* Tatianus XLV, 7. *tho gicorota ther furiſtſizzento thaz uuaſſar zi uuine gitan*, tunc guſtavit architriclinus aquam vinum factam. Otfridus, Lib. I. cap. 15.

Er thothes io ni choreti,
Er er then throſt habeti.

Idem Lib. III. cap. 13.

Hiar ſtantent ſume untar iu,
Giuuiſſo ſagen ih iz iu,
Thie thotes ni koront ér,
Noh ni thultent thaz ſer,
Er ſie ſehent ſcono,
Then Gotes ſun frono.

Solet autem guſtus tentare, examinare, eligere & comprobare cibos. Jam cum mens ſæpe idem faciat in conſide-

ſiderandis & appetendis rebus, hinc veteres admodum ſapienter vocabulum *choron* a palato ad omnes mentis operationes, quæ cum guſtu convenire videbantur, traduxerunt. Tales inprimis erant *deliberatio*, *electio*, & *comprobatio*, quæ cum inter ſe ita ſint connexæ, ut ſeparari vix poſſint, uno quoque eodemque vocabulo commode poterant efferri. Itaque *choron* apud veteres primo eſt deliberare, hoc eſt, tentare & examinare ad ſimilitudinem guſtus. Gloſſ. Pez. deliberationis *churi*. Gloſſæ Keronis: probate (hoc eſt, tentate, examinate ſpiritus) *chorot*. Deinde eligere & optionem facere. Gloſſ. R. Mauri: electi *kachorane*. Denique etiam comprobare. Gloſſæ Keronis: comprobetur, ſi *kichorot*, comprobatus *kechoroter*. Hodie *koren* Germanis obſoleſcit, ſuperat tamen in compoſito *erkoren* electus, & *auserkoren* lectiſſimus, eximie electus. Atque hinc jam patet, quid proprie ſit *chur*, & quos habeat natales. Hodie tamen *chur* extra compoſitionem non dicitur, niſi de ſumma illa dignitate, quæ jus habet deliberandi de futuro Cæſare, eundemque & eligendi & confirmandi, cujus compoſita ſunt, *Chur-Fürſt* Princeps, qui Cæſarem legit, ſive Elector, *Chur-erbe* hæres dignitatis & juris Electoralis, & alia quam plurima. In reliquis vocabulis, ubi ſimpliciter optionem & electionem notat, nunquam primum, ſed ultimum aut medium locum occupat, cujusmodi ſunt *willkur* liberum arbitrium, *willkürlich* ſponte, ultro. Diſputatum eſt inter Viros doctos, utrum ſcribendum ſit *Churfürſt*, ut hactenus, an *Kurfürſt*, per K? Miror Stadenium, egregium alias vocabulorum æſtimatorem, propendere in ſententiam novaturientium, cum omnes Gloſſatores habeant CH. & ob reverentiam antiquitatis nihil temere in vocabulis immutandum ſit. Quamvis enim utraque ſcribendi ratio forte habeat unde ſe tueri poſſit, quatenus K. magis Francorum & CH. magis Alamannorum ex uſu eſt, & Otfridus ipſe, quam-

quamvis Francus, inconſtantia laboret: non licet tamen uſum dominantem infringere, præſertim cum nulla ratio excogitari poſſit, cur Francos potius quam Alamannos in ſcribendo imitari debeamus.

D.

DEGEN, hodie gladius, olim miniſter & miles, a ſuprema ad infimam usque conditionem. Angloſaxonibus *thegen*, contracte *then*, Francis *thegan*, Latino-Barbaris *theganus*, contracte *thanus*. Otfrido Johannes Baptiſta vocatur *Gotes thegan* ſervus Dei, Lib. I. cap. 3. Angeli *himilisge thegana* miniſtri cæleſtes, Lib. IV. cap. 17. Proavi beatæ Virginis *edil thegana* domini nobiles Lib. I. cap. 3. milites Pilati *thes herizohon thegana*, ſervi Ducis, Lib. IV. cap. 22. Convenit inter Viros doctos, gladium a poſtera ætate dictum eſſe ſervum aut militem per licentiam poëticam, ſive quod Domino continuo ſit a latere inſtar ſervi, ſive quod corpus geſtantis tueatur inſtar militis. Goldaſtus Animadv. in Script. Parænet. pag. 365. *Gladius nuncupatus eſt DEGIN, quod ejus miniſterio in defenſione utimur.* Ol. Wormius Monum. Dan. Lib. IV. pag. 264. *Tractum ad Gladium deſignandum, quem Danica voce DEGEN appellamus, quod ejus miniſterio in defenſione utamur.* Tranſiit hoc ſignificatu aut certe ſimili in alias quoque Linguas. Hinc pugio Armoricis dicitur *dager* vel *dagr*, Gallis *dague*, & ſica Italis *daga*.

DEMMERUNG, diluculum matutinum aut veſpertinum, ab obſcuritate ſic dictum. Nam obſcurum & caliginoſum Angloſaxonibus vocatur *dymme*, Cambris & Islandis *dimmur*, Bohemis *temny*. Et hinc *dimma* caligo, in Indice Verelii. Cuncta a verbo *dim* caligare, quod Angli cuſtodiunt.

DEMUT,

Digitized by Google

DEMUT, humilitas. Alamannis interprete Kerone *theomuati*. Ab animo ſervili, ut humilis ab humo. Nam ſervus in Lege Salica Tit. XI, 2. dicitur *thev*, Gothis *thiwe*, Angloſax. *theow*, Cambris *tywas*, a *ty* domus, & *was* famulus, manifeſto indicio, cætera e Cambrico contracta eſſe. In reliquis Dialectis prima ſyllaba compoſiti literis transpoſitis convertitur in *ot* vel *ead*. Hinc Francis humilitas dicitur *otmuati*, Angloſaxonibus *eadmod*, Belgis *oodmoed*. Malo enim in his vocibus metatheſin admittere, quam illas cum Somnero ab *ead* facilis derivare, cum lenitas & humilitas ſignificatu differant. Illa eſt Domini, hæc ſervi virtus & affectio. Diſcrepant quoque in Sacris literis Matth. XI, 29.

DEUTEN, declarare, ſignificare, interpretari, compoſite *bedeüten*, Friſiis in Legibus *bithioten* obſervante Junio, Belgis *beduyden*. Helvigius deducit ab inventore literarum Mercurio, qui Ægyptiis dicitur *Theut*, ſed perperam. Nam *deüten* non eſt literis prodere, ſed lingua vulgari exponere, refertque originem ſuam ad plebem, populum & turbam, cujuscunque terræ indigenam, quæ Gothis appellatur *thiuda*, Angloſ. *theod*, Keroni *deot*, Lex. Run. *thiod*, Armor. *teud* & *tud*. Ab hoc verbo lingua & idioma populi Angloſaxonibus dicitur *getheode*, Matth. I, 23. Marc. XV, 22. Francis *gitbiuti*, teſte Otfrido Lib. V. cap. 8.

Thaz uuir ENGIL nennen,
Thaz heizent ſo uuir zellen,
BOTON in githiuti
Frenkisge liuti.
Quod nos ENGIL vocamus,
Hoc notat, ſicut dicimus,
NUNCIOS in idiomate
Hominum Francorum.

DIEB, fur. Goth. *thiubs*, Angloſ. *theof*, Franc. & Alam. *thiob*, *diuf*. Olim ſervum denotavit, aut certe ex nomine

nomine ſervi (quod vide in *Demut*) nova flexione prodiit. Videtur adhuc priſco ſenſu ſupereſſe in compoſito *diebſtal.* Quæ vox vulgo quidem ſumitur pro furto in genere; ſed recte conſiderata, ablationem rei, quæ in fide & cuſtodia ſervi eſt, ab ipſo cuſtode commiſſam ſignificat. Qui ſecus ſtatuunt, coguntur pleonaſmum, duriſſimam figuram, in voce admittere. Ratio, cur vocabulum a ſervis pervenerit ad fures, haud dubie eſt, quod plerique ſervi eſſent raptores domeſtici. Idem fatum (nam ſua quoque vocabulis fata ſunt) accidit Latino vocabulo *fur*, quod ante ſervum denotavit, quam in deteriorem ſenſum prolaberetur, teſte Virgilio: *Quid Domini faciant, audent cum talia fures.* Fallitur ergo Helvigius, dum vocabula φὼρ & *fur* ab auferendo & alienando deducit, quæ ab initio erant bona & innocua, utpote a Celtico *bæran* portare, orta, quod primi ſervi eſſent bajuli, & utenſilia in migrationibus portarent.

DIEBSTAL, vox a peculatu domeſtico ad omne poſtea furtum extenſa. A *ſtelen* furari, quod ab omnibus veterum dialectis agnoſcitur, quamvis compoſito ignorato. Nam furtum Gothis dicitur *thiubja*, Anglosax. *theofde*, & in Legibus Friſionum *thiubda.* Cuncta per abſtractionem a Concreto, quod vide in *Dieb.*

DIENEN, ſervire, Angloſax. *thenian*, Keroni *deonon.* Ab Angloſaxonico *then*, ſervus.

DIENSTAG, Latinis dies Martis. Cum Mars apud Græcos fuerit judiciorum præſes, a quo Athenienſes judicium illud celebre *Areopagum* (nam Mars Græcis Ἄρης) ſive campum Martium, & Judices *Areopagitas* denominarunt: hinc quidam patriarum Antiquitatum haud imperiti, hunc diem ſic dictum putant, quaſi *thinges-tag*, hoc eſt, diem judicii. Equidem Martem Germanis innotuiſſe, certum eſt: at judiciorum præſidem fuiſſe, incertum. Et ſi Martem cuſtodire placet, dicendum potius eſt, hunc diem a luſtratione armorum nomen

accepiſſe

accepiſſe, quæ in Indice Verelii vocatur *vapnathing*. Alii itaque Martem deſerunt, & pro Marte ſubſtituunt *Diſam*, Septentrionalium Deam, Thori uxorem, de qua conſuli poſſunt Scriptores Boreales, Olaus Wormius in Monumentis & Faſtis Danicis, nec non Rudbeckius in Atlantica. Angloſaxones hunc diem vocant *tywes-dæg*, quaſi diem ſervitii, quod cum Germanica voce ſenſu magis quam ſono convenit. Verum cum hujus ſervitii ratio ex moribus antiquis reddi non poſſit, hæc appellatio certior quam clarior videri poteſt.

DIETRICH, clavicula laconica, ad fraudem & furtum facta, qua fures aliorum bonis potiuntur, & inde nomen *a thiuth* bonum, & *rich* potis. Prior vox Gothica eſt, poſterior Alamannica.

DING, conventio inter duos vel plures. Forum naturale & ab ipſa natura inſtitutum, quæ homines ad ſocietatem non ſolum aptos idoneosque, ſed etiam propenſos fecit. Dicitur conventio, a conventu corporum & animorum, ut comitia a coeundo. In hac conventione alter alterius legislator & judex eſt. Hinc apud priſcos non ſolum ipſa conventio, ſed etiam conditio conventioni appoſita, & omne denique negotium, quod ea lege & conditione, *facio ut facias*, *facio ut des*, *do ut facias*, *do ut des*, inter homines tranſigitur, vocatur *ding*, & compoſite *giding*, & convenire, conducere *gidingon*. Gloſſæ Pez. negotium *dinch*, conditioni *gidingun*, conventione *gidingun*, conveniſti *gidingotos*, conductum *gidingoti*. Mater nobis periit: vivit tamen adhuc familia ejus in compoſitis & derivatis, cujusmodi ſunt *dingen*, *bedingen* conducere, *beding* lex, conditio, *abdingen* detrahere aliquid de pretio ſolvendo, *verdingen* locare.

DING, judicium, forum, comitia, juris dicundi cauſa inſtituta. Significatus ex priori ortus. Nam forum naturale haud dubie prius erat foro civili. Tatianus XXVI, 2. *ſculdig thinges* reus judicio. Idem Con-

H cilium

cilium Sacerdotum ad condemnandum Jeſum a principe Sacerdotum convocatum appellat *thinc*, CLXXXIX, 1. Gloſſæ Pez. forum *dinch*. Verelius in Indice: *thing* comitia, forum, judicium, *vapnathing* luſtratio armorum & militum. Sunt, qui diem Martis *dienſtag* ſic appellatum exiſtimant, quaſi *thingestag*, hoc eſt, diem judicii, quod in medio relinquimus.

DING, cauſa, maxime forenſis, & litigioſa. Gloſſ. Pez. cauſam *dinch*, cauſarum *dingo*. Inde cauſarum patroni dicti *dingmanne*, & curia *dinghus*. Tatianus CXCV, 1. *thinchus* prætorium. Gloſſ. Pez. auditorium *dinchus*, concionatorem *dingman*. Quicquid horum eſt, tempus & oblivio delevit.

DING, res quælibet, etiam non-forenſis. Gloſſ. Lipſ. *inneron thingon* inferioribus. Convenit Græcum *τὶ, τινὰ*, aliquid.

DINTE, atramentum. Gloſſ. Pez. atramentum *tinctun*, atramentarium *tincta horn*. Hiſpanis *tinta* atramentum. Derivarem cum Beſoldo a tinctura, niſi obſtarent Cambri, quibus *duedd* nigredo, atror, a *du* ater, niger, quod videtur eſſe primitivum reliquorum. Litera N. in medio vocis non ſemper radicalis eſt, ſed ſæpe intercalaris tantum, & præter rationem ab uſu infarta. Sic vulgo dicunt *dunckel* pro *dukel*, *gewand* pro *gewat*. Idem ſtatuendum de litera C. in voce Theotiſca.

DONNER, tonitru, concuſſi aeris fragor. Perſis & Belgis *tonder*. Vox graviſona & horrenda prorſus, quam qui edunt, ipſo ſono teſtantur, ſe non verba ſed tonitrua loqui. Ideoque ad voces per Onomatopœiam factas illam referendam eſſe arbitror. Cambris tonitru dicitur *taran*. Inde fortaſſe Jovi tonanti nomen *Taranis* apud Gallos. Vocabulum habet Lucanus Lib. I.

Et Taranis Scythicæ nec mitior ara Dianæ.

DORF, hodie pagus, olim oppidum, & quivis habitandi locus. Gloſſ. Pez. oppido *thorf*. Cambris *tref*, urbs,

Digitized by Google

urbs, oppidum, locus habitationis, *didref* eremus, ubi non habitatur, *pentref* metropolis, quaſi urbs capitalis, a *pen* caput. Verel. in Ind. *thorp* caſtellum, prædium, pagus. Vox a multitudine hominum una habitantium, quæ Cambris dicitur *torf*, *tyrfa*, Latinis *turba*, Græcis θόρυβος, ad ipſum habitationis locum translata.

DRAUT, ſive *druter*, ſubſtantive ponitur pro amico, adjective pro fido ſeu fideli. Gloſſ. Pez. amicos *trutun*. Otfridus Lib. V. cap. 20.

Quemet, quit er thara zi in,
Thie giuuihte mines faters ſin,
Giſegenote ſine,
Joh liobun druta mine.

Ubi *druta* utrumque ſignificare poteſt, amicos & fideles. Huc etiam ſpectat compoſitum *drutscaf* amicitia, quo utitur idem Lib. 4. cap. 9. Gallia agnovit olim *drue* amica, ſponſa, & *druerie* amicitia, ex Francico fonte per ſyncopen accepta. Italis remanſit *drudo* pro amico, opinor a Langobardis. Germani habent compoſitum *vertrauter*, quo ſignificare ſolent familiarem & interioris admiſſionis aliquem, cujus fidei arcana pectoris tuto concredi poſſunt: item *betrauter* & *hoch-betrauter*, quod dicitur de Miniſtro, cujus ſumma fides reſpondet ſingulari fiduciæ Principis ſui. Cætera fere ignorantur. Si jam quæratur, unde nomen amico & fideli in Lingua veteri Theotiſca hauſtum ſit: reſpondeo a fide. Nam fides Scriptoribus Francis dicitur *triuuo*, & contracte *tru*. Quod ubi abit in derivatum, recipit a genio Linguæ augmentum finale *ter*, & fit *truter*. Plura ejusdem naturæ derivata vide in terminatione *Ter*.

DRAUT, ſecundario ſenſu ponitur pro charo, quia amici & fideles ſolent eſſe chari & præ cæteris dilecti, unde & amicis ab amore nomen apud Latinos. Otfrido *drutinna* aliquoties ponitur pro dilecta, II. 13. 20. III. 23. 28. Cambris *drud* charus. Similiter Luthero

Jer. XXXI, 20. *trautes kind* ponitur pro puero dilecto. Saxones inferiores utuntur hodieque *trut* eodem ſignificatu. Inde Latino-Barbaris *drudes* fideles, amici, & *druderia* amicitia, apud Cangium in Gloſſario.

DUN, mons, collis, cumulus. Vox Celtica & antiquiſſima, teſte Clitiphone apud Plutarchum, quam Græci cuſtodiunt in θὶν eodem ſignificatu, quæque in multis urbium apud veteres Germanos, Gallos, Britannos, nominibus conſpicua eſt, probante Cluverio in Germ. Antiq. pag. 52. Uſum vocis conſtanter tenuerunt in idiomate ſuo Angloſaxones, teſte Somnero in Diction. Angloſax. Inde compoſita, *dun-alf* dæmon montanus, *dun-ſetar* monticola, *Olivetes-dune* mons oliveti. Utuntur & Armorici *dun*, & Belgæ *duyn*, eodem ſenſu. Et in quibusdam Regionibus inferioris Saxoniæ, colles hodienum vocantur *dünen*. Huc etiam ſpectat TAUNUS, mons in Cattis, prope Gieſſam, Tacito Annal. I. 56. XII. 28. & Pomponio Melæ in Deſcriptione Germaniæ memoratus, ubi Druſus quondam Caſtellum poſuit, a Germanico poſtea renovatum, quem hodie *Dyns* vocant, interpretatione Romana *Taunus*.

DUNKEL, obſcurus, occultus. Veteres habent *dougli*. Tatianus CLXXXVI, 2. *in dougli niſprah ih niouuiht*, in occulto locutus ſum nihil. Interpres Angloſaxonicus adhibet *on dyglum*, eodem ſenſu, Matth. VI, 18. & ſæpe alias. In Indice Verelii occurrit *dokna* nigreſcere, *doker* niger, *dokne* nigredo. Cuncta a primitivo Cambrico *du*, ater, niger. Quo magis enim res aliqua atrore aut nigredine affecta eſt, eo magis viſu difficilis & obſcura eſt. Unde porro omnibus rebus & locis, quæ defectum lucis patiuntur, applicari cœpit. Litera N. in medio vocis abundat, ut ſæpe alias: non caret tamen auctoritate veterum, præcipue in derivatis, ſicut poſtea videbimus.

DUNKELHEIT, caligo, & ipſum abſconſum, præſertim ex uſu veterum. Tatianus XXXIV, 2. *beto thinun fater in tougalneſſe*, ora patrem tuum in abſconſo.

DUNKLEN, caligare, iſt eſt, defectum lucis pati. Gloſſ. Pez. deficiant *tunchlent*. Gloſſ. Boxhorn. caligaverunt *tunkileton*. Verbum ab uſu hodierno non plane remotum. Vulgo enim dicimus, *die augen fahen an zu dunklen*, oculi incipiunt caligare. Quod fit, quando acies oculorum hebeſcit.

DUNKLEN, obfuſcare, tenebras objicere. Hodie utimur compoſito *verdunklen*. Olim utebantur etiam ſimplici. Hinc obfuſcatio in Gloſſ. Pez. redditur *tuncali*.

DURFT, opus. Keroni *duruſt*, Angloſax. *thearf*, Lex. Run. *dorf* & *durft*. Ab indigendo, quaſi indigentia. Nam indigere, oportere, ſive opus habere eo, quod oportet, Gothis dicitur *tharfan*, Angloſax. *thearfan*, Germanis hodie *darfen*, & compoſite *bedarfen*, *bedörfen*, *bedürfen*. Differt a *darben*, quod proprie eſt paupertatem pati, a ſubſt. Gothico *tharba* pauper, quamvis & hoc ad eandem radicem referri debeat. Hodie *durft* extra compoſita nullum; in compoſitis vero modo primum, modo ultimum locum occupat. Hujusmodi ſunt *dürftig* egenus, *notdurft* neceſſitas.

DURST, ſitis, rectius *thurſt* ob reverentiam antiquitatis. Angloſax. *thyrſt* vel *thurſt*, Franc. & Alam. *thurſt*. Nomen habet ab arido vel ſicco, quod eſt cauſa ſitis. Quod enim ejus naturæ eſt, Gothis dicitur *thaurſus*, contracte *thaurs*. Et hinc ſitis *thurſt*, quaſi ſiccitas. Similiter Cambris a *ſych* ſiccus, fit *ſyched* ſitis, & *ſychedu* ſitire, obſervante Junio. Cæterum *thaurs* pro arido ſuperat Græcis in Θέρσω, Θερσαίνω arefacio, & *ſych* Latinis in *ſiccus*. Quidam Celtarum poſteri a Celtico *thaurs* truncarunt in fine ſibilum, & aridum vocarunt

dürr, cujus uſus hodieque perennat, cum quo ſingularem adfinitatem habet Latinum *torrere*.

DURSTIG, audax. Utitur hac voce Luth. Phil. I. 14. Angloſaxones eodem ſenſu dicunt *dyrſtig*. Nimirum *daurſtan* Gothis eſt præſumere, audere. Inde nomen audaciæ & confidentiæ *daurſt*, quod in Lex. Run. effertur *trauſt*. Ab hoc ſubſtantivo oritur adjectivum *daurſtig*, ſive *durſtig* audax; & hinç porro adverbium *thürſtiglich* audacter, confidenter, quo denuo utitur Luth. Hiob. XII. 6. Similiter Græcis a θαῤῥέω confido, derivatur θάῤῥος audacia, confidentia, & θαῤῥὺς fiducia præditus, quæ noſtris ſimillima ſunt, niſi quod literam T. e medio dictionis auferunt.

E.

EBBE, refluxus maris. Proprie abitus & decrementum maris, vel immediate ab adverb. defectus *ab*, vel mediante verbo *aben*, quod priſcis Belgis ſignificavit abire, deficere, teſte Kiliano.

EBENTEUR. Vide *Abenteur*.

EBER, aper. Utrumque a Celtico *bar* beſtia, ope Præfixi *e*. & *a*. quæ hoc loco ſignificatum augent, ita ut *eber* & *aper* ſit beſtia valde indomita, plane ut *atrox* eſt valde *trux*. Hinc aper in Gloſſ. Ælfrici vocatur *wilde bar*, a feritate.

ECHT, genuinus, legitimus, & figurate probus, idoneus. A ſubſtantivo Angloſaxonico *æ*, lex, quod, ubi abit in adjectivum per terminationem conſuetam *icht*, producit compoſitum *æ-icht*, eo ſignificatu quo diximus. Quod poſtea nullo negotio contrahitur in *echt*. Priſci, qui ſæpe ſolent terminationes terminationibus cumulare, videntur uſurpaſſe *echtig*. Gloſſ. Pez. idoneus *ehtiger*. Quaſi dixeris, aliquid habens idonei.

ECKE,

ECKE, *angulus.* A concurſu linearum, hoc eſt, ab acie vel cuſpide ſic dictus, quæ Angloſax. dicitur *ecge*, Islandis *egg*. Inde fiunt *dreieck* triangulus, *viereck* quadrangulus, & alia indubiæ vetuſtatis vocabula. Gloſſ. Pez. quadrangulus *feorekker.*

EDEL, nobilis, generoſus, patritius. Angloſax. *æthel*, ſive *ethel*, Alam. & Francis *edil.* Otfridus de proſapia B. Virginis Lib. I. cap. 3.

Thiu thritta zuahta thanana
Thaz uuarun edil thegana.
Tertia deinde generatio
Erant domini nobiles.

Ab *atta* pater, ut mihi quidem videtur. Nam nobilitas eſt quædam majorum claritas ſecundum Ariſtotelem, & is demum nobilis cenſendus, non qui dives & opulentus, ſed qui claris parentibus ortus eſt, & avitæ virtutis tenax veſtigia Majorum non derelinquit. Majores certe noſtri, Cæſaris & Auguſti ævo, aurum & argentum nec habebant, nec deſiderabant, & nihilominus nobiles cenſebantur & dicebantur etiam ab ipſis Scriptoribus Romanis. Unde fieri non poteſt, ut vox Germanica *edel* a divitiis, quæ antiquitus nullæ erant, deſumpta ſit. Multo minus audiendi ſunt, qui nullam generis aut ſanguinis nobilitatem, ſed virtutis tantum militaris, in Majoribus noſtris agnoſcunt. Hos enim non in vocabulo, ſed in re ipſa errare certum eſt, cum Tacitus *nobilitatem & virtutem*, & mox, *nobilitatem & decus bellorum*, continuo diſtinguat, cap. 7. & 11. Quibus conferri merentur, quæ præclarus auctor de ordine Nobilium, ab Ingenuis & Libertis diſtincto, cap. 25. de Principis adoleſcentuli nobilitate, cap. 13. & de nobili genere Marobodui & Tudri, cap. 42. memoriæ prodidit. Nam cætera, quæ de gradibus & æmulatione Comitum commemorat, haud dubie virtutis ſunt. Sed revertamur ad vocem. Tranſiit illa in nomen propium apud vetuſtiſſimos Germano-

manorum. Hinc quidam Rex Cheruſcorum, Armenii e fratre Nepos, vocatur ITALUS, id eſt, nobilis, apud Tacitum Annal. XI. cap. 16. Rexit & Marcomannos quidam Rex ATTALUS, Gallieni ævo, cujus nomen idem ſignificat. Et fortaſſe etiam ATTILÆ nomen huc referendum eſt. Quanta ſit nominis EITEL in Familia Hohenzollerana celebritas, nemo ignorat. Apud Svevos idem nomen & eodem ſenſu hodieque perennat.

EGEL, compoſite *blut-egel*, hirudo, ſanguinis humani appetens, quamvis in aqua paluſtri nata. Gloſſ. Pez. ſanguiſugæ *egalun*. Nomen habet ab acie linguæ, quæ Angloſax. dicitur *ecge*, Island. *egg*, quod ſugendo pungat. Vide plura in *Igel*.

EHAFTEN, legitima impedimenta, ſive vincula legis. Ab *æ* lex, quod eo ſenſu occurrit in idiomate Angloſaxonico, & inprimis in Evangelio ejus Gentis, Matth. VII, 12. XI. 13. Luc. XVI, 16. & *haſt* detentio, quod eſt ab *haban* tenere, ut diximus in Prolegomenis. Ab hoc verbo captivitas in Gloſſ. Lipſ. dicitur *haſt*, quaſi detentio, quia captivo non licet eſſe liberum. Refertur autem ex uſu veterum non ſolum ad captivitatem, ſed etiam ad omnes liberi hominis occupationes, quibus libertas agendi naturalis quoddammodo reſtringitur. Hinc occupatus Keroni dicitur *pehafter*, quaſi detentus. Et religio in Gloſſ. R. Mauri dicitur *chaſtida*, quaſi vinculum legis. Unde ſimul antiquitas vocis noſtræ comprobatur.

EHESTAND, conjugium, ſocietas conjugalis. Proprie ſtatus viri & fœminæ legalis. Ab *æ*, lex, quod Angloſaxonicum eſſe vidimus. Hodie non ſemper adhibemus compoſitum, ſed ſæpe utimur ſolitario *ehe*, pro ſtatu & fœdere conjugali, dum ſignificatus legis obſoleſcit.

EICH-

Digitized by Google

EICHHORN, ſciurus. Vox corrupta ex vetuſtiori *eihquirn*, quæ proprie ſignificat molam quercus. Nam Francis & Alam. quercus in Gloſſ. Pezianis vocatur *eih*, & mola *quirn*. Similiter Angloſaxonibus ſciurus dicitur *acwern*, ab *ac* quercus, & *cwearn* mola. Non quod beſtiæ ſint quædam ſine ſenſu machinæ ſecundum antiquos, ut quidam recentiorum fabulantur; ſed quod animalculum hoc vitam degat inter quercus, & fructus earum inſtar molæ dentibus ſuis frangat comminuatque, ut bene obſervatum Fr. Junio in Gloſſ. Goth. voce *quairn*. Vox Latina eſt a Græca σκίουρος, ex qua ſibilo detracto lucet quaſi per tranſennam Celtica *kwir*, quæ videtur a Græcis, literam w. nec habentibus, nec pronunciare potentibus, mutata in κίουρ, literis paulo tranſpoſitis. Gallis idem animal dicitur *eſcurieu*, a Latino *ſciurus*.

EINGEWEIDE, viſcera. Mire diſcrepant Dialecti in hoc ſenſu reddendo. Angloſaxonibus viſcera vocantur *innothas*, Tatiano *innodila*, IV, 18. Gloſſis Lipſii *innethron*, Gloſſis Pez. *inuuartigi*. Ex his alia aliis proximiora ſunt, dum quædam recedunt a reliquis. Conveniunt tamen univerſe in radice *inna*, quæ in omnibus Dialectis ſitum rei internum denotat, unde etiam Latinis viſcera vocantur *inteſtina* & Plinio *interanea*, Lib. VIII. cap. 27. & XXX. cap. 7. In reliquis Dialectis major eſt diſcrepantia. Nam viſcera Gothis dicuntur *inſeinandeins*, Cambris *monothen*, Islandis in Indice Verelii *ydur*. Vox noſtra ita concepta eſt, acſi non exta ipſa, ſed extiſpicium denotaret, atque ex diſciplina Haruſpicum nobis relicta eſſet. Nam Gothis *witan* eſt videre. Vulgo tamen exiſtimant, illam componi ex ſimplici *weyde* ejusdem ſignificatus, quod habet Kilianus in Etymologico. Sed quid ſit *weyde*, quis vocis ſenſus, quæ cognatio, quæ cauſa denominationis, nemo hactenus explicavit. Forte non procul a ſcopo & uſu vocis

aberrabit, qui viſcera ſic dicta imaginabitur, quaſi inter ſe mutuo implicita & conjuncta, vel tanquam ſtructuræ animalis vincula, a verbo obſoleto *witan* copulare, conjungere, quod vide infra in *weide* ſecundæ ſignificationis.

EINHELLIG, concors. Matrix cum univerſa familia nobis periit. Superat tamen aliquid poſteritatis apud Gloſſatores in compoſitis. Gloſſæ Pez. concinens *gihellenter*, congruunt *gihellent*, conſonans *gihel.* Gloſſæ Boxhorn. diſcrepare, diſſonare *enthellen.*

EINÖDE, ſolitudo. Gloſſ. Lipſ. *einode* ſolitudo. Otfridus Lib. I. cap. X.

Joh faſtota io zi note
In uualdes einote.

Abſtractum ab *ein* unus, ſolus, ope particulæ *ode*, quæ hic mera terminatio eſt, & annectitur etiam aliis vocibus, in quibus nulla vacui aut deſerti ſuſpicio, ut oſtendimus in Subfixis.

EINSIDLER, eremita. Sedes cujusque rei Gothis dicitur *ſitl*, Angloſax. *ſetl*, Keroni *ſedal*, Svevis hodie *ſidel.* Inde *ſidler*, qui aliqua ſede ſedet, nec ab illa ſede recedit. Quod conjunctum cum præfixo *ein*, efficit hominem, qui ſedem ſuam fixit in ſolitudine, h. e. eremitam. Vox non adeo ſpectatæ antiquitatis, quæ videtur ſucceſſiſſe antiquioribus *uualdlihber*, & *einchoraner*, quibus Kero Eremitam & Anachoretam interpretatur.

EITEL, vacuus, Otfridus Lib. IV. cap. 19.

Uf yrſcrikta harto
Ther furiſto Euuarto.
Sinan ſtual in ala uuar,
So liaz er italan thar.

Qua re perterritus valde
Summus Pontifex
Sellam ſuam in veritate
Reliquit vacuam.

Idem

Idem alibi ſepulcrum vacuum vocat *thaz itala grab.* Similiter Tatianus cap. IV, 7. *inti otage forliaz itale*, & divites dimiſit inanes. Quod Otfridus rythmice ſic exponit Lib. I. c. 7.

Thie odegun alle
Firliaze er itale.

Conſentit Angloſaxonicum *idel* eodem ſignificatu, teſte Somnero. Origo vocis eſt ab adverbio privativo (quamvis obſoleto) *eit* ex, quod Gothis effertur *ut*, *uta*, Angloſax. *ut*, Angl. *out*, Belg. *uyt*. Ut adeo *eitel* vi originis proprie ſit privatus. Quod vacuo apprime convenit. Germanis evanuit hic ſignificatus: ſuperat tamen in ſenſu traducto, ut mox dicemus.

EITEL, vanus. Significatus ex priori deſumptus, quod vano nihil ſit inertius, nec magis vacuum. Kero: Vana *italin*, vana gloria *ital ruam*. Saxones quoque ſuum *idel* ad ſignificandum vanum transtulerunt.

ELEND, exilium, rectius *ellend*. Scriptoribus Francis *elilenti*. Otfridus Lib. 3. cap. 25.

Mit krefftigera henti
Duent unſih elilenti.
Manu forti
Facient nobis exilium.

Idem Lib. I. cap. 21.

Thar Joſeph uuas in lante
Hina in elilente

Goldaſtus compoſitum putat ex *ellu* omnis, & *inti* finis, quod tolerari poteſt, quia ſpeciem habet antiquitatis, etiamſi veram originem nondum attingat. At quid dicemus de conatibus Bödikeri, qui vernaculam noſtram non ex penetralibus antiquitatis, ſed ex proprio ingenio explicandam ſuſcepit? *In ELEND*, inquit, *iſt das ſtam-wort EH, das iſt, BAND, und LAND: der aus dem Lande verbannet, und ihm das Land zugebunden und verſperret iſt.* Non opus eſt hæc refellere, & propter

propter merita Viri, operamque ſermoni hodierno haud inutiliter navatam, ne quidem ſuſcipiendum. Sufficit tantum monuiſſe, ejusdem commatis eſſe omnia fere hujus auctoris etymologica inventa, id eſt, plumbea, & ſuffragio vetuſtatis deſtituta. Quanto melius Stadenius vocem ex *el* alius, & *lant* regio componit. Quem ſequitur etiam Palthenius citra hæſitationem. *El* pro alio, vox Celtica eſt, & occurrit eo ſenſu in omnibus Dialectis, a veteri Celtica oriundis, Gallica, Britannica, Gothica, & reliquis. Inde Gallis *Allobrogibus* nomen inventum, quod ex alio agro translati eſſent, ut vetus habet Scholiaſtes ad Sat. VIII. Juvenalis. Cambri, veteris Linguæ Britannicæ tenaciſſimi, permulta habent compoſita, ab *all* alius oriunda, cujusmodi ſunt, *arallu* alterare, *allwlad* advena, *alltud* alienigena, *ellmyn* peregrinus, unde nomen ALAMANNIS noſtris quæſitum, ut alibi prolixe oſtendo. Gothi utuntur compoſitis *aljath* peregre, *aljathro* aliunde, *aljakunja* alienigena. In idiomate Angloſaxonico occurrit *eltheodig* peregrinus, quam vocem etiam habet Iſidorus pag. 263. item *eltheodiſc*, de cujus propria ſignificatione infra erit agendi locus in voce *Teutſcher.* In Gloſſis Boxhornianis *eliporo* exponitur alienigena. Ker. *allasuuanan* eſt aliunde, Islandis *ella* alias. Germani eandem vocem cuſtodiunt in nomine *büffel*, bos extraneus, ut notavimus ſupra in voce: nec non in nomine exilii *elend*, quod certe nihil aliud quam terram exteram ſive alienam ſignificat. Et hoc ſenſu occurrit etiam in adjectivis inde oriundis. Hinc peregrinus ſive extraneus Scriptoribus Francis dicitur *elilenter* & *elelendig*, utique ab *elilenti* terra extera. Otfridus Lib. V. cap. 9.

Biſt thu eino ir elilente,
Ir andaremo lante.

Tune unus es ex peregrinis,
Ex aliena terra?

Similiter

Similiter Tatianus de agro Acheldama, CXCIII, 5. *accar in grabaſteti elilentero*, ager in ſepulturam peregrinorum. Quibus jam accedant Gloſſæ Lipſ. *elelendig* extraneus, *ellendiga* advenam. Ab his adjectivis ipſum deinceps ſubſtantivum accepit novam ſignificationem, ita ut quævis peregrinatio extra fines terræ patriæ inſtituta diceretur *elilenti*. Gloſſæ Lipſ. *elelendis* peregrinationis. Denique a peregrinatione eadem vox traducta eſt ad exilium ſignificandum, ſicut ab initio vidimus. Et hunc ſignificatum hodienum agnoſcimus, reliquis repudiatis.

ELEND, miſeria, calamitas. Significatus a triſti exulum ſtatu & conditione deſumtus, ſed novus, & antiquo ſuperſtructus. Vix ulla vox eſt, quæ plures fecerit peregrinationes, aut majores in itinere perpeſſa ſit mutationes.

ELENDIG, miſer. Senſus novus, & ex antecedenti formatus. Quemadmodum enim Germani hodierni quamvis miſeriam vocare ſolent exilium, ob rationes allegatas: ita omnem miſerum exulem, quoniam tales fere ſunt, qui extra natale ſolum in terra aliena oberrare coguntur.

ELEND-THIER, & per apocopen *elend*, animal ſylveſtre Poruſſiæ, Græc. ἀλκή, Lat. *alx* vel *alce*, Germanis olim *elah*. Gloſſ. Pez. *alx*, *elah*. Significat proprie animal extraneum in omnibus hiſce linguis. Exigit enim hunc ſignificatum vocula *el*, quæ eodem ſenſu ſuperat in *büffel* bos extraneus, & *lend* regio. Cauſa denominandi fuit, quod hoc animal extra Poruſſiam in aliis terræ regionibus non reperiatur.

ELF, undecim, rectius *eilf*. LL. Sal. *anilaf*, Angloſax. *anlyf*, Otfrido *einlif*. Lib. IV. cap. 15.

Zi imo ſprah to Thomas
Er ein thero einlif uuas.

Quaſi

Quaſi unus reliquus ſupra decem. Nam unus variante Dialecto dicitur *an* vel *ein*, reſiduus vero ſeu ſuperſtes Saxonice *laf*. Inde *to laf is*, reliquum eſt. Islandis *leiff* eodem ſenſu uſurpatur. Gothi habent *lifnan* ſupereſſe, & Angli *to leave* relinquere. Nimirum primi nominum impoſitores per digitos numerabant, illudque quod decadem digitorum excedebat, ſi unum eſſet, appellabant *anlif*, vel *einlif*, ſi duo *zwelif*, vel *twalif*. Ab his igitur parentibus exiſtunt hodie *eilf* & *zweilf*, undecim & duodecim, quæ nimia brevitate originem ſuam occultant. Debemus hanc etymologiam & complures alias ejusdem probitatis, felici ingenio Viri ampliſſ. Joh. Georg. Eccardi, Legum Salicarum doctiſſimi commentatoris, cujus merita & ſtudia in ornandis patriis literis majora & notiora ſunt, quam ut noſtro præconio indigeant.

ELTEREN, parentes. Tatiano *eldiron*, XII. 2. Significare poteſt genitores, nutritores, & ſeniores, ſi derivetur ab *ala* parere, nutrire, quod extat in Indice Verelii, unde Gothis *aldins* generationes, Angloſaxonibus *ylde* ætas, generatio, Francis *alter* ſubſtantive ætas, ſenex, ſenecta, adjective annoſus, quaſi diu nutritus, Latinis *alere*, *alimentum*, *oleſcere*, *altor*, & *altus*, ſive *ultus* pro vetuſto, quod habet Non. Marcellus, Græcis ἔωλος, ἐωλότερος, vetus. Nam hæc omnia conveniunt in generandi, nutriendi & ſeneſcendi ſignificatu, & ordine naturæ cohærent. Quamvis autem vox Germanica valde antiqua ſit, quatenus parentes Domini ab interprete Tatiani, Sæculi VIII. vel IX. ſcriptore, eodem nomine affecti leguntur: certum tamen eſt, illam mere Francicam eſſe, & a Francis nobis relictam. Nam reliquæ Dialecti aliis utuntur vocibus, & plerumque diverſis, in parentibus denominandis. In Evangelio Gothico parentes vocantur *fadrein*, quinquies in uno capitulo, & in Evangelio Angloſaxonico *magas*, quinquies in eodem capitulo,

Digitized by Google

tulo, Joh. IX, 2. 3. 18. 20. 22. Keroni vero, Alamannorum interpreti, parentes ſunt *katilinga*.

EMSIG, jugis & aſſiduus in opere. Contractum ex vetuſtiori, quod intelligi rite non poteſt, niſi prius oſtendam, quid Francis & Alamannis ſit otium, quid occupatio. Gloſſ. Pez. ocii *muozu*. Gloſſ. Keron. vacat *muazzot*, occupari *keunmuazon*, continuanda erit *zi emizzigonne iſt*, frequenter *emezzico*. Gloſſ. Boxhorn. occupatio *unmuazza*, juge *emmazzigo*. Ex his Gloſſis manifeſtum eſt, quod præfixum *e*. eandem poteſtatem habeat cum negativo *un*, & quod poſtrema vox *emazig* (unde Germanica *emſig* per contractionem orta) idem plane valeat, quod *unmuazig*, id eſt, occupatus, & minime otioſus. Galli habent *amuſer*, occupatum tenere, detrahere otium, ex eodem fonte.

ENDE, finis. Goth. *andei*, Angloſ. *end*, *ende*, Keroni *enti*. Oritur vel a privativo *ent*, vel ab adverbio ordinis *ent*, quatenus ultimum terminum rei ſignificat, quæ vide in Præfixis. Cum autem finis cujusque rei duplex ſit, ſuperior & inferior, illum veteres vocabant *obanenti*, hunc *nidanenti*, ut in notis ad Keron. voce *Culmen* oſtendimus. Sæpe etiam *enti* ſolitarie ponitur pro ſummitate. Tatianus XLV, 5. de amphoris: *inti ſie fultan ſiu unzan enti*, & impleverunt eas usque ad ſummum. Imo etiam frontem, quod ſtaturam hominis ſuperius finiat, eodem affici vocabulo, Palthenius ex Iſidoro & Rabano Mauro obſervat. Hinc porro a ſummitate perfectioni, quæ eſt ſtatus rei ad ſummum perductæ, nomen inventum, Latinis quoque conſummationem a ſummo dicentibus. Kero: conſummentur (id eſt, perficiantur) *ſin keentot*. Saxones eodem ſenſu dicunt *endian*, & Græci ἀνύτειν per epentheſin & ἀνύειν per ſyncopen.

ENKEL nepos. Vide *Anke*.

ENT-AR,

ENT-AR, aquila anatibus infeſta. Heſychio *ἄντας* eſt vocabulum Tuſcum, aquilam ſignificans. Verum ex idiomate Germanico manifeſtum eſt, nomen eſſe compoſitum ab *ente* vel *ante* anas, & *ar* aquila, vocibus utique antiquis. Unde recte colligitur, *ἄνταρ* non eſſe vocem Tuſcam, ſed potius Celticam, a Celtis Italiæ colonis ad Hetruſcos profectam, ut aliæ plures, quas ſuo loco recenſebimus. Ex eodem fonte eſt vox Latina *anataria*, qua Plinius utitur.

ENTBÆREN, carere. Quo ſenſu, incertum. Neque enim ab auferendo dictum videtur. Videamus, annon aliunde vox difficilis & ſalebroſa derivari poſſit. *Bar* interdum ponitur pro libero. Kero: liberorum *barono*. Hinc *bæren* duo poterit ſignificare in hoc compoſito, vel mancipio dare alteri, ſi præfixum *ent* vim habeat privandi: Hoc ſenſu *enbaren* occurrit apud Goldaſtum in Scriptoribus Paræneticis pag. 415. Vel dimittere ex uſu & dominio noſtro ut rem liberam, ſi præfixum *ent* vim habeat intendendi. Alterutrum videtur acceptandum, aut vox ipſa Sorabis relinquenda, quibus *paruju* careo.

ENTE, anas. Vox antiqua. Gloſſ.Pez. anates *enti*. Alii veterum vocem longius producunt in *ened*, vel *anet*. In LL. Bojoariorum occurrit compoſitum *anethapich* pro anataria. Inde Legibus Salicis *annata*, & aliis Latino-Barbaris *anetha*, pro anate. Tuſci habent *antar*, pro aquila, ſed fortaſſe pro ea, quæ anatibus inſidiatur. Videtur autem ſic dici a natandi aſſiduitate, ut pridem Helvigio obſervatum. Nam anas Græce dicitur *νῆττα*, a *νέω*, no, nato. Inde Celtarum poſteris *ente*, vel *anete*, quaſi ales natatilis. Certe vox Latina a Græca eſt. Et nihil omnino obſtat, quo minus etiam noſtra ad Græcos traditores referatur. De via tradendi non opus eſt, cur magnopere ſimus ſolliciti. Qui noverit Græciam antiquitus a Celtis obſeſſam fuiſſe, & utriusque Gentis propa-

Digitized by Google

propagines diu Italiam tenuiſſe, Celtarumque poſteros in Græciam aliquando reverſos Gallo-Græciam de nomine ſuo condidiſſe, lubens fortaſſe fatebitur, potuiſſe quædam Majoribus noſtris vocabula a Græcis per contagium communicari. Non amo Græcas origines: ſed manifeſtis & naturæ rerum congruis, quando idonioribus domi deſtituimur, refragari nolo.

ERDE, unum ex quatuor mundi elementis, a quibus omnia oriri ferunt & prodire. Vox a Geolatris nobis relicta, qui putabant terram eſſe Deam, & principium univerſi, & initium Gentis Germanicæ. Tacitus de Semnonibus cap. 39. *Per humum evolvuntur, eoque omnis ſuperſtitio reſpicit, tanquam inde initia Gentis.* Idem de Svevis cap. 40. *In commune HERTHAM id eſt, terram matrem colunt.* Cum ergo de Terra tam magnifice ſentirent majores noſtri, hinc illi nomen condiderunt ab *ord*, quod in Lingua Anglo-Saxonica ſignificat principium & initium rei, teſte Somnero in Dictionario. Alamanni eadem voce & eodem ſenſu utuntur in compoſitis, quæ vide apud Keronem in *Auctoritas*. Unde derivetur, & quam habeat in Lingua Latina poſteritatem, jam diximus in Præfixo UR. primæ ſignificationis. Cambri & Armorici multas habent voces, quibus terra denotatur. Nam præter *ar*, quod alibi vidimus, tellurem vocant *tir* & *daear*, quaſi *irt* vel *eard* per metatheſin. Latinos inde habere nomen *Terræ* omnino veroſimile eſt. Nos, quicquid horum vocabulorum eſt, a Geolatria deducimus, cum verum & proprium Terræ vocabulum olim fuerit *tit*, *tud*, vel *teut*, ut poſtea in voce TEUTSCH docebimus.

ERDE, orbis terrarum. Goth. *airtha*, Angloſax. *eorthe*, Keroni *erda*, Septemtrionalibus *jord*. Senſus ſecundarius, a terra primigenia & elementari ad globum telluris traductus: Quem præter Gothicum & Angloſa-

xonicum interpretem Matth. V, 18. agnoſcunt etiam Germani.

ERDE, quævis regio in ſuperficie orbis terrarum. Senſus a toto ad partem translatus, & ſolis antiquis familiaris. Tatianus XI, 2. *quam zi erda Iſrael* veniebat in regionem Iſrael. Miratur Palthenius hoc tanquam inſolentius dictum: Conveniunt tamen Gothus & Saxo, qui ſimiliter loquuntur, Matth. XXVII, 45. Luc. IV, 25. Ab hoc ſignificatu ortum eſt verbum apud priſcos, ita ut colere, inhabitare ſuperficiem terræ, Angloſaxonibus diceretur *eardian*, ſive *eardigan*, Tatiano & Iſidoro *arton.*

ERDE, terra, ſolum, humus, & quævis terræ portio, ſive magna, ſive parva. Gloſſ. Pez. ſolo *herdu.* Tatianus LXXV, 41. *thie thar in guota herdu giſauuit iſt,* qui in bonam terram ſeminatus eſt. Græci habent ἔνερθε, infra, ſub pedibus, nonnulla (ut videtur) cum voce noſtra cognatione.

ERENHOLD, vulgo interpretantur fecialem, vel caduceatorem, amicitiæ pangendæ cauſa miſſum. Palthenius, ut vocem mire vitiatam ſanitati quoddammodo reſtitueret, originem ejus petit partim a Gothis, quibus *airu* nuntii, legati, partim a Francis, quibus *hold* amicus, ita ut *ernhold* proprie ſit Legatus amicus, ſive amicitiæ aut ſervandæ aut inſtaurandæ intentus. Alii ab honore *ero*, alii ab exercitu *her*, & *aldo* ſervus, alii ab *eira* paciſci (quod in Lexico Runico legitur) deducunt. Omnes ingenioſe magis, quam vere. Mihi vox corrupta videtur ex ſimplici *haro* præco, quod eſt ab *haran* clamare. Gloſſæ Boxhorn. *haro* præco. Gloſſæ Keron. clamat *hareet*, clamamus *haremees*. Gloſſæ Pez. clamet *haret*. Otfridus Lib. III. cap. 8.

Sie tho luto irharetun,
Thuruh thia ſuarun forahtun.

Tunc

Digitized by Google

Tunc alta voce clamabant
Præ gravi timore.

Horum Præconum officium erat, non publica tractare negotia, aut legationibus defungi, ſed in Ludis Equeſtribus clamando promulgare Leges certaminis,& eum, qui viciſſet, declarare victorem. Prius cognoſcimus ex Poëmate quodam Mambrunii ab elegantiſſimo auctore Meneſtrio in Tractatu de Torneamentis citatò pag. 299.

Protinus ingenti PRÆCO ſic voce Cluentus:
Hoc opus, hæ leges ſunto certaminis: haſta
Tres medio in curſu pura ſimul auferat orbes
Victor Eques, mox & Regi ſe ſiſtat in armis.

Poſteriùs ex Virgilio:

Tum Satus Anchiſa, cunctis ex more vocatis,
Victorem magna PRÆCONIS voce Cleanthum
Declarat, viridique advelat tempora lauro.

Franci igitur veteres atque Alamanni,qui circa originem Trojanam ultro glorioſi erant, hos Ludos, & hæc certamina ludicra, ab Ænea Trojano in Latio inſtituta, frequenter imitabantur, præſertim cum a re bellica vacarent: Et in his ſpectaculis eum hominem, quem deſcripſi, ab officio clamandi *Haro* appellabant, id eſt, præconem ſive vociferatorem. Hoc poſtea nomen, volitando per ora virum, varias induit formas, pluresque obiit mutationes. Primum vitium accepit a Britannis, qui illum appellabant *herod.* Poſtquam illud aliquandiu placuit, paulatim converti cœpit in *herold*, auctoribus Germanis, quos imitati ſunt Galli in *herault*, & Itali in *haraldo.* Dum hæc aguntur, periit radix *haran* ex hominum memoria. Vulgus itaque, cujus mira eſt in depravandis vocabulis levitas, ne videretur non intelle-

Digitized by Google

cta loqui, aut ſine mente ſonum edere, ut campanæ, inpoſterum dixit *erenhold*, quaſi honoris amicum.

ESEL, aſinus, aſellus. Goth. *aſil*, Angloſax. *aſſen*, Alam. & Francis *eſil*. Cuncta ab Hebræo *azel*, piger, ignavus, judice Helvigio: cujus ſententiæ in vocabulo naturam animalis tam apte exprimente, libentius ſubſcribo, quam conjecturæ Pezronii, eandem vocem ab Armorico *aſen* deducentis. Quid mirum, animal orientis ex vetuſtiſſima Orientis lingua nomen capere? Aut nomen cum ipſa re exteris communicatum? Fortaſſe etiam apud Græcos idem animal, priusquam ultimum occidentem adtingeret, quædam in itinere produxit, cujusmodi eſt ἀσελγὴς, laſcivus, obſervante Helvigio. Cognata enim vitia ſunt, pigritia & laſcivia, & in Aſino tanquam communi ſede morantur.

EUROPA, pars mundi occidentalis & borealis. Euſtathius dictam vult quaſi εὐρυώπην lætam adſpectu, pulchram. Feſtus ab Europa Agenoris filia. Bochartus Poenis ait Europam dici *ur-appa* quaſi Terram λευκοπρόσωπον, quia Europæi Africanos candore faciei multum ſuperant. Nos abitramur, fuiſſe olim in vetere lingua Celtica quandam vocem, ſimilem Europæ, quæ hodie inveſtigari nequit. Et hujus ſententiæ ſponſores habemus reliquas orbis partes, *Aſiam & Africam*, quas ab antiquis Celtarum ſive ſapientibus ſive ſacerdotibus patrio ſermone ſic appellatas eſſe, ipſe optimus verborum ſenſus arguit. Vide quæ ad ſingula ſupra annotavimus. Screikius Europam exponit *eur-oppe*, hoc eſt, ut ipſe interpretatur, ulterior ſuperioritas. Goropio Europa eſt *e-ur-hop*, id eſt, conjugii ſpes excellens. Verum ab hiſce viris in re Etymologica ludimur potius quam docemur.

FABEL,

Digitized by Google

F.

FABEL, fabula, Haud dubie a Latino: & hoc viciſſim a Græco παραβολή collatio, comparatio, per ſyncopen. Quid enim ſunt fabulæ, niſi collationes inſtitutæ, quibus ſimilia cum ſimilibus comparantur? Veteres ad hunc ſenſum exprimendum ſuis utebantur vocibus, non alienis, quas vide apud Keron. in *Fabulis*. Inprimis reſtitui meretur vox *wort-bild*, quo utitur Tatianus in Harmon. Evang. CLXXV, 3. *thiſu in uuortbilidu ſprab ih ju, cumit zit, mit thiu ih in uuurtbilidun ni ſpribhu ju:* hæc in parabolis locutus ſum vobis, venit hora, cum jam non in parabolis loquar vobis. Parabolæ enim ſunt quaſi ſermo figuratus, & imagines rerum verbis depictæ. Miror, hoc optimæ notæ vocabulum Germanis potuiſſe excidere.

FÆM, judicium. Verel. in Indice: *fæmt* judicium, *fæmta* judicium peragere. Inde Latino-Barbaris *vemium* pro judicio, & *feimeni* pro judicibus. Vox inde a Carolo M. ævo Saxonicis auribus terribilis. Reſtat hodie *feimſtatt* pro loco ſupplicii.

FÆNRICH, vexillifer, proprie ſignipotens, rectius *fændrich*, ob radicem *band*, quam vide in *Bannier*.

FÆRKEL, *færklein*, porcellus, diminutivum ab Anglosaxonico *færh*, porcus. Majusculum Germanis inf. dicitur *barch*, quod vide in *Bork*.

FALK, ſpecies accipitris Germanici, incredibilis avium terror, olim *falucho*. Gloſſ. Pez. herodion *falucho*. Nomen habet, non a falcatis unguibus, ſed vel a *fellan* proſternere, quod habent Gloſſæ antiquæ, vel a *valka* agitare, quod extat in Indice Verelii vocabulorum veterum Septemtrionis. Utrumque convenit Falconi. Aves enim minores ſolo conſpectu deprimit, ut manibus prehendi a venantibus poſſint: Grues vero altiſſime ſu-

 pervo-

Digitized by Google

pervolans fulminis inſtar adoritur, easque in aere diu agitatas, tandem in terram dat praecipites. Graecum *φάλκων*, & Gallicum *faulcon*, e Germanico fonte ſunt. Idem de Latina voce ſtatuendum. Nam ante Jul. Firmicum nemo dixit *falco*, ne Plinius quidem, qui Hiſtoriam animalium ſtylo ſuo ornavit. Latine nominaveris *immiſſulum*. Eſt enim inter homines & falcones quaedam aucupii ſocietas, qua fit, ut hi ab illis in ſublime mittantur, communis capturae cauſa.

FANE, vexillum, ſignum militare. Cambris *penŵn*. Utrumque depravatum ex *band* ſignum, quod vide in *Bannier*.

FARROCHS, per apocopen *farr*, taurus ad venerem gregariam reſervatus, & ab ineundo pecore ſic dictus. Nam *faran* priſcis non ſolum eſt ire, ſed etiam inire, coire, generare. Hinc generatio Longobardis teſte Paulo Diacono Lib. II. cap. 9. dicitur *fara*: & coitus cum muliere in Indice Verelii *kuenafar*. Itaque *farren* poſſunt eſſe boves initores. Hebraeis *phar* ſive *par* bovem juvencum notat, & *parah* bovem juvencam. Priorem vocem, quoties in Hebraeo occurrebat, Lutherus in Vernacula reddidit *farr*, Exod. XXIX, 1. Levit. VIII, 2. Num. XXVIII, 11. 19. 27. XXIX, 13. 17. & alibi. An dicemus vocem Germanicam ab Hebraea eſſe, cum tantus ſit utriusque in ſono & ſignificatu conſenſus? Viderint alii, quid hic ſtatuendum ſit. Nos donec mutuum probetur, noſtris utimur dicendi copiis. Interim *farr* pro tauro, antiquum eſt. Angloſaxones habent *fearras*, in plurali. Matth. XXII, 4. Occurrit & in Gloſſis vetuſtis apud R. Pezium, ubi Tauris exponitur *varrincn zenên*, etiamſi quid ſit id, quod poſt *varrin* ſequitur, non conſtet.

FAUM, ſpuma. Angloſax. *fæm*. Angl. *fome*. Inde *abgeſäumt* deſpumatus, figurate callidus, aſtutus, in arte decipiendi magiſter, quaſi a foecibus purgatus, & ſubtilior

Digitized by Google

ſubtilior factus. Cujus ſynonymum *fein*, vel *fin*, Gall. *fin*, *raffiné*, Ital. *fino*, Græc. φέναξ.

FAUST, pugnus. Angloſax. *fyſt*. Franc. & Alam. *vuſt*. Gloſſ. Pez. pugillus *vuſt*. Primum & antiquiſſimum naturalis defenſionis inſtrumentum, unde jus vindictæ privatæ, quod olim apud omnes Germanos cuivis læſo competebat, dicebatur *fauſt-recht*, ab armis naturalibus, quaſi jus primævum & cum ipſo pugno natum. Cum eodem ſubſt. alterum percutiendi inſtrumentum, quod Latinis *fuſtis* dicitur, nonnihil videtur habere commune.

FEIG, timidus. Vox nova, & majoribus noſtris, qui rem & nomen rei ignorabant, inaudita. Olim *vigo* erat bellator. Cum autem ex intermiſſione armorum torpor & ſegnities oriri ſoleat, ita ut diu non laceſſiti tandem marceſcant, quod de Cheruſcis tradit Tacitus cap. 36. hinc bonum vocis ſenſum in deteriorem lapſum cenſeo, ob mores eorum, qui, cum eſſent bellatores, bellum in pace dedidicerunt, ex fortibus facti molles & imbelles. Plura exempla ſignificationis in pejus mutatæ ſuppeditant *liſti* ars, hodie aſtutia, *thiw* ſervus, hodie fur, *thiwi* ancilla, hodie canis fœmina, *ſcalc* ſervus, hodie nequam: quæ partim a calliditate Artificum, partim ab ingenio rapaci & vafro ſervorum, partim ab impudicitia ancillarum, quæ, ut ex Lege Salica Tit. XXIX. patet, meretricias artes in domibus & familiis exercebant, nomina ſua acceperunt.

FELD, expeditio bellica. Senſus primus, & præ nimia vetuſtate vix cognoſcibilis. Oritur per medium derivationis ordinarium, quod eſt litera D. a Celtico *fela* belligerare, quod Cambri & Armorici, veteris Linguæ Britannicæ tenaciſſimi, in quam plurimis compoſitis cuſtodiunt, cujusmodi ſunt apud Boxhornium, *rhyſela*, *rhyſelu* bellum gerere, præliari, belligerare, *rhyſel* bellum, prælium, militia, *rhyſelwr* bellator,

præliator, miles, in quibus præfixum *rhy* videtur ſignificatum intendere, ut ſolet ζα apud Græcos. Nam in reliquis compoſitis nullum hujus præfixi veſtigium. Hinc iisdem Cambris Dux, Imperator dicitur *ffelaig*, & Armoricis bellum inter duos *du-fel*, teſte Pezronio in Celticis. Ab hoc igitur primitivo noſtri habent *feld* expeditio bellica, Latini vero *bellum*. Reliquæ etymologiæ, quæ pro Latina voce afferri ſolent, nequaquam defendi poſſunt. Sanctius & Voſſius conſentiunt, *bellum* a vetuſtiori *duellum* formatum eſſe, quoniam in bello ſemper ſint duæ partes. Verum cum in omni congreſſu & colloquio, quod amicitiæ aut confabulandi cauſa inſtituitur, etiam ſint duæ partes, ratio reddenda eſt, cur *duellum* certantibus proprium ſit, cum in ipſa voce nullum certaminis veſtigium adpareat. Accipe igitur veram ſententiam. *Duellum* ſic dictum eſt, quaſi *Duſellum*, certamen inter duos. Sanctius ridet Grammaticos, qui inter *bellum* & *duellum* differentiam conſtituunt: ipſe potius riſu dignus, quod ſimplex a compoſito deducat. *Feld* pro expeditione bellica noſtris non amplius uſitatum. Quamvis enim vulgo dicamus, *zu felde ziehen* proficiſci in bellum, *das feld behalten* vincere, *das feld verlieren* pugna dejici, videtur tamen in illis loquendi formulis magis locum certantium, quam ipſum certamen denotare. Nec mirum videri debet, hunc ſenſum nobis excidiſſe. Nam ſenſus primitivus vocabulorum in omnibus Linguis ſæpe deſinit, & tractu temporis mutatur in alium. Sic *campus*, quod ab initio bellum denotavit, paulatim invaluit pro agro, nec alio polluit ſignificatu ævo Tulliano. Vide plura in *Kampf*.

FELD, campus Martius, ubi caſtra metantur, ubi pugnatur, vincitur & occumbitur. Significatio a priori orta. Solent enim nomina actionum, quæ fiunt ab univerſo populo, adhærere locis. Sic Templa aliaque ædificia publica, ubi multitudo ſacrorum cauſa confluit, appel-

pellare ſolemus *Eccleſias*, id eſt, congregationes, ſeu convocationes. Sic Curiæ olim dictæ ſunt *Malli*, quaſi colloquia, a *mal* ſermo, ut poſtea Tribunalia *Parlamenta*, a *parler* loqui.

FELD, campus, ager. Significatus ex præcedente ortus, quod caſtrametationes & pugnæ plerumque ſuſciperentur in patentibus campis. In Lege Salica occurrit *friofald*, campus undique patens, qualis hodie dicitur *freifeld*, obſervante Cl. Eccardo. Occurrit & apud Longobardos teſte Paulo Diacono Lib. I. cap. XX. *Habitaverunt in campis patentibus, qui ſermone Barbarico FELD appellantur.* Habuerunt & Angloſaxones *fæld* eodem ſenſu. Galli omnes ſignificatus una voce *campagne* complectuntur. Cambris quoque *maes* ager eſt, ſed & prælium, pugna, quod in agro fit, teſte Boxhornio.

FELL, pellis. Gothis *fill*, Angloſax. *fell*. Cum animalia ſuis pellibus tanquam tegumentis ſint involuta, hinc admodum veroſimile eſt, hæc eorum naturalia paludamenta, a notione tegendi vel condendi nomen accepiſſe. Nam *filhan* Gothis eſt condere. Ulfilas Joh. XII, 36. *gafalh ſik*, abſcondit ſe. Similiter Islandis *fela* eſt occultare, *eg fel* occulto, teſte Verelio in Indice. Hebræis *bala* texit, operuit. Unde videtur ſequi, veteres Celtas vocem ſuam vel ab Hebræis, vel una cum Hebræis ex communi fonte, lingua inquam primitiva, accepiſſe. Quicquid ſit, oportet eam vocem valde antiquam eſſe, cum in omnibus Linguis a Celtica vel auctis vel progenitis, præcipue Græca & Latina, proſtent vocabula, in quibus ſub notione tegendi & occultandi dominatur. Hinc cortex arboris Græcis Heſychio interprete dicitur φελλός. Armoricis *pil*, quod arborem ambiat & occultet, ut pelles oſſa & carnes animalium. Latini habent *velum* & *velare* tegendi ſignificatu. Item *pellis* & *vellus*, eodem ſenſu. Stiernhielmius addit *pallium*, *pallam*, & *paluda-*

mentum: & *fallere* latendi ſignificatu, ex verſu Horatiano in Epiſt. ad Scævam: *Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit:* quod, quamvis non prorſus idem ſit, cognatum tamen videri poteſt.

FEUR, ignis, Angloſax. *fir*, Keroni *fuir*, Græcis πῦρ, Gallis *feu* per apocopen. Vox Phrygia, teſte Platone in Cratylo. Verba Platonis vide infra in *Waſſer*. Ab hac matre Phrygia prognatum eſt verbum in omnibus fere Dialectis a Celtica Lingua oriundis. Hinc urere, ardere Gothis dicitur *brinnan*. Angloſax. *byrnan*, Franc. & Alam. *prennan*, Latinis *burere*, Germ. *brennen*, per metatheſin. Et ab hoc verbo exiſtit immenſa vocabulorum ſeges in univerſo Germaniſmo, tam veteri quam novo. Hinc ardor Keroni *prunſt*. Hinc Gothis *brinno* febris ardens, & *allbrunſti* ſacrificia, quæ tota cremantur. Hinc Angloſaxonibus *brenning* uſtio, *bryne* incendium. Hinc Islandis *brandur* titio, *brune* æſtus, uſtio. Hinc Germanis *brunſt* & *brand*, incendium, *breune* uſtio, & alia pene innumera, quæ ſumma induſtria collegit Cl. Friſchius in ſpecimine ſecundo Lexici Germanici. Hebræi habent *baar* ardeo, & *ur* flamma, haud dubie ex lingua humani generis primæva, unde Phryges quoque ſuum hauſiſſe vocabulum, tanquam ex communi fonte, prorſus credibile eſt.

FILLEN, deglubere, *filler* excoriator. Gallis *peler* eodem ſenſu, forte traditoribus Francis. Cuncta a *fell* pellis, quod Gothis effertur *fill*.

FILZ, caſtigatio, quæ fit verbis. Francis & Alam. *fillo* ſunt verbera, *fillon* verberare, *fillones* verberones, cuncta a *fill*, *fell*, cutis deducta, quod verbera cutem feriant. Noſtri inde formarunt allegoricum *filzen* cædere verbis, & hinc porro *filz*, quoniam verba quibus reprehendimur & increpamur, ſimilia ſunt verberibus. Uſum Francorum collige ex his Otfridi verbis Lib. IV. cap. XIX.

Sprah

Sprah ih auur ala uuar,
Ziu filliſt thu mih thanne ſar?
Si verum omnino dixi,
Cur me protinus verberas?

FILZ, pannus craſſior. Vox antiqua, & Sagis Germanorum olim propria. Gloſſ. Pez. in ſago *in vilze.* Sgnificat proprie operimentum, eſtque ejusdem originis cum *fell* pellis, quod vide ſuo loco. Tranſiit a ſago ad omnes pannos denſius compactos. Hinc matta Keroni exponitur *filza.* Hinc porro verbum *filtrare* ortum, quod eſt transfundere per pannum denſiorem, ne ſordibus pateat tranſitus.

FILZIG, avarus, cui non facile elabitur pecunia. Ob ſimilitudinem cum panno *filz* ſic dictus, quæ in utroque eſt tenacitas. Quemadmodum enim pannus ex craſſioribus pilis contextus, non pulverem, non pluviam, & vix aerem transmittit: Ita avarus, facultatum ſuarum ſupra modum tenax, vix obulo tranſitum concedit. Vox nova, ſed antiquis parentibus orta.

FLEDER-MAUS, veſpertilio. Gloſſ. Pez. veſpertilio *fledarmus.* Quaſi mus volitans. Animal ex ſimilitudine duorum animalium, muris & volucris, in unum translata, a natura compoſitum. Alis enim, quamvis præter morem membranaceis, volucrem, cætera murem refert. Nam etiam dentatus eſt, ut mus. Et volucrum nulli dentes præter illam, & ſola volucrum animal parit, & lacte nutrit. Hinc ſcil. illi nomen a mure, qui variantibus Dialectis dicitur *mus* vel *maus,* & *fladderen* circumvolitare, quod volucrum proprium, quaſi dixeris *fladder-maus.* Priſcos eodem ſenſu hoc verbum uſurpaſſe, ex voce Theotiſca patet. Utrum Germanicum ſit neſcio. Videtur in prima ſignificatione idem denotare, quod Latinis *plaudere alis,* & hinc

fortaſſe

Digitized by Google

fortaſſe ortum ducere, auctoribus Francis & Alamannis, qui multa Latina civitate donarunt.

FOLTER, machina quæſtionis cauſa inventa. Romani machinam ſuam vocabant *equuleum*, quaſi parvum equum, quod quadrupes eſſet inſtar pulli, & dorſum haberet reo ferendo. Eandem machinam Latino-Barbari vocabant *puledrum*, a pullo vel equino vel aſinino, Itali *pulledro*, Hiſpani *pulliedro*, Galli *poultre*. Quos videntur imitati Germani in voce *folter*. Tradit hanc Etymologiam Clariſſ. Eccardus in LL. Salicis, & ſimul figuram veteris equulei ex Antonio Gallonio oculis ſubjicit.

FRAU, hodie Domina, olim vero Dominus. Ulfilas Matth. VI, 24. *nimanna mag twaim fraujam skalkinon*, nemo poteſt duobus dominis ſervire, ubi *frauja* ponitur pro Domino, ut ſæpe alias, & inprimis Matth. XXVII, 63. ubi idem nomen tribuitur Pilato. Ab hoc ſubſtantivo Gothis formatur verbum *fraujinon* dominari, quod virorum proprium eſt, non mulierum. Anglo-ſaxonibus *frea* idem denotat. Hinc Princeps dicitur *folc-frea*, quaſi Dominus populi, & Deus ipſe *lif-frea* Dominus vitæ. Plura exempla ſuppeditabit Franc. Junius in Gloſſario Gothico, Somnerus in Dictionario Anglosaxonico, & Hikeſius in Grammatica Anglo-Saxonica. Similiter Alamanni, non illi quidem Keroniani, ſed anteriores, Dominum dixerunt *froa*, quantum ex nomine proprio FROAMARII, Regis Alamannici apud Marcellinum Lib. XXIX. cap. 4. cognoſcere licet, quod ſane ſignificat *Dominum celebrem*, ut in *Onomaſtico* docebimus. Itaque *frau* proprie nomen maſculinum eſt, non fœmininum, communicari tamen fœminis poteſt, quatenus in ſubjectos dominantur, vel partem imperii domeſtici exercent. Uſum promiſcuum primi introduxerunt Franci, opinor Seculo IX. quibus *frou* Dominum & Dominam ſignificat. Ex omnibus vero Francis, qui ad

nos

Digitized by Google

nos usque venerunt, Scriptoribus, primus eſt Otfridus, qui hunc honoris titulum B. Virgini tribuit, Lib. I. cap. 5. his verbis:

Zi ediles frouuon
Selbun Sancta Mariun.

Quem poſtea imitati ſunt alii, & inprimis auctor Formulæ S. Confeſſionis a Clariſſ. Eccardo publicatæ, quæ incipit: *ih uuirdu Gode almahtdigan bigihdic unde Vrouun Sancta Mariun*, confiteor Deo omnipotenti & Dominæ Sanctæ Mariæ. Quod antea Germanis auribus erat inauditum. Verum etiamſi hunc titulum ex univerſo ſexu ſequiore prima tulerit B. Maria, nondum tamen eo Sæculo ita proprius dicatus emancipatusque erat fœminis, ut non etiam viri ſimul eodem ornarentur. Hinc Maria Magdalena Jeſum ſub ſpecie Hortulani latentem, ſic alloquitur apud eundem Otfridum Lib. V. cap. 7.

Fro min, quad ſi, dua mih uuis,
Oba thu inan namis.
Domine mi, dicebat illa, fac me certiorem,
Si tu illum ſuſtuleris.

Tandem hoc antiquiſſimum honoris vocabulum & tot ſæculorum uſu ſtabilitum eminentiæ herilis ſignaculum a viris tranſiit ad fœminas, totum integrumque, a quibus etiamnum tanquam res derelicta occupatur & cuſtoditur. Cujus rei nullam afferre poſſum cauſam, præter hanc ultimam, quod uſus ſic voluit, *quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi.* Habent autem Germani ſecum conſentientes etiam reliquos populos. Hinc Domina Batavis dicitur *vrouw*, Danis *frue*, Svecis *frw*, Islandis *fruu.* Kilianus Dominam ſic dictam cenſet, quaſi *vro-hou*, id eſt, lætitiam & jucunditatem conferentem, quod jocum & figmentum olet. Ejusdem cenſus eſt etymologia Stiernhielmii, nomen a Gothico *fraiw*, ſemen deducentis. Quod miror tanto viro potuiſſe placere.

cere. Pezronius vocem arceſſit a *frau*, quod Cambris & Armoricis pulchrum ſignificat, & fœminis juvenculis inprimis convenire videtur: deceptus, opinor, errore vulgari, qui hanc vocem a prima origine non viris, ſed fœminis adhæſiſſe imaginatur, alias nomen viro a pulchritudine haud impoſuiſſet. Nos exiſtimamus, quod *frau* natales ſuos referat ad particulam Gothicam *faur* ante, prius, quæ ſignificatio Gothis omnino propria eſt, dum reliquæ Dialecti declinant, ut demonſtravimus in Præfixo VOR. Significat autem Gothis non ſolum prioritatem temporis, ſed etiam poteſtatis, ut patet ex compoſitis *faurabathja* princeps, *fauragaggja* villicus. Quemadmodum igitur ab adverbiis Alamannicis *mer*, *furi*, *er*, plus, præ, prius, citra controverſiam prognata ſunt adjectiva Alamannica, *mera* major, *furira* potior, *heroro* prior, & poſtea ſubſtantiva *mar*, *furiſt*, *herro*, domini & principis ſignificatu: ita particula *faur* produxit ſubſtantivum *froa* vel *frau*, pro varietate Dialecti. Itaque *herr* & *frau* erunt duo ſynonyma prorſus idem ſignificantia (quamvis ex diverſis rivulis derivata), nempe eum, qui aliis ſive tempore & ordine, ſive auctoritate & jurisdictione prior & anterior eſt.

FRAUEN-ZIMMER, mulier honeſtioris conditionis. Proprie ſtructura fœminea, ſive mulier affabre facta. A *zimbron* ædificare, quod vide apud Keronem. Quando de pluribus dicitur, ſignificat Gynecæum, hoc eſt, vel congregationem mulierum, vel locum & conclave, ubi congregantur.

FRECH, nimis liber. Antiqui Saxones, quos Angloſaxones appellamus, liberum promiſcue dixerunt *feorh*, *freah*, & *freoh*. Verum cum liberi plerumque neſciant tenere modum, & a libertate facilis tranſitus pateat ad animoſitatem, ferociam & audaciam, hinc bonæ voci paulatim adhæſit deterior ſignificatus, ob mores eorum, qui male utebantur libertate. Differt a *frech*

vel

Digitized by Google

vel *frik* cupidus, avidus (unde nomen *Fricconi* libidinis Deo apud Septemtrionales quæſitum) quod hodie obſoleſcit.

FREIEN, nubere, procari. Proprie amare. Gothis *frijon*. Regnat hoc ſenſu in multis derivatis & compoſitis, tam recentibus quam antiquis. Hinc amicus Gothis dicitur *frijonds*, a participio verbi *frijon* amare, Angloſaxonibus *freond*, Keroni *friund*, Germ. *freind*. Hinc amori nomen apud Gothos *friathwa*, apud Angloſaxones *frige*, apud Francos *fria*. Quæ videri poſſunt extincta, reapſe tamen vigent in *freitag* dies veneris, dies amoris, *friede* pax, pacta amicitia, *freier* procus, vir amoris. Hinc porro pulcher & amabilis Batavis vocatur *fray*, Cambris & Armor. *ffraw*. Ad eandem radicem revocari poteſt cognomentum Veneris Phrygiæ, quam in Italiam ſecum avexit Æneas, quæ etiam *Mater Phrygia* dicitur. Unde non amplius dubito, ipſam radicem vetuſtiſſimam & ab ipſis Phrygibus oriundam eſſe.

FREITAG, dies Veneris. Otfrido *friatag* Lib. V. cap. 4. Tatiano *frigetag*, CCXI, 1. Angloſax. *frigedæg*. Sunt, qui cauſam vocis Angloſaxonicæ ad *Fricconem* referunt, quem quondam cum Thoro & Wodano Upſaliæ cultum memorat Adamus Bremenſis Hiſt. Eccl. cap. 233. Quod neſcio an ſit acceptandum, cum nullum hujus obſcœni Deaſtri veſtigium apud antiquos Saxones reperiatur. Aliter fortaſſe de *Friga*, Wodani uxore (quæ cum *Friccone*, maſculo idolo, confundi non debet) ſtatuendum. Conſtat enim Saxones cultui Wodani fuiſſe impenſe deditos, diemque Mercurii de nomine ejus appellaſſe *Wodnes-dæg*, quod Angli in *wodens-day* & Batavi in *woens-dag* hodienum cuſtodiunt. Unde fieri ſane potuit, ut quemadmodum dies Mercurii Marito, ita dies Veneris Uxori, honoris cauſa fuerit conſecratus. Fuiſſe autem *Frigam* Wodani Uxorem, ex Mythologia

Eddæ

Eddæ manifeſtum eſt. Verum cum inter vocem Saxonicam atque Otfridinam aliqua ſit differentia, & noſtra cum Otfridina magis quam cum Saxonica conveniat, hinc veroſimile eſt, Francos in denominando hoc die non ad Deos Saxonum (quos forte nec noverant, nec coluerant) ſed ad vocem Romanam reſpexiſſe, & diem Veneris appellaſſe *friatag*, quaſi diem amoris. Vide plura in *Freien*.

FRISCHLING, olim *friſcing*, ut ex Legibus Antiquis Germanorum, a Lindenbrogio collectis patet. Hodie ſignificat porcum ſylveſtrem, ſed recentem & juniorem, a *friſch* recens. Olim nomen erat commune omnibus anniculis ex quocunque genere animalium domeſticorum, quod pluribus veterum teſtimoniis probat Vir Clariſſ. Eccardus in Editione Legis Salicæ pag. 243. Verum uſus, cujus abſolutum eſt in vocabula imperium, hanc vocem animalibus domeſticis ſubduxit, & porcis ſylveſtribus propriam dicavit. Idem uſus inſeruit quoque literam L. ſive euphoniæ gratia, ſive ut notam parvuli, teneri & delicati. Nam hoc officio fungitur in diminutivo *færkel* porcellus, aliisque innumeris.

FUNKE, ſcintilla. Diminutivum a *fon* ignis, quod Gothis proprium. Vide Evangelium Gothicum Marc. IX, 44. & paſſim. Cuſtodiunt eandem vocem Islandi. Verel. in Ind. *fun*, *fon*, ignis. Ab hoc primitivo videntur Græci formaſſe *φαινεῖν* ſplendere, lucere, & *φέγγος* lux, ſplendor.

FÜRST, princeps. Quemadmodum rerum maximarum ſæpe tenera ſunt initia: ita etiam uſu venit in vocibus. Nam a particula Alamannica *furi* præ, oritur primo comparativus *furira* prior, potior. Otfridus Lib. 2. cap. 14.

Furira, uuan ih, thu ni biſt,
Thanne unſer fater Jacob iſt.

Prior

Digitized by Google

Prior aut potior, arbitror, non es,
Quam pater noſter Jacob.

Deinde ſuperlativus *furiſt* ſummus. Kero: ſumma *furiſtun*, ſummum *furiſta*, cum ſumma gravitate *mit dera furiſtun fruati*, cum ſumma feſtinatione *mit dera furiſtun ilungu*. Angloſaxones eodem ſenſu dicunt *firſt*, Islandi *firſtur*. Et hic ſuperlativus, quando abit in ſubſtantivum, naturaliter producit nomen Principis, qui cum ſit vir ſummus in Rep. merito noſtris vocatur *furiſt*, & contracte *fürſt*. Gothi utuntur compoſito *faurabathja*, quaſi dixeris *commandeur*, qui jus habet mandandi & præcipiendi, a ſimplici *biudan* præcipere. Cæterum *fürſt* pro principe, non nova, ſed ſpectatæ antiquitatis vox eſt. Hinc Gloſſæ Boxhornianæ Proceres interpretantur *furiſtun*. Quod haud dubie imperantium nomen fuit ab omni ævo in Germania. De generatione horum & ſimilium vocabulorum ex particulis, jam ſupra aliquid diximus in voce *Frau*.

G.

GANS, anſer. Memoriæ proditum eſt, hanc volucrem a candore nomen accepiſſe. Plinius Lib. X. Hiſt. natural. cap. 22. *CANDIDI anſeres in Germania, verum minores, GANZÆ vocantur.* Auctor vitæ S. Waldeberti, §. 5. *Anſeres agreſtes, quos a CANDORE & ſonitu vocis GANTAS vocamus.* Germanis hodie radix excidit: ſuperat tamen apud Cambros & Armoricos, quibus *can* albus & candidus dicitur, teſtibus Boxhornio & Pezronio. Ab hoc igitur primitivo anſer, tanquam avis candore notabilis, in omnibus Linguis a veteri Celtica vel ortis vel auctis, admirando vocum conſenſu denominationem accipit, ita ut Græcis dicatur χὴν absque ſibilo, Dorice χὰν, Germanis priſcis &

Digitized by Google

hodiernis *ganz*, *gant*, *gans*, Latinis per aphæreſin *anſer*, quaſi *canſer*, Armoricis *ganz*, & corrupte *goaz*, Islandis *gas*. Ab eodem primitivo repetere licet voces Latinas, *canus*, *canities*, *candeo*, *candor*, & *candidus*, cum erudito Pezronio.

GARD, vox antiquiſſima, & ex ipſa forte humani generis primigenia Lingua, quantum ex Hebræa, Punica, & Sarmatica conjicere licet, ad nos usque derivata: quæ ſolitarie poſita ſignificat ſepimentum, & ipſum locum ſeptum, ſive domus ſit, ſive hortus, ſive prædium ex utroque compoſitum, oriturque a verbo *gærda* cingere, in Monumentis Runicis ſuperſtite apud Olaum Wormium. pag. 113. Cui reſpondet Hebræum *gadar* ſepivit. Hinc Poenis *gadir*, Græcis *χόρτος* ſeptum. Hinc Gothis *gards* domus. Hinc Alamannis *carto*, Germanis *garten*, hortus. Hinc Islandis *gard* ſepes, domus, fundus ruſticus, teſte Verelio in Indice. Quemadmodum autem a domibus & familiis eſt initium Reip. ita a domibus communicari vox cœpit urbibus, ab urbibus Regnis, a Regnis univerſo Orbi.

GARD, in nominibus manſionum ſive locorum Reip. ſignificat urbem vel oppidum munitum, caſtrum, & burgum. Inde nomen *Carthagini* quæſitum apud Poenos, quaſi urbi munitæ. Ruſſi utuntur in compoſitis *gorod* vel *grod*, Sorabi & reliqui populi Slavonici *grad* vel *gard*. Hinc nomina ſua acceperunt *Novogrod* caſtrum novum, *Stargard*, ſive *Starygard* urbs antiqua, *Belgrad* ſive *Bilygrad* caſtrum album. Hinc Conſtantinopolis a Turcis Europæis, qui Lingua Slavonica utuntur, hodie dicitur *Czarigard*, quaſi urbs regia, teſte Frenzelio in Originibus Linguæ Sorabicæ, cujus induſtriæ hunc urbium quaternionem debemus. Majores noſtros eandem urbem aliquando *Mikelgard*, h. e. magnam civitatem appellaſſe, certus ſum me legiſſe, ſed ubinam incertus. Ita fere fieri ſolet, quoties ea, quæ literis mandanda

Digitized by Google

da fuerant, memoriæ concreduntur. Huc etiam ſpectat illuſtre nomen *Stutgard*, certiſſimum uſus Germanici ab omni ævo documentum.

GARD, nominibus Regum, populorum aut plagarum Mundi junctum, Regnum & regionem ſignificat. Uſus Gothorum patet ex Matth. VI, 13. ubi Regnum dicitur *thiudangard*, a *Thiudans* Rex. Uſum Danorum conſignavit Helmoldus in Chronico Slavorum Lib. I. cap. 1. his verbis: *Ruſſia autem vocatur a Danis OSTROGARD, eo quod in Oriente poſitus, omnibus abundet bonis. Hæc etiam CHUNIGARD dicitur, eo quod ibi ſedes Hunnorum primo fuerit.*

GARD, cum adjectivo *mittel* junctum, Regionem in univerſo mediam, hoc eſt, totum Terrarum Orbem ſignificat. Ulfilas Luc. II, 1. *urrann gagrefts gameljan allana midjungard*, prodiit edictum ut deſcriberetur univerſus orbis. Tatianus XVI, 1. *ſenu Gotes lamp, ſenu ther nimit ſunta mittiligartes*, ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Extat & Angloſaxonicum *middangeard* eodem ſenſu uſurpatum. Nimirum priſcis, & inprimis Gothis, Francis, Alamannis, & Saxonibus perſuaſum fuit, nos in centro univerſi habitare, & hinc orbi terrarum a ſitu medio nomen impoſuerunt. Placuit hæc fuſius proſequi, quia Cel. Palthenius, auctor alias in aperiendis veterum vocabulorum ſecretis oculatiſſimus & dexterrimus, in Animadverſionibus ſuis Tatianis p. 337. ſcribit, *quod, quem ſignificatum GART proprie quondam habuerit, nondum liqueat.*

GAR-KÜCHE, culina parata. Nam *garo* priſcis paratum ſignificat, a *garon* parare, præparare. Gloſſ. Lipſ. *garo* paratus. Tatianus CLXI, 3. *garo bin* paratus ſum.

GARTEN, hortus. Kero: horto *cartin*. Cambris *gardd* hortus. Proprie locus ſepimento cinctus, a

verbo *garda* cingere, prout vidimus ſupra in *Gard* primæ ſignificationis. Reliquæ Dialecti in hoc ſenſu exprimendo paulo prolixiores ſunt Germanis, Cambris, & Alamannis. Nam hortus Gothis dicitur *aurtigards*, quaſi *waurtigards*, munitio olerum & plantarum, a *waurtins* radices, per aphæreſin Literæ W. ab initio dictionis, omnibus Dialectis familiarem. Similiter Angloſaxonibus hortus dicitur *ortgeard*, quaſi *wortgeard* vel *wyrtgeard* eodem ſenſu, & per eandem ablationem. Cætera Saxonica, cujusmodi ſunt *orceard* & *orcyrd*, & vox Anglica *orchard*, cum ex antecedenti ſint vitiata, neminem debent morari. Vox Latina *hortus*, vel ejusdem originis eſt cum Germanica *gart*, elemento G. (ut ſæpe alias) in H. converſo, vel ex Græca ὄρχατος correpta. Utrum verius dicatur, alii viderint. Galli hortum vocant *jardin*, Picardi *gardien*, Itali *giardino*, Hiſpani *jardin*, Germanos, uti patet, in dicendo ſecuti.

GAST, hoſpes, conviva. Goth. *gaſt*, Angloſax. *geſt*, Keroni *kaſt*, Cambris *gweſtai*, *gweſtwr*. Sic dicitur, quaſi ſanctus & honoratus, cujus jura violare nefas, a verbo Gothico *gaaiſtan* honorare, revereri, quo utitur Ulfilas Marc. XII, 6. Nam hoſpitis apud noſtros quondam erat perſona ſacra & venerabilis, quam non licebat arcere tecto, & multo minus in contubernio occidere. Teſtis luculentus eſt Cæſar de Bello Gallico Lib. 6. cap. 23. *Hoſpites violare fas non putant, quos, quacunque de cauſa ad eos venerunt, ab injuria prohibent, SANCTOSque habent, iis omnium domus patent, victusque communicatur.* Confer Tacitum de Moribus Germanorum cap. 21. & Legem Salicam Tit. XLVI. Favet huic originationi, quod in Linguis Septemtrionalibus, plane ut in Cambrica, nomen hoſpitis biſyllabum aut triſyllabum eſt, efferturque Islandis *giæſtur*, teſte Verelio in Indice ſæpe laudato, & Olao Wormio in Literatura Runica, Svecis *giæſt*, Danis *gieſt*. Antiquiſſimi

Italiæ

Digitized by Google

Italiæ coloni hoſpitem vocabant *hoſtis*, opinor quaſi *goſtis*. Nam barbarum G. facile tranſit in H. apud Latinos. Hodie non amplius peregrini, ſed ipſi caupones & tabernarii, qui peregrinis excipiendis operam navant, vocabulo hoſtico inſigniuntur. Talis enim Italis dicitur *hoſte*, Anglis *hoſt*, Gallis *hôte*, etiamſi id illis nomen minime conveniat.

GATTER, cancelli, clatri. Quaſi *garter* ſepimentum, a *gærda* cingere, quod vide ſupra in *Gard* primæ ſignificationis. Hebræis *gadar* ſepivit, *gadher* ſepes, paries. Punica Lingua *gadir* ſepes, teſte Plinio Lib. 4. cap. 22. Cambris *cader* ſeptum. Convenit Latinum *crates*, quæ ob ſimilitudinem cum ſeptis & clatris ſic dicta videtur.

GAUL, equus ignobilior. Gallis *cheval*, equus nobilior. Utrumque vitiatum ex Latino *Caballus*.

GAUM, palatum, fauces. Anglofaxonibus & Islandis in Indice Verelii *goma*. Cum palatum ſit ſedes guſtus, hinc Græcis γεῦμα guſtus, & γεύω guſto. Olim habuit multa derivata apud Alamannos, quæ nunc periere, cujuſmodi ſunt *caumon* prandere, *cauma* prandium, *abantcauma* cœna, quæ vide apud Keronem. Reſtant tamen Hiſpanis *comer* prandere, & *comida* prandium, haud dubie a Svevis relicta.

GEBÆRDEN, geſtus. Angloſax. *gebære*, absque Litera D. Anglis *bearing*, Oritur a *gebaren*, quod viguit adhuc ante quingentos annos penes Scriptores Parænericos Goldaſti, ubi Winsbeckia Matrem ſic alloquitur Stroph. XII.

Und lere mich nach eren leben,
Gebaren und ſprechen eben.

Ubi *gebaren eben* eſt edere decentes corporis actiones, a ſimplici *baren* oſtendere. Ab hoc verbo geſtibus nomen quæſitum, ut dicantur *gebæren*, ſive *gebærden*, quaſi indices & oſtenſiones, quia revera nihil aliud ſunt, niſi corporis

poris motus, quibus animus & perſona cujusque demonſtratur & oſtenditur. Seneca Epiſt. 52. *Omnia rerum omnium, ſi obſerventur, indicia ſunt: & argumentum morum ex minimis quoque licet capere. Impudicum & inceſſus oſtendit, & manus mota, & unum interdum reſponſum, & relatus ad caput digitus, & flexus oculorum. Improbum riſus, inſanum vultus habitusque demonſtrat &c.* Olim deduxi a *bæren* ferre, imitatus Latinos, qui geſtus a gerendo, & Gallos, qui mores hominum *comportement* a portando dicunt: Verum cum hæc dicendi ratio habeat neſcio quid duri, illam cum altera & faciliore & elegantiore commutandam putavi.

GEDEIEN, creſcere, proficere. Anglofax. *getheon.* Gloſſ. Pez. proficeret *gidigi*, provectus *gidiganer*, proceſſit *gideh.* A ſimplici ejusdem ſignificatus, quod pro varietate Dialectorum Gothis effertur *thaijan*, Anglofax. *thean* vel *theon*, Francis & Alam. *dihan* vel *thigan.* Gloſſ. Pez. crevit *deh*, proficere *dihan.* Obſervari meretur, quod omnes antiqui interpretes in ſenſu Evangeliſtæ reddendo Luc. II, 52. *Et Jeſus proficiebat ſapientia*, utantur hoc ſimplici. Gothus habet, *jah Jaiſus thaih frodein.* Saxo, *and ſe hælend theah on wisdome.* Tatianus Franc. XII, 9. *inti ther heilant theg in ſpahidu.*

GEDEIEN, prodeſſe. Verelius in Indice: *tia* prodeſſe, *tioa* idem.

GEDIEGEN, participium verbi *gedeien*, creſcere. Hinc aurum nativum *gediegen gold*, cujusmodi eſt illud crudum & nondum excoctum in Metallifodinis.

GEFAR, periculum. A terrore. Nam *færan*, *afæran* Anglofaxonibus eſt terrere, terrefacere. Inde *gefar* periculum, quia terret. Similiter Græcis δεῖμα metum & periculum notat, quia metus non niſi ex periculo eſt. Aliam vocem huic ſenſui exprimendo propriam non habemus in Sermone hodierno. Olim periculum Fr. & Alam. dicebatur *zala*, quod vide apud Keronem.

GEHÆGE,

GEHÆGE, indagines ſylvarum, ligneta, paſcua, & quivis locus campeſtris aut ſylveſtris ſepibus cinctus. Nam ſepes Septemtrionalibus dicitur *hag*, teſte Verelio in Indice, Latino-Barbaris *haia* apud Spelmannum, Gallis *haye*. Ab *hagen* ſepire, quod hodie ſuperat apud Helvetios teſte Pictorio. *Ge* nota collectivi eſt.

GEHEIMNISS, myſterium, ſecretum, res non propalanda, nec evulganda. A verbo deperdito *heimen* abſcondere, celare, tegere, quod originem ſuam refert ad *Heim* monaſterium. Vox nova & priſcis inſveta, non quod veteres Germani nulla haberent myſteria (habebant enim *Literarum Secreta*, quamvis vulgo ignorata, teſte Tacito, cap. 19. ut Sacrorum Secreta nunc omittam) ſed quod aliis vocibus ad ſignificandum myſterium uterentur. Utebantur autem inprimis voce RUNA in omnibus Dialectis ante Chriſtiana tempora. Teſtes ſunt interpretes Evangeliorum antiqui, qui verba Domini Marc. IV, 11. *vobis datum eſt noſſe Myſterium regni Dei*, magno conſenſu per eandem vocem exponunt, quos vetera & recepta adhibuiſſe vocabula certiſſimum eſt. Gothus habet: *izwis atgiban iſt kunnan RUNA thiudangardjos Goths*. Saxo: *cow is geſcald to witanne Godes rices GERYNU*. Tatianus Francus LXXIV, 4. *iu iſt gigeban uuizanne GIRUNU himilo riches*. Originem vocis vide infra in *Raunen*. Græcis μυϛήϱιον dicitur a μύω os claudo, quia initiatis non licebat loqui de arcanis: Verum cum Celticum *mu* ſimplicius ſit, & eodem ſenſu polleat hodienum apud Armoricos, hinc vox Græca Myſterii Pezronio haud male ad Celticam originem refertur.

GEHÖREN, pertinere ad aliquem. An a Latino hærere? Hæret ſane nobis, connexumque haud dubie eſt, quod ad nos ſpectat. Sed non opus eſt hoc ſubterfugio. Nam *hyran* Angloſaxonibus non eſt tantum audire

Digitized by Google

dire, obedire, ſervire (quos ſenſus etiam noſtrum *hören* admittit) ſed etiam ſpectare ad aliquem ſub ratione proprii, teſte Somnero in Dictionario Anglo-Saxonico. Et hoc ſenſu utimur in compoſito noſtro *gehören*, quem conſvetudo ab auribus ad res inanimatas tranſtulit, tanquam & illæ auritæ eſſent. Qua in re nihil novum nec inſolens eſt, quod non etiam in aliis Linguis occurrat. Quemadmodum enim Germanis ſubjectio exprimitur per *auditum*: ita Latinis per *viſum*. Hinc Latini de omnibus rebus ad ſe pertinentibus, etiam non oculatis, dicere ſolent, quod ad ſe ſpectent, etiamſi non magis ſpectare poſſint, quam audire.

GEIER, vultur, rectius *geir*. Gloſſ. Pez. vulturem, *kir*. Verel. in Indice: *geir* vultur, *geir-fugel* idem. Significat proprie volucrem avidam, cupidam, & appetentem. Nam cupere Alamannis dicitur *keron*, Francis *geron*: & cupidus Alam. *kero*, Franc. *gero*, Lex Run. *ger*. Hinc ſcilicet nomen vulturi *geir*, ab avida natura, uti patet. Cupidus autem eſt, non prædæ, ut accipitres, ſed cadaveris, & inprimis humani. Ennius:

Vulturis in ſylvis miſerum mandebat homonem.

Iuvenalis Sat. XIII.

Vultur jumento, & canibus, crucibusque relictis
Ad fœtus properat, partemque cadaveris adfert.
Hic eſt ergo cibus magni quoque vulturis.

Creditur ova ſua non omnia excludere, ſed unum vel alterum tantum, reliquis e nido ejectis, ne aviditati naturali in tanta ſobolis multitudine aliquando cadaver deficiat. Ipſe interim præda alterius volucris, ex accipitrum genere, Æſalonis puta, quem Germani *Geirfalk*, Græci inferiores ad modulum Germanicæ vocis ἱεροφάλκων vocant, quod vulturem appetat. Galli quoque vocem noſtram imitantur in *Gerfau*, ſed vitioſe, ut plerumque.

GEIS,

Digitized by Google

GEIS, capra, olentis mariti uxor. Nomen a Phrygibus profectum, qui capram appellabant *gos* in compoſito *attagos* pater caprarum, & ab omnibus Veterum Dialectis cuſtoditum, ut Gloſſatores pridem annotarunt. Gothis enim dicitur *gait*, Angloſax. *gat*, *gæt*, Alam. & Francis *geiz*. Recentiora idiomata, utpote notiora, lubens prætereo. Ratio appellandi deſumpta videtur a concupiſcendo, quod Anglo- Saxonibus dicitur *gytſian*. Appetit enim non appetenda, frondes inquam & virgulta, nec hoc tantum, ſed & palmites vitium, & ſurculos atque cortices arborum. Ejusdem noxæ reus, ſalax capræ maritus, & ideo Cambris *gitten* dictus. Hinc caper Baccho quondam erat in ſacrificiis, ut maleficum vineis animal, capra vero Palladi, propter oleam & palmam. Uterque in pœnam gulæ. Ob eandem cauſam capras alere, in plerisque Germaniæ locis interdictum. Ad harmoniam Linguarum referri debet, quod Græcis idem animal vocatur αἴξ, αἰγὶς, Lat. *ægis*, Sorab. *koza*, Hebræis *es*, & hedus *gedi*. Cuncta, ut videtur, ex Lingua primitiva, & campis Sinear, tanquam ex communi fonte oriunda.

GEIST, ſpiritus, mens, anima, inprimis humana. Angloſax. *gaſt*, Keroni *keiſt*. Ab inſtinctu naturali, quo ſpiritus omnis ad conſequendum bonum & fugiendum malum a natura acerrime incitatur. Eſt enim *geiſa* Septemtrionalibus concitari, & *geiſtr* concitatus. Verelius in Indice: *geyſa* concitari, *geyſt till ſiandskap* ad hoſtilia concitatum, *geiſtr* concitatus. *Geiſten* pro concitare, impellere, movere, ſæpe occurrit in Scriptis Theophraſti Paracelſi. Somnerus Spiritum ſic dictum exiſtimat, quaſi *gaſt*, id eſt, hoſpitem in corpore. Prior etymologia magis naturalis, hæc magis Theologica eſt.

GEIZ, avaritia. Scriptoribus Paræneticis Goldaſti *gitikeit*. Vox Saxonica. Nam a reliquis Dialectis aliæ uſurpantur voces. Gothus avaritiam vocat *faihu-*

frikei, quaſi pecuniæ & opum cupiditatem. Keroni avaritia dicitur *neſkirii*, quod altera ſui parte obſcurum. Islandis *fe-girni*, a *fe* pecunia, tam viva quam mortua, & *girni* cupiditas. Angloſaxonibus vero, *gytſian* eſt concupiſcere, *gytſere* avarus, *gytſung* avaritia. Haud dubie ab adverbio *gyt*, quod illis ſignificat *adhuc*. Quemadmodum enim Sanguiſuga Salomonis Prov. XXX, 15. ſine fine vociferatur *gyf*, *gyf*: ita avarus ſemper hiat, & plura poſcit veluti clamando *gyt*, *gyt*. Debemus hanc etymologiam & ſimilitudinem annexam Viro in Literatura Antiquo-Germanica facile Principi & reliquorum Ductori Franciſco Junio F. F. in Gloſſ. Goth. voce *Bigitan*. Hæc tam pulchre quam ſapienter dicta & cogitata confirmare licet aliorum quoque ſive nominum ſive verborum exemplis, a particulis deſcendentium, cujus generis multa ſunt in hoc Gloſſ. & paſſim in aliis Dialectis. Sic a conjunctione copulativa *auk* etiam, derivatur Gothis *aukan*, augere, etiam atque etiam addere, conſentientibus omnibus veterum Dialectis, ut in Kerone oſtendimus. Sic a particula dubitandi *ef* ſi, naſcitur apud Septemtrionales *efaſt* dubitare, & *efi* dubitatio, teſte Verelio in Indice Scando-Scythico.

GEIZ, quælibet nimia & inſatiabilis cupiditas. Gloſſ. Pez. voracitas *gitigi*. Gloſſ. Boxhorn. *kitiki* aviditas. Senſus ab avaritia ad omnes animi cupiditates, quatenus modum excedunt, traductus. Quemadmodum enim avarus implendo non ſatiatur: Ita ambitio, luxuria, & reliquæ hominum cupiditates plerumque ſunt immenſæ & avaritiæ ſimiles, & fortuna ipſa non ſatiantur, ſed magis irritantur, ad plus ſemper concupiſcendum. Quam facilis autem ſit a cupiditate ad nimiam cupiditatem aditus, experientia teſtatur. Quotusquisque enim eſt, cui modum ſatietas fecerit? Qui non vitam in aliqua ulterius procedendi cogitatione finierit? Nec mirum eſt (utor verbis Senecæ). Quicquid enim cupiditati contingit,

penitus

Digitized by Google

penitus hauritur & conditur. Nec intereſt, quantum in id, quod inexplebile eſt, congeras. Hinc ambitio nobis dicitur *ehr-geiz*, a nimia gloriæ cupiditate: & avaritia *gelt-geiz*, a nimio pecuniæ ſtudio. Utrumque a libidine habendi plus quam opus vel neceſſe eſt.

GELT, vices. A *keltan* reddere, quod vide apud Keronem. Gothi utuntur compoſitis *fragildan* & *usgildan*, eodem ſenſu. Antiquiſſima vocis acceptio, & a primævo Germaniæ ſtatu ad nos usque profecta. De hoc ſtatu videndus eſt Tacitus in Germania cap. 5. Poſtquam enim dixerat, Germanos præter fruges & armenta nullas habere opes, non aurum, non argentum, exceptis Rheno proximis, qui ob uſum commerciorum hæc metalla in pretio habere ſolent, mox ſubjungit: *interiores ſimplicius & antiquius permutatione mercium uti.* Permutatio autem tunc dicitur, quando res rebus, merces mercibus mutantur, eſtque proprie commercium rerum per *vices*, cujusmodi commercium hodie vocatur *tauſch, umſchlag, verkehrung*. Et hæ vices antiquitus vocabantur *gelt*, non a *gelten* valere, quod novum, ſed a *gelten* (alias *widergeben*) reddere, quod antiquum eſt, & ſuperat eo ſenſu paſſim in verſione Pſalmorum Lobwaſſeriana, nec non in compoſito *vergelten*, par pari reddere. Itaque *gelt* in ſenſu primævo proprie eſt quælibet res, quæ cum alia commutatur. Iisdem temporibus ſolvere debitum & præſtare ſolutionem dicebatur *geldan*, *gildan*, quod ſolutiones non pecunia, ſed compenſatione fierent, rem quamcumque aliam pro alia reddendo.

GELT, compenſatio judicialis absque pecunia. Tacitus *ſatisfactionem* vocat, moremque deſcribit his verbis cap. 21. *Luitur homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque ſatisfactionem univerſa domus.* Vocabulum habent Leges antiquæ Germanorum, quæ eiusmodi ſatisfactionem *weregildum*, hoc eſt, com-

compenſationem hominis vocant. Differt a *widrigildo*, quod eſt compenſatio damni.

GELT, pecunia, aurum & argentum ſignatum. Senſus ex prioribus ortus. Poſtquam enim pecuniæ uſus Germanis probari cœpit, hæſit huic metallo antiquum vocabulum *gelt*, quod omnium rerum vicem redderet. Et hunc verum vocis ſenſum eſſe, vidit ante omnes Palthenius in notis ad Tatianum voce *Giltis*. Quamvis autem *gelt* pro pecunia, vox valde antiqua ſit, raro tamen aut nunquam occurrit in veterum Monumentis, ne quidem apud ſacros interpretes, qui alias ſolent cum vulgo loqui. Nam argentum ſignatum, de quo ſermo eſt Luc. IX, 3. Gothus vocat *skatt*, Saxo *feoh*, Tatianus Francus *ſcaz*, Harm. Evang. XLIV, 6.

GELT, compenſatio damni pecuniaria. Compoſita extant in Lege Salica Tit. II. ubi per omnes fere articulos (quamvis in quibusdam vitioſe) compenſatio rei furtivæ per ſolidos vocatur *chalt*, obſervante Clariſſ. Eccardo in notis, quas vide.

GEMAL, *gemalin*, conjux, ſponſa. Originem refert ad *mælen* paciſci, quod vide in *Mal* penultimæ ſignificationis, & ſic dicitur, quaſi convivio fœderali nobis juncta vel pacta. Vox Germanis propria, quæ hodie ad illuſtres tantum fœminas ſpectat, non ad plebem, ut olim. Reliquæ Dialecti aliis utuntur vocibus, & aliunde oriundis. Nam Anglosaxonibus conjux, ſponſa dicitur *gemæcca*, Matth. I, 24. Tatiano Franco *gimahha*, cap. V, 10. quaſi conjuncta, a *machon*, *kamachon* jungere, ſociare, quod cuſtodiunt Alamanni apud Keronem in Gloſſario. Ab hoc ſimplici ortum eſt frequentativum *mahalon*, quod priſcis nubere ſignificat. Otfridus Lib. I. cap. VIII. de Joſepho:

Ther man, the ih noh ni ſageta,
Ther thaz uuib mahalta.

Vir,

Digitized by Google

Vir, quem nondum nominavi,
Qui mulieri nupſerat.

Similiter de B. Virgine ſcribit Tatianus cap. V, 7. quod fuerit *gimahalit*, id eſt, deſponſata Joſepho. Hinc ſponſa, nupta, Willeramo in Cantico Canticor. ſæpe dicitur *mahela*, *gemahela*, & inprimis pag. 34. 50. 83. Si quis vocem noſtram ab hac poſteriore deducere malit, quod per ſyncopen fieri poteſt, non repugnabo.

GEMÜT, animus, bonus vel malus. Priſci magis delectantur ſimplici. Hinc animus Angloſaxonibus dicitur *mod*, *mode*, Keroni *muat*. Videtur ab initio fuiſſe nomen ipſius animæ ſive mentis, derivatumque a Gothico *miton*, cogitare, unde cogitationes Gothis vocantur *mitoneis*. Hæc enim appellatio perfecte convenit animæ, cujus a primordio dos eſt conſcientia & cogitatio, vis plane divina, qua ſe in omnia ſpargit, nota & ignota, divina & humana, cœleſtia & terrena. Et cum animus nihil aliud ſit, quam ipſa anima bene vel male affecta, hinc videtur vox ad animum quoque ſignificandum traducta. Græcis conſilium, intelligentia, & prudentia dicitur *μῆτις*, forte ab eadem radice, & animus *θυμὸς*, forte per metatheſin. Gothis *mod* plane aliud ſignificat, nempe iracundiam, & *modags* iratum. Quod non debet nos turbare. Nam vocabulum Gothicum eſt a Græco *θυμὸς* per converſionem, quo Græci ſæpe utuntur pro iracundia vel animo iracundo. Gothos autem, cum adhuc in Dacia verſarentur, multa a Græcis adoptaſſe vocabula, in Diſſertatione *de Lingua Codicis argentei* oſtendimus.

GEMÜT, animatus. Hodie ni fallor, obſoleſcit. Viguit tamen adhuc ante D. annos apud Scriptores Paræneticos Goldaſti. Winsbeck in Paræneſi ad Filium Stropha I. *Ob dich ein frömbder ziehen ſol, du weiſt niht wie er iſt gemüt.* Idem Stropha 37. *Bis gegen*

gen den vienden hoh gemüt, eſto excelſi animi erga inimicos.

GERADE, ſupellex uxoria. Vox Miſnica, ſed antiqua. Priſci tamen magis delectantur ſimplici *rade*. Hinc ornamenta muliebria, ut ſunt monilia, inaures, veſtes, armillæ, in Legibus Angliorum & Warinorum Tit. VIII. art. 3. vocantur *rhedo*, & in Indice Verelii res uxoria exponitur *rad*. Origo commode referri poteſt ad *radan* conſtituere, unde Gothis conſtitutum dicitur *garaid*, Luc. III, 13. & lex Angloſaxonibus *gerad*, & conjugium *rad* in Indice Verelii, plane ut *ehe*, quod olim legis erat, nunc matrimonii vocabulum eſt. Cum ergo Leges Saxonicæ impenſe faverent ſexui ſequiori, hinc totus mundus muliebris videtur dictus *gerade*, quaſi conſtitutum, vel res lege cauta.

GERÆTE, ſuppellex. Angloſaxonibus *gereda*. Quaſi apparatus domeſticus. Nam parare, præparare Angloſaxonibus dicitur *geredian*, Keroni *karatan*, Germanis *reiten*, compoſite *bereiten*. Quibus conſentiunt quædam Vereliana in Indice, cujusmodi ſunt *radaſt* parari, *radan* paratus, *reidi* inſtrumentum, apparatus.

GERUHEN, curare, item velle cum aliqua cura. Gloſſ. Lipſ. *ne rukiat*, *ne ruckit*, nolite. Winsbeck ad Filium Stropha 6. *ni ruche uuie die Pfaffen leben, du ſolt doch dienen Gott an in*, noli curare vitam Clericorum, tuum eſt in illis revereri Deum. Ab hoc verbo derivantur apud Alamannos *ruahcha* cura, *ruahlicho* curioſe, *ruahchalos* negligens, *ruahhaloſon* negligere, quæ vide apud Keronem. Ex quibus *ruchlos* hodieque ab uſu agnoſcitur. Origo verbi eſt a Latino *curare*, per aliquam metatheſin. Gothi apertius imitantur Latinos, & citra ullam transpoſitionem. Illis enim *kar* cura, *karan* curare, *unkarjans* ſecuri. Imo etiam Franci & Alamanni interdum utuntur *curan* pro *ruahhan*. Kero: nolite, *ni churit*. Tatianus XXXVIII, 8. *ni curet ſuorg folle*

ſolle uueſan zi morgane, nolite ſolliciti eſſe in craſtinum. Cambris *cur* cura. Cuncta a Latino *curare*,& hoc a *cor*, obſervante Junio, quod homines ea maxime curent, quæ ipſis cordi ſunt. Hodie *geruhen* eſt vox ſupplicantium propria.

GESCHMEIDE, opera fabrilia. Willeramo Abbati Merspurgenſi, Sæculi XI. Scriptori, in Cant.Canticorum *geſmithe*, pag. 51. *wanda thaz guold diurer is thanne eynigh ander geſmithe.* Quæ clariora ſunt, quam ut interpretatione indigeant. Idem monilia, aliaque artis fabrilis opera appellat *ſmithesciretbe*, h. e. apparatum fabrilem, pag. 15. Neſcio quo ſenſu Hebræi armillas aureas dicant *zemyde*. Saltim idem utrinque ſonus. Noſtra autem ſunt a verbo antiquo & hodienum uſitato *ſmiden* cudere, fabricare, quod cum ſuis compoſitis & derivatis Sæculum Willerami longiſſime excedit. Quamvis enim Majoribus noſtris vaſa aurea & argentea in eadem pene vilitate eſſent, quam quæ humo finguntur, teſte Tacito cap. 5. Poſtera tamen ætas alios tulit homines, qui aurum & cælati operis artifices in pretio habebant. Hinc aurifici jam cavetur in Legibus Salicis Tit. XI, 6. & hunc Gloſſæ Pezianæ vocant *goldſmid*, nomine hodieque perennante.

GESELL, ſocius, ſive manſionis & itineris, ſive laborum & ſtudiorum, ſive muneris & negotii, & cujuscunque alterius rei, qua pace, qua bello gerendæ, ſaltim ex uſu veterum. Gloſſæ Pez. collega *giſello*. Epinic. R. Ludov. ex editione & verſione Cel. Schilteri: *troſtet hiu geſellion*, eſtote bono animo commilitones. Otfridus Lib. V. cap. IX. *giſellon zuene guate*, comites duo boni. Ibid. cap. XIII. *mit ſehs giſellon ſinen*, cum ſex ſociis ſuis. Hodie plerumque utimur compoſitis, cujusmodi ſunt, *ſtuben-geſell*, *ſpies-geſell*, *handwerks-geſell*, & ſimilibus, quorum ſignificationes in vulgus notæ ſunt. Eſt enim neſcio quid in hac voce, quod noſtra ætate ſoli-

tudi-

Digitized by Google

tudinem odit, & conjungi cum aliis vocibus deſiderat, quaſi & ipſa ſocietatis amans eſſet. Quemadmodum autem a domibus initium eſt omnis ſocietatis civilis, ita etiam nomenclaturæ. Nam a *ſaljan* manere, divertere, hoſpitari, quod Gothicum eſt, & ab Ulfila cuſtoditum, oriuntur duæ propagines, *ſal* domus, manſio, & *geſell*, qui eadem domo, caſa aut contubernio nobiſcum utitur. Poſtquam autem *Sal* a domibus privatis communicari cœpit publicis, collegæ quoque, qui in Curiis & Palatiis conventus publicos agebant, dicti ſunt *geſellen*. Tandem ad militantes quoque vox extenſa eſt, quod caſtra haberent ſpeciem Reip. ſub uno belli duce, quod prætoria eſſent inſtar curiæ, tentoria inſtar domuum, milites inſtar civium, & bellum atque periculum communis omnium labor. Alii vocem Germanicam deducunt a *ſelb*, per apocopen literæ *b*. quaſi dicas alter ego, *geſelb*. Quod, opinor, iis ſolis placere poteſt, qui antiquitate vel ſpreta vel ignorata arbitrarias nugas ſectantur. Gothi ſocium vocant *gamana*, a Latino *communis*, quaſi communicipem, quod omnis ſocietas alicujus rei communionem involvat: item *gadaila*, quaſi participem, ob eandem cauſam: Angloſaxones *geſera*, quaſi comitem: Franci & Alamanni etiam *ginozza*, quaſi conſortem, ab utilitate communi, quæ in omni ſocietate primum & præcipium eſt.

GESIND, famulitium. Nomen collectivum, homines familiaribus obſequiis obnoxios complectens. Latino-Barbaris *Gaſindium*. Significat proprie comitatum, nomenque habet ab itinere, quod Angloſaxonibus dicitur *ſith*, Keroni *ſind*, Gothis *ſintha* in numeralibus, ut *reyſen* Batavis. Ab hoc primitivo ſocius & comes itineris Angloſaxonibus dicitur *geſith*, & comitatus Gothis *gaſinthjai*, Francis & Alamannis *giſind*. Gloſſæ Pez. comitatu *giſinde*. Videri poteſt hæc vox, ſi recte conſideretur, in migratione gentium nata, & poſtea univerſo famulitio,

famulitio, quatenus ex ſervis & ancillis componitur, qui familiarum quaſi comites ſunt, & comitatum Domeſticum conſtituunt, communicata. Manifeſta ergo eſt hallucinatio Helvigii, qui *geſind* ſic dictum putat, quaſi *συνόντες*, ſimul in eadem domo verſantes, a *συνεῖναι* ſimul eſſe, etiamſi res ipſa perſonis conveniat. Cluverius eandem vocem ducit a Gallico *gueſſin* famulus, quod eſt a Cambrico *gweſin* ſervulus, & hoc a *gwas* ſervus: Sed præter neceſſitatem, quamvis adplaudente Stiernhielmio. Nam origines, quæ domi haberi poſſunt, non debent aliunde peti.

GEWÆR, cautio, præcautio, quæ præſtatur ſecuritatis gratia, vel pignore, vel ſponſione, vel alio modo. Gloſſ. Pez. cautela *geuueri*. Angloſaxones habent *wære* eodem ſenſu. Germani utuntur ſimplici *war* duobus modis, ſubſtantive pro cautione, adjective pro cauto, ſed in compoſitis tantum, cujusmodi ſunt *warlos* cautionis expers, *verwarloſen* negligere, cautione debita non adhibita, *warſam*, *gewarſam* cautus, vel cauto ſimilis, *ungewarſam* incautus. Cuncta ab obſoleto *waren*, cuſtodire caute & curioſe, ut ſecuritas inde ſequatur. Id quod Græcis dicitur *ὠρεῖν*, ob defectum literæ W. Belgis & Germanis compoſite *bewaren*. A participio *warend* Galli habent *guarant* ſponſor, fidejuſſor, & hinc porro *guarantir* ſpondere.

GEWÆREN, obſecundare, *gewæret* voti compos factus, *gewierig* facilis ad gratificandum. Veteres agnoſcunt verbum, tam ſimplex quam compoſitum. Gloſſ. Pez. facere *giuueran*, fecit *giuuerata*. Willeramus in Cant. Canticor. pag. 146. *wer weret mich thes*, quod Belgice exponitur, *uuie geeft mi dat*. Cum *gewæren* proprie ſit actus benignitatis & propenſæ voluntatis erga aliquem, hinc non aliunde melius & rectius deducitur, quam a Cambrico *gwar*, quod in Vocabulario Boxhornii Antiquo-Britannico exponitur clemens, manſve-

ſvetus, mitis. Viguit hoc adjectivum eodem ſenſu apud veteres Alamannos. Hinc mites Keroni dicuntur *mitiuuare*, quaſi *muatuuare*, ab animo facili & benigno.

GEWÆREN, promiſſa præſtare. Gloſſ. Pez. jure facere *giuueran.* Cambris *cywiro* facere promiſſa, a *wir*, *cywir* verus, fidelis, rectus. Similiter *gewæren* eſt a *war* verus, quod etiamſi a Gothico & Saxonico idiomate alienum ſit, Francis tamen & Alamannis, & hodie Germanis probatur. Ipſum compoſitum noſtris temporibus aliquanto aut penitus inſvetum.

GEWIEGET, agitatus. Gothis *wagid*, Angloſ. *aweged.* Utrumque Matth. XI, 7. Mirus eſt in hoc verbo Linguarum conſenſus. Idem enim Gothis *wagjan*, Angloſaxonibus *wagian*, Germanis hodie *wiegen* (unde cunis nomen *wiege*, ab agitatione inventum,) Græcis *ἄγειν*, Latinis *agere*, & frequentative *agitare*, utrinque ob defectum literæ W. Refertur autem a motu phyſico ad vexationem & tribulationem, ab auctoribus Francis. Hinc vexatus in Gloſſis Lipſianis dicitur *geuueigit*, & vexati ab interprete Tatiani *giuueigite*, XLIV. 1. a ſimplici *weigon*, quod in iisdem Gloſſis occurrit vexandi ſignificatu. Quemadmodum autem dura duris adhibita motu non tam atteruntur, quam acuuntur: ita vexationes ſæpe hanc præbent utilitatem, ut hominem, malis exercitum, efficiant rerum humanarum magis intelligentem, & animo ad caſus atque pericula magis obfirmatum, dum cæteri fere effœminantur. Hinc Germani virum longo rerum uſu atque experientia probatum, ſolent appellare *einen gewiegten mann*, ab agitatione & vexatione, experientiæ Magiſtra.

GILDE, tributum. Gothis *gild* tributum, *gild giban* tributum dare, *kaiſaragild* tributum Imperatori debidum. Superat apud Svevos, quibus annua tributa ruſticorum vocantur *gilden*, quaſi præſtationes, utique ab Angloſaxonico *gildan* ſolvere, præſtare.

GILDE,

Digitized by Google

GILDE, tributum voluntarium, alias *collecta*. Ex eodem fonte. Quod propter ſequentia obſervandum, quamvis a conſvetudine dicendi abductum ſit.

GILDE, compotatio, & quivis conventus convivalis, tam ſacrorum cauſa, quam genio indulgendi inſtitutus, teſte Verelio in Indice. Opinor a collectis convivantium. Inde Cambris *gildio* compotationum expenſas ſolvere.

GILDE, ſocietas opificum. A collectis vel compotationibus ſic dicta.

GILDE, quævis ſodalitas, vel confraternitas. Latino-Barbaris *Geldonia*, probante Clariſſ. Eccardo in Catecheſi Theotiſca pag. 176. Ibidem occurrit compoſitum *Diobol-gelde*, ſocietas diabolica, in Abrenuntiatione Franco-Saxonica pag. 78. Hic ſenſus obſoleſcit.

GITTER. vide *Gatter*.

GLAUBEN, credere, fidem adhibere. Gothis *galaubjan*, Angloſax. *geleafan*, *gelyfan*, Keroni *kelauban*. An a *lauben*, *erlauben* permittere, ut Junio viſum? Dubito. Nam in negotio religionis *credere* non eſt permittere, ſed potius promittere fidem. Hoc me movet, ut exiſtimem, *glauben* nihil aliud eſſe quam *geloben* promittere, ſpondere, dextram fidemque dare, antiquis moribus. A ſimplici *loſa* ſtipulari, quod ſuperat in Indice Verelii, & apud Tatianum in compoſito *brutloufti* ſponſalia, XLV, 1. qua voce veteres utebantur pro ipſis nuptiis, quoniam inter ſponſalia & nuptias naturaliter nihil intereſt, obſervante Palthenio in voce. Sveci ab eodem ſimplici habent *löfte* ſponſio, *löftesmann* ſponſor, *trolofning* ſponſalia. Ipſum vero ſimplex videtur oriundum a manu cava ſtipulantium, quæ Ulfilæ dicitur *loſa*, Verelio in Indice *loſi*, Cambr. *llaw*, Latinis *vola* per methatheſin.

GLÜK, fortuna, ſed proſpera tantum. Nam a placendo nomen habet, quod Gothis dicitur *leikan*, *galeikan*, Angloſax. *licean*, *gelican*, Francis & Alamannis *lichan*, *gilichan*, Verelio in Indice *lika*, Anglis hodie *to like*, ad imitationem veterum. Quibus conveniunt Gloſſæ Lipſ. *licont* placent, *licon ſal* placebit, *gelicoda* complacuerit. Uſum antiquorum oſtendunt clariſſimi interpretes, qui vocem de cœlo factam, Luc. III, 22. *tu es filius meus dilectus, in te complacuit mihi*, magno conſenſu eodem verbo exponunt. Gothus: *thu is ſuns meins ſa liuba, in thuzei wailagaleikida.* Saxo: *thu eart min gecorena ſunu, on the me gelicode*, Tatianus Francus Harm. Evang. XIV, 5. *thu biſt min liobo ſun, in thir gelicheta mir.* Quæ pluribus erant proſequenda, quia verbum cum univerſa pene familia nobis periit, excepto adjecto *gleich* ſimilis, quod Gothis effertur *leiks*, *galeiks*, Angloſax. *lic*, *gelic*, Francis & Alam. *lih*, *kalih*, *gilih*, Anglis *like*. Ex his Angloſaxonicum *lic* ſimpliciſſimum eſt, & haberi debet pro primitivo, unde ipſum placendi verbum optime & philoſophice deductum eſt. Nam ingenium humanum a natura ita comparatum eſt, ut ſimilia & congrua amorem atque beneplacitum, diſſimilia, diverſa, & diſcrepantia, naturaliter odium & diſplicentiam ingenerent. Fortuna igitur ſtylo Germanico eſt bonus eventus, & ſors grata, & quicquid accepti nobis contingit. Quod etiam cogitaſſe videntur ii, qui Fortunam nudam depinxerunt, quia nuda maxime placent. Latini Fortunam ſic dicunt a forte, minore fortaſſe probitate, quam Germani a placendo. Plus enim pendet fortuna a te ipſo atque animo tuo, quam a caſibus fortuitis. Si tibi placent res tuæ, felix & fortunatus es, ſi diſplicent, infelix & miſer. Quid enim refert, qualis ſtatus tuus ſit, ſi tibi videtur malus? Errant igitur haud dubie, qui vocem Germanicam a γλυκύ dulce, vel a λάχος ſors, derivant. Reſtat, ut antiquitatem vocis oſten-

oſtendam. Sed vereor, ne hic ſuccumbam. Ideoque relictis veterum monumentis, in quibus vocem illam fruſtra requiro, ad Scripturam vocis me converto, quæ plane vitioſa eſt, & natalibus ejus adverſa. Vulgo enim ſcribimus *glük*, per *u*. obſcurum, cum deberemus ſcribere *glik*, ob radicem Saxonicam *lican*. Si quis tamen oſtendere valeat, quod *glük* deſcendat a vetuſtiori quodam *gleik*, & hoc a Gothico *leikan*, nihil in Scriptura mutabimus. De præfixo G. vide Prolegomena.

GÖNNEN, ſive *günnen*, favere. Svevis *gunnen* rectius & melius. Eſt enim vox compoſita ex præfixo *ge*, & verbo Angloſaxonico *unnan* favere, quod ſuperat apud Islandos, quibus *unna* favere, *eg ann* faveo. Unde gratiæ & favori nomen *anſt* in omnibus veterum idiotiſmis, Saxonico tantum (quod mireris) excepto. Quis enim non miretur, vocem Saxonibus propriam & domi improlem, foris gratiam & favorem genuiſſe? Somnerus originem verbi Saxonici repetit a Latino *annuere*, ſed perperam: cum minime veroſimile ſit, Septemtrionem voces ſuas a Græcis aut Romanis accepiſſe. Nobis videtur eſſe primitivum.

GRABMAL, monumentum ſepulcrale, opere ſculptili aut pictorio exornatum. A *mal* ſignum, & *grab* ſepulcrum. Hic ſenſus communior. Verum quia *mal* plures habet ſignificatus, & verba tantum ſignificant quantum poſſunt, hinc *Grabmal* poterit etiam denotare Inſcriptionem ſepulcralem, ſermonem defuncti ad poſteros e ſepulcro, & denique ſilicernium ſive cœnam exſequialem. Vide *Mal* primæ, ſextæ, & nonæ ſignificationis.

GRAF, comes. Angloſax. *gereſa*, Alam. & Francis *gravo*. Hodie dignitatis hæreditariæ, olim officii & præfecturæ vocabulum. Id quod apertiſſime teſtantur Leges Salicæ, & alia Majorum noſtrorum monumenta

Latino-Barbara, in quibus *Graſionum* crebra & diſerta mentio, nec non vetus interpretatio Theotiſca Tatiani, in qua Præſides Syriæ & Paleſtinæ, Cyrenus & Pilatus, appellantur *Graven.* Cap. V, 11. *thas giſcrib zi eriſten uuardgitan in Siria ſon themo Graven Cyrine*, hæc deſcriptio primum facta eſt in Syria a Præſide Cyrino. Cap. CXCII, 3. *inti leittun inan gibuntanan in frithoff, inti ſaltun themo Pontisgen Pilato Gravon*, & adduxerunt eum vinctum in prætorium, & tradiderunt Pontio Pilato præſidi. Vix ulla vox eſt in univerſa Lingua Germanica, quæ ingenia veterum & recentiorum magis exercuerit, & minore cum fructu veritatis. In Legibus Edovardi R. Angliæ §. 35. proponitur hæc etymologia prorſus ridicula: *Videtur quibusdam GREVE vocabulum eſſe nomen compoſitum ex Anglico GRITH, & VÆ Latino. GRITH enim pax eſt, VÆ miſeria, ipſo domino atteſtante, qui dicit, væ tibi Bethſaida, væ tibi Corazain. GREVE igitur ideo dicitur, quod jure debebat GRITH, id eſt, pacem ex illis facere, qui patriæ inferunt VÆ, id eſt, miſeriam vel malum.* Lipſius & Wendelinus ſono verbi capti, *Graphiones* a γϱάφειν deducunt, quod Græcis eſt ſcribere, quaſi Grafiones priſcis temporibus fuerint ſoli literarum potentes. Spelmannus a *reafian*, quod Angloſaxonibus eſt rapere, & prædonibus magis quam viris illuſtribus convenit. Heigius a *graben*, quod ille limitem interpretatur, cum proprie foſſam ſignificet. Screickius a *gaer-haeff* exactor, quod fictitium eſt, ut cætera hujus viri Celtica. Alius a *ragen*, quod Germanis eſt eminere, quamvis nulla veterum auctoritate, ut cætera omittam. Alius a *gereccan*, quod Lingua Anglo-Saxonica dicitur regere, antiquo quidem vocabulo, ſed difficili partu. Communior ſententia eſt, *Graviones* ſic dici, quaſi ſeniores populi, ab adjectivo *grau*, canus. Nos miſſis aliorum opinionibus, quæ vel minus probabiles, vel contumelioſæ, vel incommodæ &

duræ

Digitized by Google

duræ nobis videntur, noſtram breviter exponemus. Comes Angloſaxonibus dicitur *gereſa.* Inde noſtrum *Graf* per contractionem, quod omnibus manifeſtum eſſe reor. Sed unde *gereſa*, inquies? Reſpondeo per metatheſin literarum ex *geſera*, ejusdem idiomatis & ejusdem ſignificatus voce. *Geſera* enim teſte Somnero in Diction. Angloſax. comitem, ſocium, & ſodalem ſignificat, utique a verbo *faran*, ire, proficiſci. Itaque ſive *Geſera* dicas, ſive *Gereſa*, ſemper comitem dicis, ſocium, atque ſodalem, prætereaque nihil. Tales autem erant veterum *Graſiones*, ſive Satrapæ & Præfecti Provinciarum a prima origine, nempe comites & ſocii Principum ſive Regum in omnibus profectionibus & expeditionibus bellicis, cujus rei imaginem jam habemus in moribus Germanorum apud Tacitum cap. 13. Ejusmodi Satrapæ ſolebant etiam vocari *Geſith*, a *ſith*, iter. Eadem vis Latini vocabuli. *Comites* enim ſic dicuntur, quod Imperatorem aut Principem ubique comitentur. Et cum ex hiſce Comitibus Præfecti provinciarum olim legerentur, hinc ipſis Præfectis nomen Comitum hæſit.

GRAU, canus. Gloſſ. Pez. ad canos *zi grauuinun.* Referri debet ad voces Scythicas, ob Plinii teſtimonium Lib. VI. cap. 17. *Scythæ CAUCASUM montem appellavere GRAUCASUM, hoc eſt, nive candidum.* Quamvis enim candidus & canus aliquo modo diſcrepent, pro cognatis tamen haberi debent. Unde fieri ſane potuit, ut *grau*, quod ab initio candidum denotavit, poſtea communicatum ſit cano, ob manifeſtam utriusque ſimilitudinem, & a cano translatum ad vetuſtum, quia vetuſta & annoſa ſolent caneſcere. Neque in his ſignificationum gradibus quicquam eſt, quod non etiam in aliis vocabulis uſu veniat. Igitur ad hanc claſſem ſecure referre poſſumus, quod Armoricis vetus dicitur *grai*, quod veteres Græciæ coloni dicti ſunt *Graji*, quaſi antiqui, ut poſſent a novis advenis diſtingui, quod homo

Græcus dicitur γραικὸς quaſi anilis, quod vetula γραῖα, & caneſco γραιοῦμαι, prout optime obſervatum doctiſſimo Abbati Pezronio in Antiq. Celticis, jam ſæpe laudatis.

GUGUK, cuculus. Cambris *cog.* Per onomatopœiam ſic dictus, quæ in fingendis nominibus ſolet ſonum rei imitari. In regno animali quædam voces ita ſunt comparatæ, ut videri poſſint omnibus nationibus ab ipſa ſuggeſtæ natura. Græcis balatus ovium dicitur βὴ, βαὶ, & per epentheſin βληκὴ, micatus caprarum μηκὴ, a ſono, quem edunt iſta animalia. Hinc porro invaluerunt verba apud omnes Gentes, clamores animalium imitantia, cujusmodi ſunt apud Græcos βληχάομαι, μηκάω, κρώζω, πιπίζω, κοκκίζω, ὀλολύζω. & ſimilia. Latini habent *balare* ab ovibus, *micare* a capris, *glocire* a gallinis, *mugire* a bubus, *coaxare* a ranunculis, *crocire* a corvis, *ululare* a lupis & bubonibus, *pipire* ab avium pullis. Ex eadem ſchola prodiit Germanis *mekeren*, *pipen*, *bleken*, *beulen*, & plura alia, quæ Naturæ accepta referre fas eſt, cujus vox apud omnes Gentes, quamvis moribus & Linguis diverſas, eadem eſt, & omnibus Gentium inter ſe commerciis antiquior. Hujus concentus tam admirabilis atque jucundi documenta proſtant quoque in ipſis animalium nominibus, ſi non omnium, certe nonnullorum. Hinc idem animal Græcis vocatur βοῦς, Latinis *bos*, Cambris *bu*, a mugitu, quorum poſtremum hodie ſuperat in puerili lingua apud Svevos. Græci non ſemper naturam dicentem voce ſequuntur, crebrius Latini & Germani. Hinc monſtrum illud noctis, quod noctua vocatur, Latinis per imitationem dicitur *bubo*, *ulula*, *cububa*, Germanis *eule*, *ule*, *uhu*, & majoribus noſtris, quantum ex Gloſſis antiquis cognoſcere licet, *huo* & *uwo*. Unde, niſi a clamore lugubri? Eſt enim bubo avis, ut Plinius ait, funebris, nec cantu aliquo vocalis, ſed gemitu. Multitudo nominum oritur vel a multitudine generum hujus volucris,

cris,vel a diverſa aurium perceptione. Sunt enim, quibus bubo non bubare, aut huare, aut ululare,ſed ututare videtur. Plautus:

Tu iſthic, inquam, vin' afferri noctuam,
Quæ, tu, tu, usque dicat tibi.

Præ cæteris vero Lingua Germanica in formandis volatilium onomatopœiis felix & fertilis eſt. Sic Fringillam ſolent vocare *fink*, a cantu *bink*, *bink*, quem Latini per epentheſin vitiant magis quam imitantur: Gallinam matrem *glukhenne*, ab anxia voce *gluk*, *gluk*, unde Latinis *glocitare*: Graculum *heher* ab incondito clamore *he*, *he*. Omitto *pipi*, quod eſt nomen avis in Lingua puerili Saxoniæ inferioris, & *gagak* anſeris, in eadem lingua Sveviæ. Quæ, quamvis parvula ſint, non debent a curioſis contemni. Ad hanc igitur claſſem referri quoque debet, quod Germanis quædam avis vocatur *Guguk*, quod forte ſimplicius & archetypæ voci magis conſonum eſt, quam κόκκυξ aut *cuculus*, quo Græci & Latini eadem natura duce utuntur.

H.

HABICHT, accipiter, rectius *habich*. Nam *t*. finale veteres ignorant. Gloſſ. Pez. accipitrem *hapoh*. Cambris *hebog*. Nomen habet a tenendo, ut accipiter ab accipiendo. Nam tenere Gothis dicitur *haban*, Angloſax. *habban*, *hæbban*, Keroni *haben*. Tenet autem prædam unguibus aduncis tanquam tenaculis. Et hinc illi nomen *hapich*, tanquam raptori tenaciter tenenti. Hujus volucris in LL. Bojor. antiquis duæ occurrunt ſpecies, *gans-hapich* accipiter anſerum, & *anethapich* accipiter anatum.

HACKE, genus accipitris, columbis infeſtum, Svevis hoc nomine notum. Anglis *hawk*. Volucrum prima

diſtinctio, ut bene digerit Plinius, pedibus maxime conſtat. Aut enim aduncos ungues habent, aut digitos, aut palmipedum in genere ſunt. Ad primum genus, quod plerumque carnivorum eſt, & reliquarum captura ſaturatur, ſpectant omnes accipitres, & inprimis is, quem *hacke* vocant, quaſi aduncum, ab unguibus uncis, quibus tanquam hamis prædam arripit & diſcerpit. Hinc columba Gothis non aliam ob cauſam dicitur *ahaks*, quam quod hamis illis privetur, ut diximus in Præfixo A. *Hake* pro unco vel uncinato, etiam extra avium conſiderationem, uſus conſtanter agnoſcit, non hodiernus tantum, ſed etiam priſcus. Gloſſ. Pez. uncinus *hacco*, uncinum *haccun*.

HAIN, lucus, ſylva ſacra. Veroſimile eſt, omnes Germaniæ civitates, quarum appellationibus vox iſta adhæret, cujusmodi ſunt *Groſſen-Hain* in Saxonia, *Heiden-Hain* ad Almonam fluvium, ipſo nomine teſtari, fuiſſe quondam iis locis Sylvam, auguriis patrum & priſca formidine ſacram. Nam majores noſtros nemora & ſylvas conſecraſſe, & Deorum nominibus appellaſſe, certiſſimum eſt. In his Lucis erant ſub cuſtodia Sacerdotum ſigna, vehicula, penetralia & rudis ſtructuræ Templa Deorum, candidi & nullo mortali opere contacti equi, & auſpiciorum gratia publice nutriti, ſigna militaria vel bello capta Diisque ſuſpenſa, vel in prælium ferenda, quod adeſſe Deos bellantibus crederent, formæ aprorum, urſorum, luporum, aliæque ferarum exuviæ, quibus pro caſſide & galea utebantur, quod opinio invaluerat, ejusmodi armis ſecurum præſtari Deorum cultorem etiam inter hoſtes. Videatur Tacitus de moribus Germanorum cap. VII. IX. X. XXXIX. XL. Atque hinc jam ad etymon vocis liberior nobis patet aditus. Neceſſe enim eſt, ejusmodi Lucos fuiſſe locos undique clauſos, & a reliqua ſylva non minus quam ab uſu profano (paſcuo, venatione, tranſitu publico) exciſis undique & congeſtis arbo-

arboribus ſeparatos, & ſepimento etiam contra inſultus ferarum munitos. Et his ſuppoſitis, *hain* poterit ſignificare, vel nemus interlucatum, ſi derivetur ab *hion* cædere, quo utitur Tatianus CLXXXV, 2. vel nemus clauſum, ſi derivetur ab *hagen* ſepire, quod ſuperat eo ſenſu apud Helvetios. Eadem vis Latini vocabuli *Lucus*, ſi Celticas origines adhibeas. Nam *lucan* ſignificat claudere in omnibus veterum Dialectis. Peiskerus ſuſpicatur priſcos Latinos vocabulum *hain* haud ignoraſſe, quoniam pro Fano ſæpe ſcripſerint *Hanum*, & pro parvo Fano *Hanulum* teſte Perotto.

HALB, latus, item plaga. Gloſſæ Pez. latere *halpo.* Utitur eodem ſenſu Iſidorus in verbis: *ſitzi azs zeſuun halp min*, ſede ad dextrum latus meum, pag. 245. Huic ſenſui, quamvis hodie obſoleto, ſuperſtructus eſt ſequens, cujus gratia hic præmittendus erat.

HALB, pars dimidia totius. Senſus ex priori ortus. Nam quando totum in duas partes dividitur, tunc fit dimidium, quod ante fuit latus. Hoc ſenſu dimidium Regni Gothis dicitur *halba thiudangardja*, Angloſax. *healf rice*, Marc. VI, 23. Otfrido *halba* utrumque denotat, & dimidium & latus Lib. III. cap. XVI. ab init, Lib. V. cap. XX.

HALB, pars. Senſus a dimidia parte ad partem quamcunque traductus, ſed non niſi in compoſitis cum pronominibus poſſeſſivis uſitatus. Sic vulgo dicimus *meinthalben*, eodem plane ſenſu, quo Cicero in Familiaribus dixit *pro mea parte.* Islandis quoque *halva* nonſolum latus eſt, ſed etiam pars, teſte Verelio in Indice.

HALFTER, capiſtrum. Gloſſ. Pez. capiſtra *halſtro.* Ab uſu dextro & ſiniſtro.

HALS, collum. Gothis & Alam. *hals*, plural. *halſa*, quod vide apud Keronem in *Colla.* Ab *halten* tenere (quod ab omnibus Dialectis, recentibus & antiquis agnoſcitur) quia ſuſtinet collum, auctore Stiernhielmio. Nec obſtat,

obſtat, quod litera T. ſit radicalis. Nam hæc litera in ore vulgi ſæpe liqueſcit, non ſolum in medio, ſed etiam in fine vocis. Vide *Haus*, *Waſſer*, & ſimilia.

HALT, adverb. comparandi, Svevis familiare, ſignificans potius, cujus uſus antiquiſſimus. Tatianus XXVII, 3. *bitherbi iſt thir, thas furuuerde ein thinero lido halt, thanne al thin lihhamo gange in hella fuir*, utilius tibi eſt, ut pereat unum membrorum tuorum potius, quam totum corpus tuum eat in Gehennam.

HALTEN, tenere quocunque modo. Goth. *haldan*, Angloſax. *haldan*, *healdan*, *heoldan*, Francis & Alam. *haltan*. Quamvis enim varient Dialecti in ſignificatibus, nec omnibus idem ſenſus placeat, in hoc tamen ceu primo & principe ſignificatu conveniunt omnes, etiam ii, qui longiſſime diſcrepare videntur. Ex quibus potiores nunc delibabimus.

HALTEN, tenere cuſtodiendo. Kero: cuſtodire, *haltan*, cuſtodiat *kehalte*, cuſtodiam *kehalte*. Hodie utimur compoſito *behalten*.

HALTEN, tenere alendo. Hoc ſenſu paſcere porcos Gothis dicitur *ſweina haldan*, Angloſ. *ſwyn heoldan*, Luc. XV, 15.

HALTEN, tenere conſervando. Kero: ſalventur *kihaltan ſin*, ſalvus *kehaltaneer*, ſervare *haltan*, *kehaltan*. Inde nomen Servatori *haltare* in Confeſſione Fidei Notkeri Balbuli. Hodie utimur compoſitis *erhalten* & *erhalter*.

HALTEN, tenere ſervando promiſſa. Inde ritus dandi ſive tenendi manum ejus, cui aliquid ſervandum promittimus. Hoc enim ſigno quaſi tacite profitemur, nos velle ſervare promiſſa, *man wolle das verſprechen halten, wie man die hand halte*. Notum Virgilii illud: *En dextra fidesque!* Verba ſunt Cl. Eccardi in Catecheſi Theotiſca pag. 140.

HAL-

HALTEN, tenere ſervando imperata. Kero: obſervare *kihaltan*, obſervabat *pihealt*, obſervantia *kihaltidu*.

HALTEN, tenere ſiſtendo, & moram injiciendo. Sic vulgo dicimus, *halt ſtill* ſiſte gradum. Quod imitantur Galli in *faire halte*, & Itali in *fare alto*. Ab hoc ſenſu formarunt priſci nomen claudi in omnibus Dialectis, ut patet ex Matth. XI, 5. ubi verba Evangeliſtæ, *claudi ambulant*, Gothus reddit, *haltai gaggand*, Anglo-Saxo *healte gath*, Tatianus Francus *halze gangent*, Harm. Evang. LXIV, 3. Quos imitantur Septemtrionales in Verſionibus ſuis, dum Islandus habet *hallter ganga*, & Svecus *the halte gä*. Hinc porro formatum eſt verbum *healtan*, quod Anglоſaxonibus eſt claudicare. Angli utramque vocem cuſtodiunt in *a halt* & in *to halt*, quorum prius claudum, alterum claudicare ſignificat.

HALTEN, tenere comprehenſione & cogitatu. Ob ſimilitudinem intellectus cum manu tenente, quam vide ſupra in *Behænd*. Sic vulgo dicimus *ich halte* arbitror, item *ich halte dafür* cenſeo, exiſtimo.

HALTEN, tenere improbe, ut ſolent avari, qui ſunt omnium mortalium tenaciſſimi. Hic ſenſus, ni fallor, obſoleſcit. Apud Priſcos invenimus derivatum *gihaltigi* parcitas, ab improbo tenendi ſtudio ſic dicta, in Gloſſis R. P. Pezii.

HAMMEL, vervex, aries caſtratus, proprie impeditus, cui facultas generandi teſtibus præciſis adempta. Nam impedire dicitur *hæmmen*, non hodie tantum, ſed etiam antiquitus. Kero in Expoſitione Orat. Domin. *ni letit Got comannen in ubilo*, *ioh hemat iz*, non ducit Deus quemquam in malum, ſed impedit illud. Keroni *ioh*, ſed, in Gloſſario. Hinc opinor vitioſe legitur, *tho hemaz*, cum potius legendum ſit, *ioh hemaz*, vel *ioh hemat iz*. Ab hoc verbo fit apud Francos adjectivum *hamm* quocunque modo impeditus. Hinc mancus & claudus

Otfrido

Otfrido nullo diſcrimine dicitur *hamm*, III. 4. 4. Gothi agnoſcunt idem adjectivum in compoſitis, *hanhammæ* mancus, *fothamma* claudus, *aughamma* luſcus, quæ tamen mire vitiata ſunt a Librario Codicis Argentei Marc. IX, 43. 45. 47. Quibus addi poteſt ex Lex. Runico *hamladr*, manibus pedibusque truncatus. Ab eodem verbo priſci formarunt frequentativum *hamlen*, impedire aliquem membrorum mutilatione aut amputatione. Verelius in Indice: *hamla* impedire, *hamla ad handum eda fotum* manibus pedibusque truncare, *hamlan* talis læſio vel impeditio ſeu mutilatio. Huc etiam ſpectat, quod Golgatha ab interprete Tatiani dicitur *hamalſtat*, quaſi locus ubi malefici truncantur, CCII. 2. Græcis *ἀμβλύνειν* eſt hebetare, tardare, nonnulla forte cum reliquis affinitate. Sed redeamus ad Vervecem. Ex dictis manifeſtum eſt, illum, utpote caſtratum, a privatione teſtium, maximo haud dubie generandi impedimento, recte & ſapienter a noſtris appellari *hammel*, quaſi mutilatione impeditum. Id quod jam ante me Viris etiam poſt obitum clariſſimis, Stadenio & Palthenio obſervatum. De antiquitate vocis conſuli poſſunt notæ Cel. Eccardi ad Leges Salicas pag. 119.

HAN, nomen omnibus maſculis in genere avium commune, ut *henne* omnibus fœminis in eodem genere. Unde ſint, docet Stiernhielmius in Gloſſ. Ulfila-Goth. nempe a pronominibus Septemtrionalium *han* & *hon*, quorum prius *illum*, poſterius *illam* ſignificat.

HAN, gallus gallinaceus. Gothis, Angloſaxonibus, Alamannis, Francis, magno conſenſu *han* vel *hana*. Vox a Gallo-Græcis, ut videtur, profecta, & a *χαινύω*, clamo, deducta. Hinc gallus in Lege Salica Tit. VII, 5. dicitur *chana*, quaſi vociferator, quod ad vocem Græcam magis accedit. Latini cantorem vocant, ſed auribus haud benignis. Diem enim venientem non cantu, ut reliquæ aves, ſed clamore nuntiat, & poſt coitum aut victoriam

non

Digitized by Google

non canit, ſed clamat. Eadem vis Latinæ vocis *gallus*, ut diximus in *Nachtigal*.

HAND, manus. Gothis *handus*, Angloſax. *hand*, *hond*, Keroni *hant*, Procop. *handa*. Naturam manus & originem nominis conſideranti, nullum aptius verbum occurrebat, quam *haben* tenere, quod eo ſenſu ab omnibus veterum Dialectis agnoſcitur. Gothi habent *haban*, Angloſax. *habban*, Alam. & Franci *haben*. Omnes tenendi ſignificatu. Kero: tenere *haben*, teneatur *ſi kibabet*, tenuit *kibebita*. Quibus omnibus reſpondet ſono & ſignificatu Latinum *capere*, ſpiritu H in C. mutato, ut ſæpe alias. Hujus verbi participium eſt *habend*, tenens. Quod, ubi tranſit in Subſtantivum per ſyncopen, producit nomen manus *hand*, quod officium ejus mire exprimit. Quid enim eſt manus, niſi tenaculum naturale humani corporis? Et ab his ſimilibusque participiis ſyncopatis orta ſunt innumera in omnibus Dialectis vocabula, quorum ætas ad remotiſſima usque Celtarum tempora referri debet. Patet hoc ex quibusdam Græcorum & Latinorum vocabulis, cujusmodi ſunt verba χανδάνω, & *hendo*, id eſt, capio, quæ ſane non aliunde quam ab officio manus ſic dicta videntur. Id quod jam ante me Cel. Stiernhielmio placuit. Obſervari meretur, quod quædam Dialecti habeant *han*, pro manu, absque litera finali D. non Danica tantum hodierna, ſed etiam quædam Saxonica antiqua. Cujus rei documentum præbet *Paraphraſis vetuſta Symboli Apoſtolici Boxhorniana*, hiſce verbis: *ik kelave that he thar nu ſeteth eth erwirtheren han ſines Vaders:* credo quod ibi nunc ſedeat ad digniorem manum Patris ſui. Id eſt, ad dextram. Huic obſervationi jungenda & altera, quod ex *han* paulatim factum ſit *ham*, *cham*, & *kam*, & quod *cham* pro manu jam occurrat in Legibus Salicis Titulo XXIII. Utramque obſervationem debemus Cel. Eccardo in not. ad LL. Sal. pag. 49. Quanti ſit momenti hoc ſcire, patebit infra ex

ex voce *Kæmpſen.* Hoc unum addo, quod *han* pro manu occurrat etiam in Evangelio Gothico in compoſito *hanhamma*, manu truncatus, Marc. IX, 43.

HARNISCH, gravis armatura, utpote tota ex ferro vel chalybe, & totum ſæpe hominem tegens, cujus partes præcipue ſunt lorica, quæ & thorax, & galea, quæ & brynia dicitur. Scriptoribus medii ævi *harnaſcha.* Verelius in Indice: *herneskia,* lorica, brynia. Idem Anglis *harneſs*, Gall. *harnois*, Ital. *arneſe.* Celeberrimo Hickeſio, qui ſcriptis ſuis ampliſſimis Literaturam Antiquo-Germanicam priſtino ſplendori reſtituit, vox Germanica in ſenſu primario eſt galea ſive munimentum capitis, vel potius cerebri, quod Gothis appellatur *hairns* (vel *hwairns* aut *quairns*, quia non certo conſtat, quomodo vox Gothica legenda ſit) Danis *hierne* vel *hiarne*: Quod perfecte reſpondet pileo illi ferreo, quem Galeam vocamus. Verum cum eadem etymologia reliquis armaturæ partibus minime conveniat, nec veroſimile ſit, totam corporis armaturam a galea nomen accepiſſe: Hinc gloria originis videtur potius Cambris transſcribenda, quibus *haiarn* ferrum denotat, teſte Boxhornio in Vocabulario Antiquo-Britannico. Nam hinc ope Subfixi *isk* vel *isch* (quod vide in Prolegomenis) nullo negotio fit derivatum *haiarnisk* vel *haiarniſch*, contracte *harniſch*, id eſt, ferramentum, quæ eſt vera & propria vocis ſignificatio, & omnibus armaturæ gravioris partibus competens. Ab hoc ſubſtantivo formatur Gallis verbum *harnaſcher.* Germani agnoſcunt participium *geharniſcht*, cataphractus, id eſt, ferro undique tectus vel munitus, quod de homine & equo pariter dicitur. Inventum hujus armaturæ tribuitur Marti. Heraclides in Allegoriis ex editione Thomæ Gale pag. 451. *Mars dictus eſt* χάλκεος, *ſive æneus, quod univerſum corpus ære tegebat.* Ob eandem cauſam Mars Græcis dictus videtur ἄρης. Nam *ar* & *iren* Angloſaxonibus fer-

ferrum denotat. Vide ergo annon ἄρης idem ſit quod ferreus? Et annon nomen invento perfecte reſpondeat? Etymologia ab Heraclide pag. 450. allata, quaſi Mars dicatur *Ares* παρὰ τὴν ἀρὴν, a malo & damno, quod Bellum inferre ſolet, reſpondet quidem experientiæ, ſed non Sacris Germanorum, qui ſub eodem nomine Martem colebant *Eresburgi*, quos voce Græca & domi ſuæ nihil ſignificante in denominando Idolo uti voluiſſe haud veroſimile eſt. Vide Monumenta Paderbornenſia pag. 102.

HAUBT, caput. Gothis *haubith*, Angloſax. *heofod*, contracte *hæfd*, Keroni *haubit*, Procop. *hoef*. A levando, quod indultu naturæ homini proprium, ut eleganter canit Ovidius Lib. I. Metam.

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram
Os homini ſublime dedit, cœlumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Nam levare Gothis dicitur *hafjan*, Angloſax. *heafian*, Keroni *heffan*, Island. *hefia*, Germ. hodie *heben*. Inde nomen capiti, quaſi excelſo, erecto & ad ſublimia inſpicienda facto, a præterito participii Angloſaxonico *heafod* elevatus. Quid enim eſt caput, niſi pars hominis erecta, qua cœlum & ſidera reſpicit? Ipſum vero verbum præfixo ſpiritu & vario flexu haud dubie ortum ab *uf* vel *up*, ſurſum verſus, quo Gothi & Angloſaxones utuntur. Hinc non ſolum vani, ſed etiam injurii in Linguam noſtram antiquiſſimam mihi videntur, qui capitis appellationem a Græco ὕπατον ſummum, ſupremum, deducunt, cum tam pulchras domi habeamus origines, ut aliunde emendicatis non opus ſit. Unde vero ſunt ὕπατος, ὑπὲρ, & ſimilia, niſi a ſimpliciori *up*? Multo minus ferendi ſunt illi, qui Celticam vocem vel a Græca κεφαλὴ, vel a Latina *caput* deſumunt. Manifeſtum enim eſt, has ipſas voces in iis Linguis, in quibus natæ ſunt, nullum

habere intelligibilem ſenſum, recipere autem cum optimo ſenſu etiam nitorem, ſi Celticas origines illis adhibeas, & a levando *haſan* deducas, ſpiritu H. ut ſæpe alias in K. vel C. mutato, ut pridem obſervavit pro ſua, qua polluit in vocabulis diſcernendis prudentia & perſpicacia, celebris Arctoi orbis ſcriptor Stiernhielmius in Gloſſario Ulfila-Gothico voce *Haſjan*.

HAUCH, ſibilus, anhelitus. Francis *huah*. Vox haud dubie a ſono facta, quem anhelantes edunt, quæ proinde ad linguam naturalem ſpectare videtur.

HAUCH, ludibrium & irriſio. Otfridus Lib. IV. cap. 22.

Fialun tho in iro knio,
Zi hue (lege *Zi huabe*) *habetun nan io.*

Procidebant tunc in genua ſua,
(Et) habebant illum ludibrio.

Idem Lib. IV. cap. 30.

Thar ſtuantun tho ginuage,
Inti habetun nan zi huabe.

Tunc multi circumſtabant,
Qui illum ludibrio habebant.

Latini idem dicendi genus agnoſcunt in phraſi, convitiis & ſibilis conſectari aliquem. Horatius: *Populus me ſibilat.* Cicero: *Hiſtrio exſibilatur & exploditur.* Germanis hic ſenſus in deſvetudinem venit: ſed nihil obſtat, quo minus etiam hodie propitiis auribus dicamus, *einen aushauchen*, pro exſibilare aliquem.

HAUS, domus, tabernaculum. Antiqui habent *hus*, in omnibus Dialectis, haud dubie a notione tegendi, etiamſi verbum ipſum nusquam reperiatur, niſi apud Cambros & Armoricos, quibus *cuddio*, *cuta* & *cuza* eſt abſcondere, *anhuddo* tegere, *cwtt* tugurium, *cudd* abſconſio, conſentientibus Græcis, quibus κεύθω tego, abſcondo,

Digitized by Google

ſcondo, quod cum Celtis videntur ex primitiva Lingua hauſiſſe. Hinc ſcil. prodiit nomen domûs antiquiſſimum *hus*, per liquationem, quod vi originis ſignificat tectum, vel latibulum. Ab eodem primitivo venit ad Latinos *caſa*, *cutis* & *condere* per epentheſin, ad Gothos *huzd* theſaurus, quia theſauri ſolent abſcondi, ad Germanos *hüten* tueri, *haut* cutis, *hütte* tugurium, *hut* pileus, tutela, *kutt* ſagum, cucullus, veſtis monachorum, *küttel* ſagulum, penula. Cuncta inter ſe cognata, & a tegendo vel protegendo ſic dicta, ut conſideranti patet.

HEIM, locus, circumferentia. Gothi habent *haim*, Angloſaxones *ham* & *hama*, Franci & Alam. in compoſ. *hama*, extra compoſita *heim*. Significat autem locum rei vel naturalem, vel communem, vel proprium, derivaturque mediante ſpiritu a particula locali *am*, circa, circum, quæ ſuperat eo ſenſu apud Cambros, & hodie nobis effertur *um*. Olim varius erat hujus voculæ uſus: Si quis tamen omnes illas variantes ſignificationes potentia mentis in unam cogat, facile reperiet, ſubductis omnibus rationibus, primum & principem vocis ſenſum, in quo reliqui omnes conveniunt, eſſe omnino eum quem diximus.

HEIM, locus rei naturalis & proprius. Sic præcordia in antiquis Friſionum Legibus vocantur *herthamon* Tit. XXII, 28. *Si quis præcordia, id eſt, HERTHAMON, gladio tetigerit.* Cujus vocis probitatem contra Lindenbrogii arbitrariam emendationem optime vindicavit Fr. Junius in Gloſſ. Goth. voce *Hairto.* Hodie dicimus *herzcamer*, ſpiritu in C. ut ſæpe alias mutato. Sic Angloſaxones, eodem Junio obſervante, uterum ſeu matricem vocant *cildhama*, quaſi locum embryonis. Nam *cild* Angloſaxonibus infantem ſignificat. Habent & Alamanni & Franci, quod huc ſpectare videtur, dum corpus vocant *libhamo*, quaſi locum & domicilium corporale, animæ puta incorporalis, quod hodie pronunci-

Digitized by Google

amus *leichnam*, inſigni corruptela. In Mythologia Islandorum occurrunt *Leibheim*, *Gottheim* & *Asheim*, quorum prius ſedem animæ naturalem, ſive corpus, reliqua locum Deo proprium, ſive Cœlum denotant. Vide plura in *Leichnam*.

HEIM, locus communis multorum una habitantium, alias domus ſeu domicilium. Gloſſ. Pez. domicilium *heima*. Angloſax. *ham* domus. Hodie dicimus *daheim* domi, quaſi in ſede & manſione communi. Huc etiam ſpectant alia compoſita, cujusmodi ſunt *heimwerts* domum verſus, *heimſuchen* convenire aliquem, *heimſuchung* viſitatio ædium, *heimholen* deducere domum, quod de ſponſo domiduco dicitur. Apud Hebræos *ham* non eſt nomen loci, ſed multitudinis in eodem loco cohabitantis, teſte R. D. Lœſchero in Libris doctrina haud vulgari refertis de Cauſis Linguæ Ebrææ pag. 370. Græci utrumque ſenſum admittunt. Hinc illis ὁμὰς, ἁδος, multitudo, ὁμιλία confluxus multorum, ab ἅμα ſimul, una, pariter. Et nihilominus tuguria Paſtorum vocant εἱμάδες, teſte Heſychio. Quos imitantur Galli in voce *hameaux*. Germanis *heim* proprie eſt vocabulum loci, utpote a particula locali oriundum, in derivatis tamen multitudinem notare poteſt, non omnem & promiſcuam, ſed eam tantum, quæ circa nos verſari ſolet in manſione communi, cujusmodi ſunt familiares & domeſtici, quales ab Angloſaxonibus vocantur *hamora*. Ab hoc interim ſignificatu, domo inquam atque domicilio, loca, ubi tranquille vivere licet, apud Miſnicos vocantur *heimlich*, cætera ſpectrorum tumultibus aut apparitionibus infeſta *unheimlich*, quaſi inhoſpitalia. Ab eodem ſubſtantivo Islandi formarunt verbum *heimila*, domo & hoſpitio excipere, quod extat in Indice Vereliano, & Armorici *chom* ſimul morari.

HEIM, manſio communis monachorum, alias Monaſterium. Certe Angloſaxonibus *ham* non ſolum domum

domum, ſed etiam Monaſterium ſignificat, apud Somnerum in Dictionario. Et eundem hodieque obtinet ſignificatum, quoties nominibus Sanctorum ſubfigitur. Cum autem Monaſteria inde a prima origine eſſent loca ſecreta, & Chriſtianæ Rel. adyta, hinc paulatim invaluit *heimen*, pro tegere, abſcondere, celare, quod ſuperat Svecis in *hæmma* teſte Stiernhielmio, & Batavis in *heymen* & *heymelen*, teſte Kiliano. Germanis quidem aufugit hoc verbum, ſed numeroſa compoſitorum ſobole poſt ſe relicta, cujusmodi ſunt *heimlich*, *geheim* ſecretus, *heimlichkeit* arcanum, *geheimniiſs* doctrina recondita, alias myſterium, & ſimilia, quæ Monaſterio *ham*, loco utique ſecreto, & a profanis ſeparato, ortum ſuum debent.

HEIM, locus ſecretus in domibus ſive publicis, ſive privatis, ſed pluribus communis. Senſus ex priori ortus. Quamvis autem *ham* pro loco ſecreto nusquam occurrat, ſuperat tamen in derivato *chamer* vel *kammer*, quo loca ſecreta ſignificamus, cujusmodi ſunt dormitoria, ubi plures cubare ſolent, item conclavia rationum, & tribunalia Principum, ubi plures dicundi juris gratia conveniunt. Nam hæc omnia eodem vocabulo, tanquam loca ſecreta, afficimus. Olim denotavit etiam locum ſeparatum in Monaſteriis, hoſpitibus excipiendis deſtinatum, plane ut hodie *gaſtkammer*. Kero: Cellam hoſpitum *chamara diro keſteo*. Græca & Latina *καμάρα* & *camera*, ſono conveniunt, non ſignificatu. Notant enim proprie opera fornicata, oriunturque a Celtico *camm* curvus, vel *cammu* curvare, quorum prius a Cambris, alterum ab Armoricis hodie cuſtoditur, teſtibus Boxhornio & Pezronio in Celticis.

HEIM, ager, quatenus eſt communis habitationis locus. Nam priſci mortales ante conditas urbes in agris, quos colebant, etiam habitabant. Cujus rei veſtigium extat apud Latinos in verbo *colere*, quod utrumque

ſignificat, ſubigere terram, & inhabitare. Hinc communis omnium ager Gothis vocatur *haim*, Marc. V, 14. & agri privatorum, *haimotjai*, Marc. X, 29. 30.

HEIM, villa, vicus, civitas, caſtrum, & omnis manſio publica, ſive campeſtris ſive urbana. Uſus Angloſaxonicus cognoſcitur ex Dictionario Somneri in voce *ham:* Gothicus ex Evangelio Gothico, ubi *in haimos* in vicos, Marc. VI, 56. *us haimai Marjins* ex caſtello Mariæ, Joh. XI, 1. *us allama haimo Galeilaias* ex omni civitate Galilææ, Luc. V, 17. *in anthara haim* in aliam civitatem, Luc. IX, 56. Nec omittendi ſunt Phryges, qui Arcem Trojanam *Pergamum*, id eſt, ut credere fas eſt, *Perg-ham*, a ſitu montano appellarunt. Nam hinc clariſſime patet, unde ſit principium vocis, quis uſus perennis & antiquiſſimus, & quibus auctoribus ad Celticos populos pervenerit. Inde porro eſt, quod, ut pridem Viris Doctiſſimis obſervatum, apud Germanos & Anglos villæ & urbes nomina ſua in *heim* & *ham* deſinentia paſſim habeant, de qua re inprimis conſulendus Cluverius Germ. Ant. Lib. I. cap. 13. pag. 85.

HEIM, regio, territorium, locus Reipublicæ ampliſſimus. Antiquiſſimis temporibus erat etiam vox Gallica, ut patet ex nomine *Bojohemum*, quod Boii, Gallica gens, regioni ſuæ in ſylva Hercynia occupatæ, impoſuerunt, teſte Vellejo, Strabone, & Tacito; cujus memoria in nomine *Bohemiæ*, quamvis mutatis cultoribus, & tot Sæculis elapſis, hodieque perennat, quæ Germanis dicitur *Boheim*, contracte aut potius corrupte *Böhmen*. Huc etiam ſpectat, quod regio montana Gothis vocatur *bairga-haim* Luc. I, 65. *jah in allai bairga-hein Judaias merida weſun alla tho waurda*, & in omnibus regionibus montanis divulgata ſunt hæc verba. Ubi haud dubie legendum *bairgahaim* pro *bairgahein*. Nam hunc Codicem in multis locis vitiatum eſſe jam ſupra oſtendimus in voce *Hammel*.

HEIM,

Digitized by Google

HEIM, locus originis, ſolum natale, patria communis. Inde *hamſithian* repatriare, in idiomate Angloſaxonico, a *ſith* iter, & *ham* patria. Germani habent *heimreiſen* eodem ſenſu: item *heimat* patria, *einheimiſch* patrius, *heimwehe* ægritudo ex deſiderio patriæ, quod Galli imitantur, (quamvis vitioſe, ut plerumque) in *emmevé*, auctore Mareſchallo de Baſſompierre, qui primus Gallicam Linguam hac voce auxit, teſte Menagio in Originibus Gallicis.

HEIM, peculium, ſic dictum, quaſi res domeſtica, vel agraria. Cum enim ab antiquo in Germania nullæ eſſent poſſeſſiones præter domos & agros, pecora & frumenta, & in his ſolis gratiſſimæ Genti opes conſiſterent, teſte Tacito, cap. 5. hinc peculia animata variantibus Dialectis appellabant *fio*, *feoh*, *faihu*, inanimata *ham*, *haim*, *heim*. Et hæc nomina adhæſerunt opibus & facultatibus etiam poſt aurum & argentum a Diis propitiis vel iratis indultum. Hinc quævis poſſeſſio Gothis dicitur *faihu*, Angloſaxonibus *ham*, teſte Fr. Junio in Gloſſ. Gothico. Reſtant hujus antiquiſſimi ſignificatus, ni fallor, veſtigia quædam hodienum in Lingua Germanica. Sic vulgo dicimus *heimfallen* proprium fieri, redire ad priſtinum Dominum, *heimſtellen* remittere alicujus arbitrio & beneplacito rem tanquam propriam & ad Lares ſuos ſpectantem.

HEIM, locus eunti proprius, vel quaſi proprius, ſive ſit domus, urbs, patria, (nam & patriam noſtram putamus) ſive ſui, vel ſua. Tatianus XII, 2. *mit thiu ſie heim uuurbun*, cum redirent. Gloſſ. Pez. ad ſemetipſos *heim*, in ſua *heim*. Hodie dicimus *heimkehren*, *heimgehen* eodem ſenſu, quo Tatianus *heimuuerban*.

HELFANT, elephas. Angloſaxonibus *ylp*. In reliquis Dialectis ſignificat Camelum. Hinc Camelus Ulfilæ dicitur *ulband*, Marc. I, 6. X, 25. Otfrido *hel-*

Digitized by Google

phant pag. 14. Tatiano *olbent*, XIII, 11. & hinc Dromedarii *olpentara* in Gloſſis Pezianis. Eſt enim nomen generale, & omnibus belluis grandioribus commune, a juvando deſumptum, unde Latinis quoque animalia dorſuaria vocantur *jumenta*, quaſi juvamenta, quia homines juvant. Nam juvare, adjuvare Gothis dicitur *hilpan*, Anglosax. *hylpan*, *helpan*, Francis & Alam. *helfan*, hodie *helfen*: & auxilium Anglosax. *helpe*, *hylf*, *ulph*, *ylp*, Keroni *helfa*, Cambris *help*, hodie *hülfe*. Ab hoc igitur verbo per participium *helfant* (quod vide apud Keronem in *auxiliante*) ortum eſt ſubſtantivum *helfant* elephas, camelus, & quævis bellua inſignior, qua homo, ſeu pace ſeu bello juvatur. Si quæratur, unde Germanis ſit exteri animalis domeſtica appellatio, reſponderi poteſt a Celtis. Nam ſine horum mercenario Exercitu Reges orientis nulla bella gerebant. Ad hos Regno pulſi confugiebant, majeſtatem ſuam nusquam tutiorem rati, quam apud Celtas. Itaque in auxilium a Bithyniæ Regibus vocati, regnum cum eo parta victoria diviſerunt, eamque Regiam *Gallo-Græciam* cognominarunt. Hæc Juſtinus. Memoriæ proditum eſt, de quodam Elephanto apud Plinium: literarum ductus Græcarum didiciſſe, ſolitumque præſcribere ejus linguæ verbis: *ipſe ego hæc ſcripſi, & ſpolia Celtica dicavi.* Unde manifeſtum eſt, Celtas, hoc eſt, Gallos, eorumque belli ſocios Germanos, non potuiſſe ignorare Elephantos. Cum ergo Celtæ vidiſſent, Orientis Reges bella ſua conficere magna ex parte Dromadibus, Camelis, & Elephantis, & hos turres armatorum in dorſis gerere, proſternere acies & protere: hinc omnes illas beſtias, ſive militantes, ſive impedimenta ferentes, lingua ſua appellarunt vel *helfanten* & *olpenten*, ut poſtea Franci & Alamanni, vel *ylpen* & *olfenden* ut Angloſaxones, id eſt, auxilia & præſidia belli. Differt autem *helfant* ab *elephant*, quamvis ſono conveniat.

Digitized by Google

veniat. Nam hoc poſterius eſt a Græco ἐλέφας, & hoc viciſſim ab Hebræo *alluph* bos, ut diximus ſupra in voce *Bar*.

HELM, caſſis, galea. Francis in Gloſſario Boxhorniano *helm*, Cambris *helm*, Latino-Barbaris *helmus*, Islandis *hialmur*. Pileus ferreus, capiti tegendo vel muniendo factus, & inde nomen, non ab *helen* celare, quamvis hoc videam multis viris doctis probari, ſed ab *hilma* tegere, quod extat in Indice Verelii cum plurimis derivatis. Itali a populis Germanicis retinuerunt *ielmo*, Galli a Francis *heaulme*, quod hodie ſcribitur *heaume*, ſed vitioſe. Nam litera L. cum ſit cuſtos originis, non debuit eliminari.

HELM, corona, tegumen capitis regium. Hinc corona ſpinea, quæ Ulfilæ dicitur *thaurneina waip*, interpreti Angloſaxonico vocatur *thyrnenne helm*, Marc. XV, 17. & compoſite *thyrnenne cyne-helm*, Joh. XIX, 2.5. a *cyng* rex. Franci unice delectantur compoſito. Hinc Diadema in Gloſſis R. Mauri exponitur *chuninchelm*, hoc eſt, galea regia, a *chuninc* rex. Hodie nec ſimplex nec compoſitum ab uſu admittitur. Hinc illa vocabulorum paupertas, & cum Latinis loquendi neceſſitas, quoties coronam dicere volumus.

HEROLD. Vide *Ernhold*.

HERR, dominus. Vox antiqua. Angloſax. *hearra*, Franc. & Alam. *herro*, & aliquando *herero*, Lat. *herus*. Iſidorus Hiſpalenſis pag. 264. *ano chuninc*, *ano herrun*, ſine Rege, ſine domino. Tatianus CLVI, 2. *ir heizzet mih meiſtar inti Herro*, vos vocatis me magiſter & domine. Otfridus Lib. V. cap. 20.

Giſceident ſih in ala uuar
Herero inti thegan thar.

Tunc ibi ſeparabuntur in veritate
Dominus & ſervus.

Quibus conſentiunt Gloſſ. Pez. magnates *herrun*, & famoſum populi Sacramentum apud Nithardum, in quo Imp. Ludovicus *min Herro* dicitur. Origo vocis eſt a particula Francica *er* ante, prius, quæ Gothice effertur *air*, Saxonice *ær*. Ab hoc adverbio tanquam poſitivo promanat comparativus *heroro*, Keroni in Gloſſis tria ſignificans, *ſeniorem*, *priorem*, & *altiorem*. Qui, cum abit in ſubſtantivum, naturaliter producit nomen *herero* vel contracte *herro*, domini ſignificatu. Itaque *herr* vi originis eſt quidam ſive ætate & ordine, ſive auctoritate & jurisdictione cæteris quibusdam anterior, & ſemper habet inferiores, in quos primatum exerceat.

HERRIN, domina. Antiqui habent *herra*. Gloſſ. Pez. dominatrix *herra*. Conſentit ἥρα, nomen Junonis apud Græcos, & *hera* Latinorum. Potuerunt hæc vocabula a Phrygibus ad Græcos & Latinos manaſſe, ut plura alia. Id quod Pezronius, auctor ingenuus, palam defendit contra eos, qui exiſtimant, Septemtrionem voces ſuas a Græcis aut Romanis accepiſſe, in Celticis pag. 101.

HERZOG, dux Belli. Angloſax. *here-toga*, Matth. II, 6. Sic & Otfridus Pilatum vocat *herizoho*, Lib. IV. cap. 23. quod obſervandum contra eos, qui antiquitatem vocis in dubium vocant. Prior compoſiti pars nullam habet difficultatem: notat enim Exercitum in omnibus Dialectis. Altera oritur a verbo, quod in maximo ſignificationum ambitu poſitum eſt, & pro varietate Dialectorum varie quoque ſcribitur, & pronunciatur. Gothis *tiuhan* eſt ducere, Keroni *zeohan* nutrire, Francis *zihan* præter reliqua etiam domare, ut patet ex derivato *zuht* diſciplina, quod extat in Gloſſis Pezianis, & hodieque ab uſu agnoſcitur. Hinc totum compoſitum ſignificare poteſt domitorem, nutritorem, & ductorem Exercitus. Domat autem diſciplina, nutrit ſtipendio, ducit juſſu & exemplo. Inde eſt, quod illum unum omnes ſequuntur,

Digitized by Google

tur, & unius dicto omnes ſunt obtemperantes, quia ſcilicet omnes ab uno & nutriuntur, & in fide militari continentur. Et hæc conjuncta conveniunt etiam ducibus veterum Germanorum, quorum diſciplinam & munificentiam, & virtutem paſſim commendat Tacitus & inprimis cap. XII. & XIV. de moribus Germanorum. De tali Duce vere dixeris, quod dixit Virgilius de ſuo:

Agmen agit magnum, magnique eſt agminis inſtar.

Id quod voce Germanica, cujus ſenſus tam opulentus eſt, pulchre admodum exprimitur. Hujusmodi compoſita, in *zobo* vel *zogo* deſinentia, reperiuntur apud veteres plura: e quorum numero eſt *magazogo* rector pueritiæ, in Epinicio Ludovico R. Francorum acclamato. Olim erat nomen officii & imperii militaris. Secutis temporibus *Herzoge* dicti ſunt hodieque dicuntur, non tam Belli Duces, quam Principes integras Regiones, quas Ducatus vocant, hæreditario jure poſſidentes.

HEURATEN, nubere, *heurat* matrimonium. Willeramus in Cant. Canticor. pag. 157. *waz duo wir hiro nu, ſo ſiu hirates ſcal gegraozet werthan*, quid faciemus illi, ſi matrimonii cauſa fuerit rogata. Vox, ob partium, e quibus componitur, nimiam contractionem, caligine obducta. Prima ſyllaba domicilium & familiam notat, quæ Gothis dicitur *heiwa* in compoſito *heiwa-frauja* ædium dominus, pater familias, Marc. XIV, 14. Angloſaxonibus *hiwe*, Iſlandis *hiu*, teſte Verelio in Indice. Inde *hiun* nubere, apud Otfridum Lib. I. cap. 4. & *gihive* nubat in Gloſſ. Pez. & *hiwiske* familia apud Keronem, & *hion* qui ſunt e familia Iſlandis. Altera pars præparationem inſinuat. Nam parare, præparare Keroni dicitur *ratan*, & compoſite *karatan*. Itaque *heuraten* vi originationis ſuæ nihil aliud eſt quam *hiwe-karatan*, domicilium & familiam parare, quod nubentium proprium. Mirum eſt, quosdam hanc vocem derivare

auſos

auſos a Belgico *bueren* conducere. Quamvis enim matrimonium ſit contractus, non eſt tamen contractus locationis, nec unquam fuit apud veteres Germanos. His enim matrimonia erant vincula ſacra, nec ulla morum pars magis probata, teſte Tacito cap. XVIII. Bodikerus more ſuo ludit, dum *heirath* (ſic enim ſcribit vocem) ab *eh* & *rath*, id eſt, a conjugio & conſilio componit.

HIMEL, cœlum. Goth. *himins*, Keroni *himil*, Islandis *himen*, *himmen*. Olim cum Cel. Stadenio deduxi ab *heimen* tegere, quod Cœlum omnia tegat. Verum cum *heimen* eo ſenſu demum cum Monaſteriis natum ſit in Germania,(ut diximus ſupra in voce *Heim*) & præterea in nullis veterum monumentis reperiatur: hinc fieri non poteſt, ut vox Gothica antiquiſſima *himins*, cui noſtra perſimilis eſt, a nupero vocabulo originem ſuam ceperit. Forte antiqui, quorum ea fuit de Syſtemate Univerſi perſvaſio, tanquam terra in Centro ejus ſita eſſet, ut diximus ſupra in voce *Gard* ultimæ ſignificationis, cœlum appellarunt *himen*, ab *am*, *em*, vel *um*, circa, quaſi ambitum, circuitum, & circumferentiam Univerſi. *Am* pro circum vel circumquaque ſuperat apud Cambros.

HIMEL, laquearia conclavium, item tecta ſuſpenſa lectorum, rhedarum, thronorum. Cuncta ob ſimilitudinem cum Cœlo. Gloſſ. Boxhorn. *himila* laquearia. Gloſſ. Pez. laqueatis *gihimiloton*.

HIRCH, cervus. Ante D. annos *hirz*. Winsbekia ad Filiam §. 21.

Swenne der hunt den hirz wil jagen,
Hat er iht wol genoſſen vor,
Er mag ſich deſte wirs entſagen.

Ante M. annos *hiret*, ut patet ex Gloſſis Lipſ. ubi *hiret* exponitur cervus. Ante bis M. annos *harz*. Superat eo ſenſu in nomine *harz-wald*, unde *Cheruſci* videntur appel-

appellationem ſortiti. Nam hanc ſylvam potius a multitudine Cervorum, quam a copia bituminis nomen accepiſſe, ab æquis rerum æſtimatoribus facile me impetraturum confido, præſertim cum *hart* hodieque cuſtodibus Belgis cervum ſignificet. Quanta ſit hujus nominis vetuſtas, & apud exteros celebritas, vel hinc colligere licet, quod eadem res ab antiquiſſimis Scriptoribus, tam Græcis quam Latinis, Saltus *Hercynius*, & omiſſo interdum ſpiraculo *Arcynius* dicitur, manifeſta vocis noſtræ imitatione. Olim erat ſylva Germaniæ immenſa, & mundo (ſi Plinio credimus) coæva, nunc poſtquam urbes innumeræ & agri vaſtiſſimi nemoribns extirpatis ſucceſſerunt, hæſit nomen totius tanquam parti ſylvis & montibus in tractu Goslarienſi, exigua quidem menſura, nonnulla tamen veteris famæ gloria. Ob monumentorum defectum non licet in remotiora adſcendere tempora, conjectare tamen licet, Cervum currendo per mundum, per omnes vocales tranſiiſſe, incipiendo ab *hors*, quod dotem animalis, mirandam inquam pernicitatem, perfecte exprimit. Nam ob eandem cauſam idem nomen equo tributum, quod & cornipes ſit, ut cervus, & cervum velocitate æquet, ut diximus in *Roſſ*. Favent huic etymo Gloſſæ perantiquæ apud R. Pezium, e quibus ſequentes decerpimus. Celeriter *horſco*, maturius *horskor*, quantocyus *filohorsko*. Ab hoc igitur adjectivo eſt ſubſtantivum *horſch* vel *hirſch*, interpretatione Latina celox, quaſi curſor nemorum velociſſimus. Docetur autem currere ſtatim a teneris, teſte Plinio: *Editos partus exercent curſu, & fugam meditari docent; ad prærupta ducunt, & ſaltum demonſtrant.*

HIRTE, cuſtos. Hinc cuſtodes ſepulchri Dominici Tatiano vocantur *hirta*, CCXVII, 4. Idem ſenſus cognoſcitur ex quibusdam compoſitis veterum, cujusmodi eſt *cylda-hyrde* pædagogus, puerorum cuſtos apud Angloſaxones, & *fe-hirdi* theſaurarius apud Islandos in

Indice

Indice Verelii. In eodem Indice occurrit *hird* pro ſatellitio ſeu cuſtodia corporis Regii. Cuncta a verbo *hyrdan* cuſtodire, quod Angloſaxonibus proprium. Hic ſenſus obſoleſcit.

HIRTE, paſtor. Angloſax. *hyrde*, Keroni *hirti*. Quod ante erat cuſtos in genere, poſtea ad cuſtodem pecudum ſive paſtorem reſtringi cœpit, ut bene hic monet Fr. Junius. Helvetii habent verbum *hirten* paſcere, haud dubie ab hoc ſubſtantivo derivatum.

HIRTE, vir gregis. Alius ſignificatus, a prioribus diverſus, & Gothis proprius. Quemadmodum enim Latini a bubus nomen invenerunt bubulco, a porcis porcario, a capris caprario, ita Gothi a *hairda* grex, paſtorem vocant *hairdeis*, quaſi gregarium.

HON, contumelia, injuria. Olim Latinis *honos* eodem ſenſu, teſte A. Gellio in Noct. Attic. Lib. 12. cap. 9. Otfrido *honida* Lib. III. cap. XIX. bis. Inde Gallis *honte*.

HÖNEN, illudere, contumelia afficere. Gloſſ. Pez. illuſiſti *gihontoſt*. Gallis *honnir* ignominia afficere, *honni* dedecore affectus.

HORT, theſaurus. Angloſaxonibus *hord* theſaurus, *hordian* theſaurizare, *hordere* theſaurarius, *bochord* bibliotheca, theſaurus librarius, *hord-cleofe* ciſta, ſcrinium, in quo theſaurus conditur, *hord-fata* gazophylacium, quæ vide apud Somnerum. Habent & *gold-hord* & *gold-hordian* pro theſauro & theſaurizare in Evangelio Matth. VI, 19. 20. Unde dubium non eſt, hanc vocem cum univerſa cognatione Angloſaxonicam eſſe, & ab his ad Francos & reliquos Germanos profectam. *Hort* Dialecto Francica idem ſignificat. Iſidorus pag. 242. *endi dhiu chiborgonun hort dhir ghibu*, & dabo tibi theſauros abſconditos. A Francis porro venit ad Scripto-

res

res Paræneticos Goldaſti. Walther von der Vogelweide ad Philipp. Imp.

Nu haſtu gut und ere,
Darzu wol zweier Kunige hort.

Eodem ſignificatu ſuperat apud Anglos, quibus *a hord* theſaurus, *a hoarder* theſaurarius, *to hoard* theſaurizare. B. Lutherus *rupem* ſubinde vertit *hort*, quaſi hanc animo præcepiſſet opinionem, *hort* idem eſſe ac *hoher ort*, in qua opinione multos hodieque verſari video. Aliis *hort* apocopatum quid eſt a Latino *hæreditas*, vel productum a Gallico *hoir* hæres. Alii deducunt ab *hyrdan* cuſtodire, voce Angloſaxonica, quod theſauri ſoleant cuſtodiri. Mihi *hort* in primo & principe ſignificatu videtur eſſe nomen gregis, quæ Gothis dicitur *hairda*, Angloſax. *heord*, Keroni *chorte*, Islandis *hiort*, Germanis hodie *herde*, *hürde*, ab *hyrdan* cuſtodire. Nam primæ Germanorum divitiæ conſiſtebant in gregibus, antequam argentum ferroque nocentius aurum in uſu & affectione haberi cœpiſſent, teſte Tacito cap. V. Ab his ergo nomen ad Theſauros tranſiiſſe, prorſus veroſimile eſt. Sic & Latinis pecunia a pecu dicitur, & olim Germanis pecunia viva & mortua uno vocabulo *fio* veniebat, quod eſt nomen pecudis in omnibus Dialectis.

HUND, nomen canis in omnibus veterum & recentiorum Dialectis, a primis nominum repertoribus cani (ut videtur) venatico impoſitum, a poſteris vero omnibus canibus, qui nobiſcum degunt, aut obſequii & fidelitatis gratia nos ſequuntur, tributum. Primus hanc etymologiam, ingenioſam pariter ac concinnam, excogitavit Cl. Eccardus, eamque in excellenti Commentario ad LL. Salicas ex fontibus Saxonicis demonſtravit. Nam venari Angloſaxonibus dicitur *huntian*, venatio *huntath*, venator *hunta*. Similiter Angli, priſci ſermonis Saxonici tenaces, venatorem vocant *hunter*, & venari

Digitized by Google

to hunt. Nec mirum videri debet, nomen cani a venando impoſitum. Nam homines & canes ſocietate quadam venantur ab omni retrò memoria. Plinius de canibus: *Sed in venatu ſolertia & ſagacitas præcipua eſt. Scrutatur veſtigia atque perſequitur, comitantem ad feram inquiſitorem loco trahens: qua viſa, quam ſilens & occulta, quam ſignificans demonſtratio eſt, cauda primum, deinde roſtro.* Potuiſſet hiſce plura addere & majora, ſi apros a canibus teneri, urſos diſcerpi, cervos laſſari vidiſſet. Hinc etiam præmium venatus, partem prædæ, tanquam ſocii laboris, a venatoribus accipiunt, Dianam quoque emeritos coronantem canes Poeta inducit. Illud fortaſſe inſolens videbitur, nomen a ſpecie ad genus traductum. Sed falluntur, qui hoc metuunt. Nam in regno animali nomina ſpecierum ſæpe adhærent generibus, & viciſſim nomina generum ſpeciebus. Utrumque obſervare licet ex dictis in vocibus *Bar* & *Thier*. Phryges videntur canem appellaſſe *ci* vel *cun*, ut hodie Armorici. Et hoc ſuppoſito panditur locus conjecturæ Platonis, Græcum *κύων*, *κυνὸς*, a Phrygibus deducentis in Cratylo. A *κύων* porro eſt *canis*, ſi Latina a Græcis derivare juvat. Sin minus, potuerunt Latini idem nomen accepiſſe a Celtis, vel a Trojanis, ut Græci.

I.

IEDER, ſinguli, unusquisque. Vox nova, ſed ex duabus vetuſtis, *eoco* omnis, & *edder* unus, quibus Alamanni in compoſitis ſuis utuntur, contracta. *Eoco* pro omni occurrit apud Keronem in *cocouuelih* omnis, *cocouueri* ubique, & *eogouuerti* usquequaque. Occurrit & apud Græcos in *ἑκαςὸς* unusquisque, quod videtur eſſe a radice Celtica *eco*, quoniam ſimplex *ἑκα* in Græcorum Lingua plane nihil ſignificat. *Edder* pro uno reperitur apud

Digitized by Google

apud Keronem in *eddeſuuehiler* aliquis, *eddeſlihhiu* aliqua, *eddeſuuaz* aliquid, & *edderuuenne* aliquando. Et uſurpatur hodienum eodem ſenſu in compoſitis *etwelche*, *etliche*, *etwas*, & *etwann*. Origo eſt ab *as* monas, cui reſpondet Græcum εἷς, unus: quod ubi dureſcit in ore vulgi, fit *at*, *et*, vel *edd*, & hinc porro adjectivum *edder* unus. Itaque *jeder* reapſe idem eſt, ac ſi diceres cum Alamannis priorum temporum *coco-edder* omnis-unus, id eſt, ſinguli, unusquisque.

IEGLICH, unusquisque. Otfrido *jagilih*, Lib. I. c. XXIII. *thaz jagilih bimide*, ut quilibet evitet. Lib. IV. c. XV. *ioh jagilih thes thenke*, ut quilibet recogitet. Hoc quoque Alamannicum eſt, contractumque ex *cocouuelicher*, quod habet Kero eodem ſignificatu, quodque componitur ex *coco* omnis, & *uuelicher* aliquis. Eadem vox Anglosaxonibus coarctatur in *ælc*, Batavis in *elk*, tanta quidem anguſtia, ut vix Oedipo locum conjecturæ relinquat.

IGEL, herinaceus, a dotibus dorſi, ſpinis inquam & aculeis, eorumque acie ſic dictus. Nam acies cujuscunque rei Angloſax. dicitur *ecge*, Islandis *egg*. Ab hoc primitivo, quicquid pungit, ſive morſu ut hirudo, ſive attactu ut herinaceus, nomen accipit apud noſtros: Nec animalia tantum, ſed etiam plantæ. Hinc rhamnus, genus rubi, ramos ſpargens aculeis rectis, in Gloſſ. Pez. dicitur *agaleia*, utique a notione pungendi. Itaque herinaceus vi vocis Germanicæ eſt mus aculeatus. Cambri eandem appellationis vim, quamvis aliis vocibus, exprimunt. Illis enim ſpina dicitur *draen* (Germanis hodie *dorn*) & herinaceus *draenog*, quaſi ſpinifer. Antiquitatem vocis Germanicæ teſtantur Gloſſaria. Nam in Gloſſis Pez. pervetuſtis & jam ſæpe laudatis ericius exponitur *igil*. Idem teſtatur quoque nomen proprium IGILLI, quod in Hiſtoria Zoſimi tribuitur cuidam Vandalorum Duci ab Imp. Probo capto circa A. C. 277. ut in Annal. Alam.

 oſten-

oſtendimus. Ejusmodi nomina a beſtiis petita, Majores noſtri maſculis ſuis conſulto imponebant, ut illos bellicæ virtutis admonerent, quæ in Herinaceo non eſt exigua. Nam dum hoſtem ſentit, contrahitur in orbem, & venanti aculeos ſuos tanquam ſagittas opponit, ut prehendi absque multis vulneribus non poſſit.

INFANTERIE, turmæ pedeſtres, proprie multitudo ſub uno ſigno certantium, alias phalanx. Gloſſ. R. Mauri: falanx vel multitudo *fendeo*. Nomen videtur accepiſſe a ſigno militari, quod Gothis dicitur *bandwo*, ut diximus in voce *Bannier*. Menagius hanc vocem in utriusque Linguæ Originibus ſilentio prætermiſit. Stiernhielmius in notis ad Verelii *Hervarar-Saga* pag. 117. derivat a *fant* puer, famulus, miniſter, quod in medio relinquimus.

IRMENSAUL, columna pyramidalis, a πῦρ ignis, flamma, quam imitari videtur, ſic dicta, quaſi *pirmenſaul*. Vox antiqua, de qua mira tradunt Auctores. Gloſſ. Pez. pyramides *irmanſuli*.

IÜNGER, diſcipulus. Tatiano *jungiro*, XLIV,16. Quaſi junior. Vox pure Francica, & a Francis nobis relicta. Nam Gothi diſcipulum vocant *ſiponeis*, quaſi ſectatorem, Angloſaxones *leorning-cniht*, quaſi ſervum doctrinæ, Alamanni interprete Kerone *diſco*, quaſi diſcentem.

K.

KAM, manus. Lex Salica habet *cham* eodem ſenſu, ut diximus ſupra in voce *Hand*. Quemadmodum autem ab *hand* derivatur *handlen* tractare, negotiari, quod antiquis moribus contractus dextra data concluderentur, ita a *cham* proveniunt *cambiare*, quod vetuſtum, & *cambire*, quod recentius, utrumque permutandi ſignificatu,

Digitized by Google

ficatu, & *cambium* permutatio & ſubſcriptio manûs. Utrumque enim ſignificare poteſt. Ex eodem fonte Italis eſt *cangiare*, & Gallis *changer* & *change*, item *echanger* & *echange*. Cuncta ex obſervatione Clariſſ. Eccardi in notis ad Leg. Salicam pag. 73. Hodie ceſſat: Præmitti tamen debuit ob ſequentes ſignificatus.

KAM, pecten. Angloſax. *camb*. Kero: pecten *canap*, picten *canpo*. A manu, antiquiore illo & naturali pectine, quo paupertas uti ſolet, & prima temporum ſimplicitas haud dubie uſa eſt, ad pecten arte factum, & manui perſimile, translatum. Inde *kæmmen* pro pectere, antiquum cenſeri debet, & æquale Latino *comere*, utpote cum illo ex eodem fonte prognatum.

KAM, juba equina. Quemadmodum ab actu pectendi ipſa cæſaries (ſic enim credere fas eſt) Græcis dicitur *κόμη*, Latinis *coma*, ita Germanis juba. Græci a *κόμη* formant *κομᾷν* comam alere, quod illis plane proprium, cum eo ſenſu nec in Latino, nec in Germanico idiomate reperiatur.

KAM, criſta Galli, compoſite *hanen-kam*. Kero: criſta *hanencamp*. Quod manûs vel pectinis inſtar ſerrata ſit.

KAM, ſummitas rei. Superat in compoſito: *helmkam* conus galeæ, interprete Viro Doctiſſ. Stilero in Theſauro Ling. Germ. quod cacumen Galli videatur referre.

KAM, mucor, rectius *kaum*, quod vide.

KAMPF, certamen. Keroni *chamfheit* militia. Cambris *campu* ludi, quales Olympici, Armoricis *camp* pugna. Inde Italis *campo* duellum, & Gallis *campagne* expeditio bellica. Huc etiam ſpectare videtur vox Latina *campus*, quam fruſtra deducunt a *κῆπος* hortus, cum multo veroſimilius ſit, illam origine Celticam eſſe, & denotaſſe primo certamen, ut Populis Celticis *camp*, poſtea vero mutaſſe ſignificatum. Hæc enim eſt conditio

Digitized by Google

multorum apud Latinos vocabulorum, ut duplicem habeant ſenſum, unum antiquiſſimum, ſed paulatim obliteratum, alterum recentiorem & ævo Auguſteo proprium. Et hos ſenſus probe diſtinguendos eſſe, recte monuit Perizonius in Reſponſione ad Küſterum.

KÆMPFEN, certare, pugnare. Keroni *chemfan* militare. Armoricis *campa* pugnare, teſte Pezronio. Cuncta a *cham* vel *kam* manus. Quemadmodum enim Græcis a μάρνη manus, recte & decenter derivatur μάρναμαι dimico, Latinis a vola involare, a pugnus pugnare: ita ſimiliter Germanis a *kam* manus, telo hominis naturali & antiquiſſimo belli inſtrumento, venuſte deducitur *kæmpfen*, pugnandi & certandi ſignificatu.

KÆMPFER, certator. Nomen militis apud antiquos. Hinc milites, qui interrogabant Johannem, quid faciemus? Luc. III, 14. interpreti Angloſaxonico vocantur *cempan*, Tatiano Franco *kemphon* XIII, 18. In Gloſſis Pezianis tiro exponitur *chempho*. Et in Gloſſis Iſidori *campiones* ſunt gladiatores, pugnatores. Inde duellator Gallis *champion*, Italis *campio*. Gothi neſciunt hæc vocabula, & milites vocant vel *militondans* a Latino militantes, vel *gadrauhteis*, cujus ſignificatio incomperta.

KÆS, caſeus. Cambris *caws*. Kero habet compoſitum *chaſeuuazzar* ſerum, aqua caſei. Sicut Romanis Græcisque butyrum diu fuit ignotum, ita viciſſim Barbaris caſeus. Plinius Lib. XI. cap. 41. *Mirum Barbaras gentes, quæ lacte vivunt, ignorare aut ſpernere tot Sæculis caſei dotem, denſantes id alioquin in acorem jucundum, & pingue butyrum.* Hinc conjicere licet, rem & nomen rei a Romanis ad Germanos æque ac Britannos perveniſſe, citius quidem ad Germanos (hos enim lacte, caſeo, & carne vivere, diſerte teſtatur Cæſar L. VI. de B. Gallico) ſerius ad Britannos, quos ætate Cæſaris nondum caſeo frequenter uſos eſſe, clariſſime apparet ex Strabonis verbis Lib. IV. *Moribus partim ſimiles Celtis, partim*

ſimpli-

Digitized by Google

ſimpliciores & magis barbari, adeo ut nonnulli, quamvis lacte abundent, caſeum tamen non conficiant propter ignorantiam.

KAISER, Imperator. Vox ab omnibus veterum Dialectis agnita & uſurpata. Hinc *Edictum ab Auguſto Cæſare* publicatum, Luc. II, 1. Gothis dicitur *gagrefts fram Kaiſara Aguſtau*, Angloſaxonibus *gebod fram tham Caſare Auguſto*, Tatiano Franco *gibot fon themo aluualten Kciſare*, Cap. V, 11. Nomen proprium Jul. CÆSARIS, Monarchiæ Romanæ conditoris, Auguſto primum adoptione, & deinde omnibus vel in Familiam Auguſtam & regnatricem, vel ad imperii communionem adoptatis communicatum: Tandem poſt devolutum ad Francos Germanosque Romanum imperium omnibus Imperatoribus tributum. Præſtat hoc fateri, quam cum viro Doctiſſimo Gerardo Mejero, Theologo quondam Bremenſe, nomen ab eligendo repetere. Quamvis enim *kieſen* pro eligere, in omnibus veterum Dialectis obvium ſit, & non ſolum priſcis illis adoptionibus, ſed etiam ſecutorum temporum electionibus pulchre conveniat, & nihil omnino obſtet, quo minus omnis, qui ſucceſſorem ſibi ſtatuit, appelletur *kieſer*, hoc eſt, elector: fieri tamen non poteſt, ut eodem vocabulo afficiatur is, qui ab alio ad hanc dignitatem electus eſt, quales ſunt hodie Imperatores, qui eliguntur, non eligunt.

KARG, parcus, avarus, quaſi *karig*, a ſollicitudine, quæ creſcentem ſequitur pecuniam, quæque Gothis dicitur *kar*, Angloſax. *caru* Angl. *care*, Camb. *cur*, Lat. *cura*. Inde Gallis *echars* præparcus, Italis *ſcarſo*, & *ſcarſita* parcitas.

KAUM, morbus, *kaumig* morbidus. Significatus proprius & antiquus, quamvis obſoletus. Tatianus cap. L. 2. *truog unſa cumida* portavit ægritudines noſtras. Otfrido *kumig* eſt ægrotus, languidus, *kumig ſuaro* graviter

viter languidus, *kumig man* homo morbidus, Lib. III. cap. 4. Gloſſ. Pez. fractos *chumiga*.

KAUM, mucor, vitium liquidorum ex longo ſitu, *kaumig* mucidus. Senſus figuratus, & ex priori ortus.

KEBSE, concubina, Angloſax. *cyfeſe*, teſte Somnero in Diction. Francis *keveſe*, teſte Willeramo in Cant. Canticor. pag. 115. *cuninginnan ande keveſe louenden ſie*, Reginæ & concubinæ laudabant illam. Germani utuntur compoſito *kebsweib* eodem ſenſu. Hiſpani habent *manceba* (quaſi dixeris *manskebſe*) haud dubie a Gothis, Svevis aut Vandalis relictum. Significat proprie pellicem. Nam *kebſen* eſt allicere, & natura ſua non ſolum de fœminino, ſed etiam de maſculino genere dicitur. Hinc ſervus, qui allicit & ſeducit, Eddæ Islandorum dicitur *kepſir*, teſte Verelio in Indice. Sic *lena* & *leno* apud Latinos æqualiter dicuntur a lenocinio. Antiquiores eodem aut ſimili verbo uſos eſſe, patet ex Gloſſis Theotiſcis R. P. Pezii, in quibus pellicatus exponitur *chepiſoth*. De terminatione *oth* vel *ode* vide Prolegomena. Kiliano in Etymologico *kebſen*, *keveſen*, *keefſen* eſt fornicari, ſenſu a pellicatu petito. Inde Weichbildo Saxonico *kebiſch* fornicaria, & *kebs-kind* nothus, ſpurius, Art. IV. *Man ſpricht, daſs kein kind ſeiner Mutter KEBSKIND ſey, das iſt aber nicht, denn ein weib mag eheliche kind, kebskind, und eigene kind gewinnen. Iſt ſie eigen, mag man ſie frey laſſen, iſt ſie KEBISCH, ſie mag einen ehelichen mann nemen, und ehekind (immer) gewinnen bey im.* Plura compoſita, quæ olim in uſu fuerunt, nunc autem ceciderunt, cerni poſſunt apud Kilianum & Somnerum proxime citatos.

KEINER, nullus. Abſque exemplo. Antiquitas dixit compoſite *niheiner*, a *nih* non, & *einer* ullus, quod vide apud Keronem in *Nullus*. Poſteritas contraxit primo in *heiner* ſive *cheiner* per aphæreſin (nam H. priſcis ſemper

Digitized by Google

ſemper pronunciabatur ut CH. quod non poteſt ignotum eſſe iis, qui Keronem & Iſidorum familiariter noverunt) poſtea vero transformavit in *keiner.* Nam H. in ore vulgi facile tranſit in C. vel K. ut notabimus aliquando in nominibus propriis. Gothis nullus eſt *niainshun*, ab *ains* unus, & negativo *ni*: Angloſaxonibus *nan*, quaſi *na-an*, non unus. Videmus interim antiquas voces plerumque præſtare novis, & novas, quibus tantopere delectamur, ſæpe enormiter vitiatas eſſe.

KEULE, clava, telum vel inſtrumentum ligneum. Vox antiqua. Gloſſ. Pez. tribula *driſcilun.* Hodie dicimus *dreſchkeule.* N. van Gravenberg inter Scriptores Parænet. Goldaſti pag. 378.

Gros wundan und bullen,
Von ſwert und von kullen.

Græcis κᾶλον, lignum, & teſte Feſto etiam clava lignea, unde nomen ſervis *Calonibus* inditum, quod ejusmodi clavas ad dominorum defenſionem geſtarent. Κῆλον, telum ligneum. Scapula videtur derivare a καίω cremo, quod forte κᾶλα illa fuerint ſudes præuſti. Verum cum litera L. ſit radicalis, & ab omnibus vocibus cuſtodita, hinc veroſimile eſt, illas in alio quodam verbo, quod vetuſtas abolevit, convenire. Olim animadverti, quædam nomina & ſimulacra Deorum ſic eſſe comparata, ut, ſi interpretationem Celticam adhibeas, nomen perfecte reſpondeat imagini, & imago nomini, & utrumque idem loquatur. Hujus obſervationis ſat ampla documenta dedi aliquando Berolini ex nominibus *Veſta, Taranis, Hermes, Artemis, Bacchus, Ares* & *Hercules*, eorumque ſimulachris, daturus reliqua in Originibus. HERCULES (nam cætera nunc omitto) ſignatur cum clava. Clava Celtice dicitur *kule*, quod eſt nomen imaginis, ſi non totum, certe dimidium nominis. Nam altera pars, ſi Celticas origines non adſperneris, multitudinem

dinem ſignificat. Cauſa nominis eſt, quod Hercules ejusmodi clavam ad tutelam humani generis geſtaret. Refert enim Diodorus, Herculem ſine ullis armis ſolo Ligno Terram a beſtiis repurgaſſe, cum homines adhuc inermes a multitudine ferarum opprimerentur. Vidit hanc Etymologiam in Scriptis meis ante aliquot annos Vir nobilis & prædoctus Joh. Theodor. Jablonski, eamque calculo ſuo poſtea adprobavit in Tacito ſuo Germanice loquente pag. 39.

KIND, infans, ſoboles. Gloſſ. Boxhorn. *chind* ſoboles. Keroni *chind* puer, filius, infans. Vox Francica & Alamannica, ſed origine Angloſaxonica, ſignificans proprie gnatum. Nam partus ſequitur ventrem: venter autem eſt penes Angloſaxones. Quamvis enim ipſi partum non agnoſcant, cuſtodiunt tamen matricem *cennan* generare, conſentientibus Græcis, quibus *γεννᾷν* idem ſignificat. Inde nomen generi *cynne*, & genito *cenned*, quod ab Alamannis & Francis contrahitur in *chind*. Hiſce conſentiunt quædam Cambrica, quæ vide in Præfatione.

KIRCHE, eccleſia, ſive cœtus ſit, ſive ædificium. Angloſax, *cyric*, *circ*, Alamannis & Fr. *chirihh*. Kero: oratorium *chirihh*, in oratorio *in chirihhun*. Cum vetus traditio ſit, Eccleſiam ſic nuncupatam eſſe a Græco *κυρι-ακῇ*, quaſi Dominicam, quod Domino dominantium & Regi Regum in illa ſerviatur, teſte Walafrido de rebus eccleſiaſticis, cap. VII. Scriptore a primordiis Chriſtianæ Religionis inter Francos haud procul remoto: idcirco ab hac voce abſtinendum putavi ob reverentiam antiquitatis. Si quæratur, qua occaſione ad nos veſtigia hæc Græcitatis advenerint, reſpondet Walafridus: *Barbaros in Romana republica militaſſe, & multos Prædicatorum Græcæ & Latinæ locutionis peritos inter has beſtias, cum erroribus pugnaturos veniſſe: & eis pro cauſis multa noſtros, quæ prius non noverant, utilia didiciſſe,*

præci-

præcipueque a Gothis (qui & Guttoni) cum eo tempore, quo ad fidem Chriſti, licet non recto itinere perducti ſunt, in Græcorum provinciis commorantes, noſtrum, id eſt, Theotiſcum ſermonem habuerint. Reſtat, ut vocem ipſam, quam noſtri a Gothis forte reportarunt in Germaniam, ſi poſſum, oſtendam. In Evangelio Gothico occurrit vocabulum *kelik*, non quidem pro Templo (nam Templum Hieroſolymitanum Gothis dicitur *alh*) ſed modo pro turri, Luc. XIV, 28. modo pro cœnaculo, Marc. XIV, 15. Quod, cum nullam habeat cum reliquis vocabulis Gothicis cognationem, videri poterat corruptum ex Græco *κυριακή*, relatumque a ſacris Græcorum ædibus, quæ plerumque turriformes erant, & cœnaculis publicis ob convivia myſtica ſimiles, ad alia quoque ædificia non ſacra ſignificanda. Itaque Præcones illi ex Græcia in patriam reverſi, purgato ab uſu profano vocabulo, Eccleſiam primo dixerunt *kilich*, vel contracte *kilch* a Gothico *kelik*, qua voce Gothi non ſolum turres & cœnacula, ſed etiam Eccleſias Græcorum, & prius quidem has, quam illas, videntur denominaſſe. Hinc Symbolum veteris Eccleſiæ apud Goldaſtum Tom. II. Rerum Alam. vocatur *chry dir altin Kilchin*. Sapientes vero, ut vocem a Gothis vitiatam Græcitati & ſanitati reſtituerent, Eccleſiam communi conſenſu appellarunt variantibus Dialectis *cyric*, *chiribh*, *kirch*. Cuſtodiunt tamen vetuſtum & primævum vocabulum hodie Helvetii, quibus templum & eccleſia dicitur *kilch*, teſte Pictorio in Dictionario. Ante chriſtiana tempora, Delubra & Lararia Deorum in Lucis, Saxonibus vocabantur *hærg*, *hearge*, Francis *harah*, obſervante Clariſſ. Eccardo in notis ad Leges Ripuarias pag. 213. Quibus addi poſſunt *horg*, ex Voluſpa Islandica Stroph. VII. & *pluostarhus* ex Gloſſis Pezianis. Et quamvis *hærg*, *harah*, *chirih*, & *kerk*, ſe mutuo referant, ita ut poſteriora videri poſſint ex prioribus orta: credibile tamen non eſt, pri-

Digitized by Google

mos Francorum & Saxonum Apoſtolos voluiſſe vocem Idoleis propriam in denominandis Chriſti ædibus retinere, quæ potius ex hominum memoria fuerat delenda. Alii alias vocis origines quærunt. Lipſio *kirch* derivatur a *cirh* circus, undè Keroni circulus dicitur *umbincirh*: R. D. Diecmanno a *rihhi* regnum, mediante præfixo *chi*, quod Eccleſia ſit regnum Chriſti. Fontes Hebræos, utpote remotiores, & cæteris minus probabiles, nunc omitto.

KLAUEN, ungues in genere volatilium, ungulæ in genere quadrupedum. Gloſſ. Pez. ungula *cloa*, in ungue *in chlauvo*. Verel. in Indice, *klo*, unguis. In idiomate Angloſaxonico occurrit *cloſen*, fiſſus, haud dubie a verbo *cleſan* vel *clyſan* findere. Franci eodem ſenſu dicunt *chliuban*. Gloſſ. Pez. finderit *chliubit*. Ab hoc verbo nomen invenit, quicquid vel a natura, vel aliunde fiſſum eſt. Hinc ſcil. pedes fiſſi animalium dicuntur *klauen*. Hinc lignum fiſſum *klau*, ſaltim in Saxonia inferiore. Hinc ames, pertica, lignum fiſſum aucupio faciendo, *klobe*. Cuncta, uti patet, a fiſſura vel naturali, vel aliunde facta.

KLAUEN, ungues ipſius hominis, ſaltim in lingua ruſtica, ob ſimilitudinem manus fiſſæ cum pedibus fiſſis animalium. Habent autem ruſtici, quo vocem ſuam tueantur, auctoramentum antiquitatis. Leges Friſionum in Addit. Tit. III. art. 44. *Si quis alium unguibus crataverit, ut non ſanguis, ſed humor aquoſus decurrat, quod CLADOLG vocant.* Id eſt, vulnus ex unguibus. Nam *dolg* in iisdem Legibus Tit. XXII. vulnus ſignificat, nec Friſionibus tantum, ſed etiam Angloſaxonibus in Dictionario Somneri, & Francis apud Otfridum Lib. III. cap. 25.

Thaz ſigiſunt ther ſelbo folk
Thuruh thes einen mannes dolk.

Ut

Ut ſanetur populus
Unius hominis vulnere.

KLAUEN, manus hominum rapacium & habendi cupidorum, ob ſimilitudinem cum unguibus aquilinis aut milvinis, quæ non facile dimittunt prædam.

KLOBE. Vide *Klauen.*

KNECHT, proles maſcula, alias puer, ſaltim ex uſu veterum. Tatianus puerum Johannem vocat *knecht* IV, 13. & puerum Jeſum bis, IX, 2. 3. Idem de Herode infanticida X, 1. *arsluog alle thie knehta, thie thar uuaren in Betleem*, occidit omnes pueros, qui erant in Betlehem. Hodie utimur diminutivo *knechtlein* pro puerulo.

KNECHT, ſervus, miniſter, famulus. Angloſ. *cneoht, cniht*, Franc. & Alam. *kneht* vel *chnecht*. Gloſſ. Pez. ſervos *chnechta.* Inde Gallis *naquet* pro ſervo, judice Huetio in Gloſſariolo apud Tilladetum inter Diſſertationes varii argumenti Tomo II. pag. 133. Hebræis *kohen* ſervus, miniſter, *kahen* miniſtravit. Græcis κονέω, διακονέω, ſervio. Cuncta, ut videtur, affinia, & ex lingua primigenia oriunda.

KNECHT, qui operam dat præceptori, qui pendet ab ore magiſtri, in quavis diſciplina. Eſt enim quoddam artium & ſcientiarum, & doctorum etiam, qui illas profitentur, in ingenia humana imperium, & horum legibus & præceptis parere utile eſt & neceſſarium omnibus, qui ad ſapientiam aut cognitionem alicujus rei contendunt. Hinc Angloſaxones eleganter admodum diſcipulum vocant *leorning-cniht*, quaſi ſervum doctrinæ, & diſcipulos Domini *his leorning-cnihtas*, in locis innumeris Evangeliorum. Et quamvis nihil obſtet, quo minus quemvis initiandum *lehrknecht* appellemus, hodie tamen eſt opificum proprium.

KNECHT,

Digitized by Google

KNECHT, miles, ſervus martius, qui ſtipendia meretur in caſtris. Gloſſ. Pez. militones *chenehta*. Utimur hodieque eodem ſenſu, præſertim in compoſitis. Hinc *landsknechte* nobis dicuntur, qui arma ferunt ad ſervitium patriæ, qui ferrum excipiunt pro dominis, *reiſige-knechte* equites, *fuſsknechte* pedites, *lanzknechte* lancearii. Quod Galli imitantur in *lansquenet*, quamvis corrupte.

KÖNIG, Rex. Angloſax. *cyning*, *cynig*, *cyng*, Alam. *chuning*, Francis *kuning*. Kero Monachus in interpretatione Regulæ S. Benedicti Pipino imperante conſcripta: Regi *chuninge*. Iſidorus Hiſpalenſis Kerone vetuſtior pag. 264. *ano chuninc*, *ano herrun*, ſine Rege, ſine Domino. Tatianus Kerone inferior VIII, 2. *tho thar giborta Herodes ther cuning*, quum hoc audiret Herodes Rex. Otfridus Tatiani æqualis in Carmine ad Ludovicum Regem Francorum Orientalium:

Er Oſtarriche rihtit all,
So Frankono Kuning ſcall.

Quum hoc nomen ſit antiquiſſimum, & haud dubie iis temporibus natum, quando Regibus Germanorum nec libera nec infinita erat poteſtas, & auctoritas ſvadendi magis quam jubendi, teſte Tacito de moribus Germanorum, cap. VII, & XI. hinc fieri non poteſt, ut Rex antiquitus habuerit nomen populo inviſum, aut a potentia deſumtum. Olim enim imperia ſic erant temperata, ut non minus haberet in Regem juris multitudo, quam ipſe in multitudinem, prout ipſe Eburonum Rex Ambiorix fatetur apud Cæſarem de Bell. Gall. Lib. V. cap. 27. Tacitus diſerte ſcribit: *Reges ex nobilitate ſumunt*, cap. VII. Celebrat & *nobile Marobodui & Tudri Genus*, unde Marcomannis Quadisque ad ſuam usque memoriam Reges manſerunt, cap. XLII. & *ſtirpem regiam* ſive regnatricem apud Batavos, unde Claudius Civilis ortus, Hiſt.

Digitized by Google

Hiſt. IV, 13. Quæ ſatis declarant, Reges ex UNO GENERE, tanquam ex ſacra ſtirpe antiquitus proceſſiſſe. Ab hoc igitur Genere potius, quam a poteſtate aut fortuna regia, nomen Regibus antiquis inditum eſſe reor, etiamſi poſterior originatio moribus noſtris magis congruat. Reſtat, ut vocabulum rei oſtendam. GENUS in omnibus veterum Dialectis eodem & conſonante vocabulo dicitur, Gothis quidem *kun*, Angloſax. *cynne*, Alam. *chunne*, Francis *cunni* vel *kunne*. Kero: Genera *chunni*, generibus *chunnun*. Tatianus V, 7. *Chriſtus cunni uuas ſo*, Chriſti generatio ſic erat. Otfridus Evangel. Lib. I. cap. 7. *ſon kunne zi kunne*, de generatione in generationem. De terminatione *ig* vel *ing*, quæ Generi annexa, neceſſario generoſum & præſtanti genere ortum efficit, vide Prolegomena. Quum igitur tanta fuerit regii Generis apud Priſcos reverentia, quid mirum, ſi Reges ab eodem Genere, quo cæteros mortales antecellunt, nomen duxiſſe putemus? Nonne nobilitas Regum hodieque apud Franco-Gallos in proverbium abiit, quibus nihil familiarius hac voce, *noble comme le Roi*, nobilis inſtar Regis? In reliquis veterum Dialectis, Reges alia habent nomina, ſed non tam ſplendida, nec a nobilitate, multo minus a potentia deſumpta. Gothis Rex dicitur *Thiudans*, quaſi tribunus, a *thiuda* plebs, populus, Burgundionibus *Hendinus*, quaſi ſenior inter cives, ab *hen* vetus, & *dyn* homo, vocibus Cambricis. Vocabulum Burgundicum cuſtodivit Marcellinus Lib. XXVIII. cap. 5. ſed hactenus a nemine, quod ſciam, tactum aut explicatum.

KRIEG, bellum. In Monumentis Runicis pag. 200. occurrit *kri*. Sed hanc lectionem Ol. Wormius merito repudiat. Cambris *cyrch* eſt inſultus, impetus, incurſus, expeditio bellica, teſte Boxhornio in Vocab. antiquo-Britannico. Inde noſtri videntur formaſſe nomen *krieg*, quo ſæculo, aut qua occaſione, incertum. Vox

certe

Digitized by Google

certe nec domeſtica eſt, nec vetuſtate notabilis. Quamvis enim magnam hodie familiam ducat, nova tamen ſunt omnia, quæcunque inde prodierunt. Antiqui habent *wig* in omnibus Dialectis. Gloſſ. Lipſ. *wige* proelium, bellum, *wigis* belli, *wiga* proelium. Gothis *wigan* eſt belligerare, Angloſaxonibus *wig* bellum, *wiga* bellator, *jung wiga* tyro. Ab his poſtea exiſtunt innumera compoſita in omnibus Dialectis, cujusmodi ſunt, *uuiclibho* bellicoſus in Gloſſ. Boxhorn. *wigcræft* ars bellica, & alia quam plurima idiomati Angloſaxonico propria apud Somnerum, *uuidaruuigo* rebellio in Gloſſ. Keron. *einvigi* monomachia, *vikingur* pirata, in Indice Verelii.

KUH, vacca. Scribe *ku*, ob reverentiam antiquitatis. Nam vacca Angloſaxonibus dicitur & ſcribitur *cu*, & butyrum in Gloſſ. Lipſ. *kuosmeer*. Videtur affinitatem habere cum voce naturali *bu*. Quam facilis autem ſit literarum B. & C. in ore vulgi converſio, vel hinc apparet, quod Latinis ex *βάλανος* fit *glans*, ex *πρέσβυς* priſcus, Germanis ex *hübel* (quod Miſnicum eſt, & genuinum, ab *heben* levare) *hügel* collis. *Bu* pro vacca vel tauro habent veteres Britanni, teſte Boxhornio in Vocab. Antiq. Brit. & priſci Septemtrionales apud Verelium in Indice. Græci habent *βȣ̃ς*, Latini *bos*, Cambri hodierni *buwch*. Habent & Hottentotti *bubaa*, eodem ſenſu, teſte M. Kolbio in opere Germanico de his Barbaris copioſe conſcripto. Quid mirum, id illos habere, cum habeant vocem Naturæ? Ex his *bu* ſimpliciſſimum & antiquiſſimum eſt, & mugitum animalis citra additamentum exprimens. Latini cuſtodiunt hoc primitivum in *bubalus*, *bubulus*, *bucula*, *bubulcus*, & ſimilibus vel compoſitis vel derivatis, Cambri *in bugad* mugitus boum, *bugail* bubulcus, *bugeilffon* pedum, quæ vide apud Boxhornium in Vocabulario ſæpe laudato. Perſis bos fœmina dicitur *ghav*, Latinis inverſis literis *vacca*, quæ ſatis conveniunt cum voce Germanica *ku*. Qui Græcas origines amant, deri-

derivare ſolent a *κύω* concipio, quod vacca ſit matrix armenti.

KÜZ, *küze*, *küzle*, & *küzlein*, capella. Superat Svevis, dum apud reliquos Germanos pene obſoleſcit. Vox origine Sarmatica, toti familiæ caprinæ propria, & Svevis a Slavis, ut videtur, Carolo M. imperante Sveviam inundantibus, forte relicta. Nam Sorabis, genti Slavicæ, capra dicitur *koza*, caper *kozol*, hædulus *kozlo*, teſte Frenzelio in Originibus Linguæ Sorabicæ.

L.

LÆKEN, calcitrare. Utitur hoc ſenſu Lutherus in Verſione vernacula Ezech. XXXIV, 21. Act. IX, 5. Græci dicunt λακτίζειν, quod eſt ab adverbio λάξ cujus interpretatio Latina difficilis eſt, quia duplicem calcium motum, ſurſum retrorſumque ſignificat. Noſtrum vocabulum eſt a Gothis. Hos enim, cum adhuc in Dacia & Græcia militarent, multa Græca, quamvis mire depravata, ſermoni ſuo immiſcuiſſe, & poſtea Germanis tradidiſſe, tam certum eſt, ut pene axiomatis loco haberi queat, pleraque quæ Germani Græce loquuntur, Gothis accepta ferenda, etiamſi Codice Argenteo, monumento parvo, lacero, & faucibus temporis ægre erepto, non contineantur. Hodie dicimus *hinten-ausſchlagen*, quod vim & poteſtatem vocabuli Græci exacte exprimit.

LÆKEN, ſaltare, exultare. Senſus ſecundarius ad ſalientes traductus, quod jactatis in altum calcibus, calcitrantibus ſimiles ſint. Utitur Lutherus hoc ſenſu Eſa. XXXV, 6. & Ambroſ. Lobwaſſer Pſal. XXIX, 3. Gothi habent *laikan* eodem ſenſu, a Græco λακτίζειν. Græci utuntur eodem verbo in ſaltationibus denominandis. Hinc illis quoddam ſaltationis genus dicitur ἐκλάκτισμα, quod jactatis in altum calcibus fiebat, teſte Scapula in Lexico.

LÆKEN.

LÆKEN, currere. Senſus ad omnes currentes, quod currendo calcitrare videantur, extenſus. Uſus eſt Lutherus hoc ſenſu in quibusdam locis Ieremiæ exprimendis, quæ vero nunc vitiata ſunt a typographis. Hodie obſoleſcit.

LAICH, ſemen genitale piſcium atque ranarum. Islandis *leikur* eſt ipſe luſus avium & piſcium, teſte Verelio in Indice. Vide plura in *Laichen*.

LAICHEN, dicitur de piſcibus & ranis, quando verno tempore in venerem ſtimulantur. Significat proprie ludere, eſtque verbum Gothis inprimis & Islandis uſitatum. Gothi habent *bilaikan* illudere, haud dubie a ſimplici *laikan* ludere. Islandis *leika* eſt ludere, *leikar* ludi, *leikari* ludiones, *aleika* illudere. Stiernhielmius *laikan* ſalire, exultare, & *laikan* ludere, habet pro cognatis: quod non procul abeſt a vero, cum ſenſus poſterior ex priori facile potuerit prognaſci, & dictio a ſaltu quocunque ad ſaltum venereum extendi. Hinc *ſalire* etiam Latinis de coitu animalium dicitur, quamvis non omnium promiſcue, ſed pedeſtrium tantum. Nam ſalire præſupponit pedes. Et hinc *laichen* ſaliendi ſenſu videtur ab initio dictum fuiſſe tantum de animantibus gradientibus, poſtea vero etiam piſcibus, qui etiamſi pedes non habeant, exſultare tamen videbantur, communicatum. Hodie ſolis piſcibus & ranis hæret, ſed cum aliqua laſciviæ idea. Nam quod veteres modeſtiſſime dicebant ludere, in ore noſtro contraxit labem, notatque hodie laſcivire, & ſemen emittere. Et hinc porro *laich*, ſemen ex luſu.

LAKEI, curſor, ſervus a pedibus. Gallis *laquay*. Vox a Gothis in Gallia proſeminata. Fidem rei facit terminatio *ei*, quæ pure Gothica eſt, ut diximus in Prolegomenis, & verbum *laikan*, quod interpreti Gothico eſt exſultare. Hinc *lakei* ſenſu Gothico eſt ſaltator, qui curſum magnis ſaltibus jactisque in aerem calcibus accelerat,

Digitized by Google

lerat, cujus ſynonymum hodie *ein Springer*. Germanis *læken* ante ducentos annos ſignificavit adhuc currere, & ſalire, ut vidimus in voce.

LALLEN, corrupte & impedite loqui, ut ſolent pueri, Latinis *lallare*. Inde nomen Deo *Lallo*, qui balbis præeſſe næniis fingitur. Græcis λαλεῖν eſt loqui ſimpliciter.

LANZE, Gallis *lance*, Italis *lancia*. Vox a Celtis relicta, & in Linguam Græcam & Latinam e Celtico ſermone traducta. Hinc optime Varro apud Gellium Lib. XV. cap. 20. dixit, *Lanceam non Latinum, ſed Hiſpanicum verbum eſſe*. Hiſpanicum, puta Celtibericum, quod ante omnes Pezronio obſervatum in Antiquitatibus Celticis pag. 281. *Si ce mot venoit des anciens Eſpagnols, comme Varron le dit, il ne pouvoit venir, que des Eſpagnols appellez CELTIBERES, c'eſt a dire, des Celtes êtablis en Eſpagne.* Operæ pretium erat, hoc deſcribere, quia video ſenſum Varronis adhuc fugere interpretes Gellii. Erat enim res & nomen rei omnibus quondam populis Celticis commune, non Celtis tantum Hiſpanicis, ſed etiam Gallicis, Britannicis, & Germanicis, quod fuſe probat Cluverius in Germania Antiqua Lib. I. cap. 44. pag. 295. Idem dicendum de voce Græca λόγχη. Hodie eſt haſta longa & gravior, olim brevior & vibrabilis, teſte Diodoro Lib. V. ubi de Gallis & Germanis univerſe inquit: *Haſtas jaciunt, quas ipſi Lanceas appellant.* Hinc Poëtis *telum volatile* dicitur apud Cluverium. Habet autem nomen a vibrando, plane ut jaculum a jaciendo. Radicem cuſtodiunt in hunc usque diem Armorici in *lança* jaculari, Galli in *lancer*, cujus ſynonymum eſt *jetter*, Itali in *lanciare*, Hiſpani in *lanza*. Omnes eodem ſignificatu. Germanis radix periit. Modum jaculandi deſcripſit Cluverius loco citato, quem vide.

Digitized by Google

LAUSTEREN, auſcultare, venari auribus. Angloſaxonibus *hlyſtan*, Anglis *liſten*, Belgis frequentative *luyſteren*. Germani videntur hanc vocem a Belgis accepiſſe, Angli a Saxonibus, Saxones ſuam formaſſe ab inſtrumento. Nam auris Interpreti Angloſaxonico Luc. VII, 1. vocatur *hlyſt*, Cambris *cluſt*. Inde *hlyſtan*, & reliqua, plane ut Latinis *auſculto*, ab ȣ̃ς auris. Solent enim verba ſenſuum apud omnes populos ab inſtrumentis peti, ut *ecce* & *ἀυγάζειν* cernendi ſignificatu, a Celtico *eac* vel *aug*, oculus. Cum Cambrica voce convenit *κλύω* audio.

LEBKUCHEN, melipecta, placenta ex melle. Prior pars compoſiti eſt a *laffen* lambere, quod extat eo ſignificatu in Gloſſ. Boxhornii. Poſterior opus piſtorium ſignificat.

LECH. Vide *Leken*.

LECKEN, lambere. Gothis *laigwan*, *bilaigwan*, Angloſax. *liccian*, *liccan*, Græcis *λείχειν*, Latinis *lingere*, Hebr. *lachak*, lambit, linxit. Svevi utuntur *ſchlecken*, & Sveci *slicka* eodem ſenſu.

LEFZEN, labia. Keroni *leffa*. Willeramus in Cant. Canticorum pag. 101. *ſine leffa ſint lilion*, labia ejus ſunt lilia. A *laffen* lambere, quod extat in Gloſſis Boxhornianis. Conſentiunt ſono & ſignificatu Latina *lambere*, *libare*, *labia*, *libamen*, *libum*, & ſimilia.

LEICHDORN. Vide *Leiche* primæ ſignificationis.

LEICHE, corpus animatum. Gothis *leik* caro viva, Marc. X, 8. & paſſim. Angloſaxonibus *lic* idem ſignificat, ut ex Beda aliisque Codicibus probat Fr. Junius. Uſum Francorum & Alamannorum teſtatur Iſidorus pag. 253. *Gotes ſunu in lühhe chiboran*, filius Dei in carne natus. Et mox: *in fleiſches lühhem man uuordan*, in corpore carnis homo factus. Hic ſenſus Germanis in deſvetudinem venit. Superat tamen in compoſitis,

Digitized by Google

poſitis, *leichdorn* clavus, quaſi ſpina carnis, *leichmal* cicatrix, nota genitiva. Ad conſenſum Linguarum fortaſſe referri poteſt, quod Arabibus caro *lachma* dicitur.

LEICHE, corpus inanimatum. Gothis cadaver Johannis dicitur *leik*, Angloſax. *lic*, Marc. VI, 29. & cadavera Sanctorum, qui in ſepulcris dormiunt, *leika* & *lichaman*, Matth. XXVII, 52. Uſus Francorum patet ex his de funere Domini apud Otfridum rythmis Lib. IV. cap. 35.

Biuuuntun ſie tho ſcono
Thia ſelbun lih frono,
Mit lininemo duache,
Joh ſorglichemo ruache.

Tunc religabant pulchre,
Corpus illud illuſtre,
Linteis pannis,
Et anxia cura.

LEICHMAL, Vide *Leiche* primæ ſignificationis.

LEICHNAM. corpus. Angloſax. *lichama*, Keroni *lihham*. Vox ex Alamannica vel Saxonica per epentheſin formata, aut potius vitiata. Significavit olim corpus vivum & mortuum, plane ut *lih*, *lic*, vel *leich*, quod compoſitionem ejus ingreditur. Videamus primo de corpore vivo. Inſignis locus eſt Matth. V, 29. 30. *Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum potius, quam totum corpus tuum eat in Gehennam.* Hunc ſacræ verſiones Veterum eodem vocabulo reddunt. Angloſaxonica: *witodlice the ys betere, that an thinra lima forwurthe, thonne eal thin Lichama fare to helle.* Francica Tatiani, XXVIII, 2. 3. *bitherbi iſt thir, thas furuuerde ein thinero lido halt, thanne al thin Lihhamo gange in hella fuir.* Similiter verba Domini apud Matthæum Cap. VI, 25. *Nonne anima plus eſt quam eſca, &*

Digitized by Google

corpus plus quam veſtimentum? Angloſaxonice vertuntur: *hu nys ſeo ſawl ſelre thonne mete, and cower Lichama betera thonne that reaf.* Francice apud Tatianum XXXVIII, 1. *Jo iſt thas ferah furira thanne thas muos, inti furira the Libhamo thanne thas giuuato.* Quomodo Saxones & Franci ex *lic* vel *lib* fecerint *lichama* & *libham*, ſe docuiſſe ſcribit Fr. Junius in Annotatis ad Tatianum. Verum cum nobis Germanis non liceat frui hoc theſauro, in Bibliotheca Oxonienſe adhuc ſepulto, lumen verbo obſcuro aliunde petendum eſt. Clariſſ. Hickeſius in Gram. Angloſax. pag. 191. vocem Saxonicam componit ex *lic* corpus, & *ahma* ſpiritus, quod Gothicum eſt. Verum cum hæc compoſitio in ſpiritum deſinat, natura ſua aptior erit ad animam ipſam quam ſedem animæ ſignificandam. Somnerus vocem compoſitam putat ex *lic* corpus, & *hama* cutis, tegmen, quod, ſi recte intelligatur, non eſt contemnendum. Jam enim ſupra demonſtravimus in voce *Heim*, quod *hama* Priſcis ſæpe in compoſitis ſignificet locum, ſedem, & circumferentiam rei naturalem. Quid obſtat, quo minus *lic*, vel *lib* ſumatur adjective pro corporali, plane ut *leib*, alterum corporis vocabulum, in voce *leibheim*, ita ut totum compoſitum ſignificet, ſedem & domicilium corporale, animæ puta incorporalis? Conſtat enim ex Odini morientis verbis apud Snorronem in Hiſt. Regum Septemtrional. Part. I. cap. 10. noſtros, quamvis a Rel. Chriſtiana adhuc alienos, conſtanter crediſſe, animam poſt mortem corporis ex *Leibheim*, hoc eſt, ex domicilio terreno & corporali, tranſire in *Gottheim*, id eſt, in Cœlum & locum beatorum, & hac de animarum immortalitate fiducia mortem ſpreviſſe in proeliis, tanquam animam mox recepturos, quod pluribus veterum teſtimoniis, inprimis Cæſaris, Diodori, Melæ, & Lucani, probat Cluverius in Germ. Antiqua Lib. I. cap. XXXII. Quibus nunc addo Valerium Maximum, qui hanc Cimbrorum perſuaſio-

ſvaſionem, *fortem & alacrem* *PHILOSOPHIAM* vocat, Lib. II. cap. VI. Merito igitur primi Evangelii in Germania Præcones hanc vocem, quamvis paganam, retinuerunt. Reſtat, ut videamus teſtimonia de corpore mortuo, qui ſignificatus proprie eſt hujus loci, quoniam *leichnam* hodie non niſi de corpore inanimato dicitur. In Evangelio Angloſaxonico corpora Sanctorum, qui in ſepulcris quieſcunt, vocantur *halige lichaman the ær ſlepon*, Matth. XXVII, 52. Similiter Tatiano corpus Chriſti exanime, quod Joſephus ab Arimathia indultu Pilati accepit, acceptumque linteis involvit, dicitur *lichamo*, CCXII, 5. 7. nec Tatiano tantum, ſed etiam Otfrido Lib. IV. cap. XXXV.

Pilatus quad, er dati,
So ſo er ſelbo bati.
Hiaz er imo irgeban ſar,
Then ſelbon lichamon thar.

Reſpondit Pilatus: faceret,
Ut ipſe rogavit.
Juſſitque reddi protinus illi
Hoc ipſum Corpus.

Quod nemini debet mirum videri. Quamvis enim cadaveri non conveniat etymologia, recte tamen & decenter ob memoriam priſtini conjugii, quod olim fuit inter animam & corpus, & reverentiam mortuis debitam, corpus, utcunque ab anima derelictum, vocatur hoſpitium animæ, & honeſtius quam cadaver.

LEIN, ſemen lini, linum ſativum. Primitivum reliquorum, quæ ſequuntur, & ſolis Germanis cuſtoditum. Nam *linum*, abſolute poſitum, unde filamenta & telæ lineæ fiunt, non eſt res naturalis, ſed manu facta, & immenſo labore ex caulibus herbæ, quæ ex lino ſativo progerminat, humanis uſibus præparata.

Digitized by Google

LEIN, ſtupa. Græcis λίνον, Latinis *linum*, Francis & Alam. *lin.* Tatianus LXIX, 9. *inti lin riohhenti ni leskit*, & linum fumigans non exſtinguet. Eadem res Islandis dicitur *lin*, teſte Verelio in Indice, Armoricis *llin*, Gallis *du lin*, Italis & Hiſpanis *lino.* Hodie *lein* pro ſtupa Germanis obſoleſcit, & in ore omnium eſt *flachs*, vox ab Angloſaxonibus nobis relicta.

LEINE, funiculus ex ſtupa. Græci & Latini utuntur eodem vocabulo in piſcatu. Hinc chorda, unde hamus dependet, Græce dicitur λίνον, Latine *linea.* Notum eſt illud Poëtæ: *ſentit tremulos linea piſces.*

LEINEN, quicquid ex ſtamine lini contextum eſt. Græcis λίνεος, Lat. *lineus*, *linteus*, Francis & Alam. *linino.* Otfridus Lib. IV. cap. XXXV. *Mit lininemo duache*, pannis linteis. Integrum locum vide ſupra in *Leiche* ſecundæ ſignificationis.

LEINWAND, opus textrinæ, ex ſtamine lini confectum. Græcis λίνον, Lat. *linteum*, Cambris *llenn*, *lliain*, Gallis *linge.* Significat proprie linteamen, velum, & amictum ex linteo. Nam *wand* priſcis eſt amictus. Gloſſ. Lipſ. *wanda* veſtimentum. Oriturque per epentheſin a *wat*, ejusdem ſignificatus. Veteres compoſitum noſtrum ignorant, & linteum atque linteamen vocant vel *lein* ſimpliciter, ut Gothi, vel *lininun lachan*, ut Tatianus CCXX, 3. 4.

LEINWAT, idem quod *leinwand*, nempe quodvis textum ex lino. Angloſaxonibus *linwæda.* Vi compoſiti ſignificat veſtimentum ex linteo. Gloſſ. Lipſ. *wat*, veſtis, veſtimentum. Totam familiam hujus vocis exhibet Kero in Gloſſis: veſtimenta *kiuuati*, veſtitus *keuuatoter*, veſtiti *kiuuattote*, veſtire *uuatten.* Quod eſt primitivum reliquorum. Verum uſus, qui ſolet omnia pervertere, vocem indumentis lineis propriam, ipſi linteo dicavit. Quanta ſit lini ſeges in Germania, quanta lintei copia, omnibus notum. Germania hodierna univerſæ

Digitized by Google

verſæ pene Galliæ, Italiæ, & Hiſpaniæ vela texit. Vereſimile eſt, linificium apud Celtas primum natum eſſe, & ab his rem & nomen rei ad reliquos populos perveniſſe. Alia enim ratio, cur omnes populi ab ultima Thule ad Gades usque vocabulo Celtico *lin* utantur, excogitari vix poteſt. Germani, ſi Plinio Lib. XIX. cap. I. credimus, hanc artem a Morinis vel aliis Belgiæ populis acceperunt. *Jam quidem*, inquit, & *transrhenani hoſtes vela texunt: nec pulchriorem aliam veſtem eorum feminæ novere.* Ubi *jam* videtur novitatem rei indicare. De fœminis idem ſcribit Tacitus cap. XVII. *Nec alius feminis quam viris habitus, niſi quod feminæ ſæpius lineis amictibus velantur, eosque purpura variant.* Cæterum de linificio Germanorum ea refert Plinius, quæ moribus noſtris adhuc congruunt: *In Germania defoſſi atque ſub terra id opus agunt.* Solent enim Svevi textrinam exercere plerumque in ſubterraneis, priſci moris in hunc usque diem ſtudioſi.

LEKEN, fluere, manare. Angloſaxonibus *leccan.* Inde nomen fluvio *lech* apud Vindelicos, & brachio Rheni *Leck* apud Hollandos. Translatum eſt ad ipſas rimas, unde fluor elabitur, tanquam & ipſæ manantes eſſent. Sic de doliis dehiſcentibus dicimus, quod ſint *lech*, hoc eſt, fluentia & manantia, quia per rimas & hiatus videntur fluxionem pati, etiamſi reipſa non dolium, ſed humor ex dolio fluat. Eodem ſenſu Islandi dicunt *lekt*, *lekara*, rimoſum, rimoſitas, *lekar* rimæ navium per quas aqua vel unda in navem illabitur, teſte Verelio in Indice.

LEUMUND, fama, celebritas. Dicitur & *leumut* & *leumde*, teſte Stilero in Theſauro L. Germ. Vox Francica. Gloſſ. Pez. exiſtimatio *liumunt*, præconium *liumunt*. Gloſſ. Boxhorn. favor *liumunt*. Tatianus XVII, 8. *inti liumunt uzgieng thurah alle thie lantscaf fon imo*, & fama exiit per univerſam regionem de illo.

Digitized by Google

Willeramus in Cant. Canticor. pag. 73. *tharnah werthen ſie liumbeſtig godero wercho, ande is ther liumunt alſo ſuoze ſamo odor nardi*, tunc celebres fiunt bonis operibus, & fama æque dulcis eſt ac odor nardi. Nomen habet a ſono & auditu: a ſono quidem vocem edentium, ab auditu vero vocem editam auribus haurientium & percipientium. Utrumque convenit famæ & celebritati: Prius quia fama eſt (definiente Cicerone) bonorum de virtute recte judicantium vox non ficta: Poſterius, quia fama fingitur aurita, & audire bene, infamia vero male. Latini certe de homine, qui ſermonibus vulgi diſcerpitur, dicere ſolent, quod male audiat, quia auditus pro fama eſt. Similiter & Græci eum, cujus fama paſſim auditur, a κλύω audio, vocant κλυτὸν, hoc eſt, inclytum & auditum. Reſtat, ut radicem, quæ hæc omnia ſignificet, oſtendam. Illam videor mihi reperiſſe in verbo *liuman*, quod Islandis eſt ſonare, Gothis audire. Verelius in Indice: *liom* ſonus, *liomma* ſonare. Sveci utuntur *lomma*, & *hliumma* eodem pene ſenſu, niſi quod *hliom* illis ſonum obſcuriorem denotat, qualis auditur in campanis durans poſt ictum, teſte Stiernhielmio. A Gothis verbum ipſum in Monumento tam exiguo & tot lacunis ſcatente, fruſtra requiras. Habent tamen derivatum, unde verbum ipſum haud obſcure cognoſcitur. Aures enim vocant *hliumans*, quaſi audientes, a *hliuman*, audire. Ulfilas Marc. VII, 35. *jah ſunſaiwusluknodedun imma hliumans*, & ſtatim apertæ ſunt aures ejus. Idem Luc. VII, 1. *bi the than usfullida alla tho waurda ſeina in hliumans manageins, galaith in Kafarnaum*, cum autem impleſſet omnia verba ſua in aures plebis, intravit Capernaum. Fr. Junius in Additamentis ad Gloſſarium Gothicum exiſtimat, vocabulum Gothicum videri magis de auditu quam de auribus accipiendum, quod aures Interpreti noſtro ſæpe dicantur *auſono*. Verum ſive de auribus (ut hactenus bene) ſive de auditu accipias,

cipias, res eodem recidit, & noſtra omnino nihil refert, utrum aures in voce agnoſcas, an pro auribus auditum ſubſtituas. Ne quis autem duplici vocis ſenſu offendatur, oſtendendum eſt, (quoniam excuſatius dicuntur, quæ exemplis conſtant) nullam hujus dicti inſolentiam eſſe. Græcis κλυτὸς utrumque denotat, vocalem & auditum. Iisdem Pluto dicitur κλύμενος, quod omnes ad ſe advocet, & ab omnibus audiatur. Utrumque enim ſignificare poteſt, obſervante Scapula in Lexico. Omitto nunc vinculum naturale, quod eſt inter ſonum & auditum. Quid enim eſt auditus, niſi ipſa vox ab auribus hauſta & percepta? Jam enim Ariſtoteles dixit, mentem percipiendo omnia fieri, & ſpeciem cogniti eſſe formam cognoſcentis. Optime igitur & ſapienter a majoribus noſtris inſtitutum arbitror (neque enim tanta naturæ arcana caſu comprehendi poterant) ut idem verbum ambobus ſenſibus ſerviret. De terminationibus *und*, *ut*, & *de*, vide Prolegomena. Atque his puto me omnia abſolviſſe, quibus antiqua & optimæ notæ vox a pravis eruditorum interpretationibus vindicari, & priſtinæ gloriæ reſtitui poterat. Fr. Junius, quem jam ſæpe laudavimus, vocem compoſitam putat ex *liut* homines, & *mund* os: quod tolerari poteſt, quia celebres verſantur utique in *ore hominum*, eorumque fama volitat *per ora virum*, ut Poëta canit, etiamſi hæc etymologia ingenioſa magis quam vera ſit, cum fama non ſit ipſum os populi, ſed ex ore populi exeat. Palthenius, qui in Animadverſionibus ad Tatianum pag. 339. ſententiam Junianam prolixe confutandam ſibi ſumpſit, longe deteriorem amplectitur, dum mendacii & famæ vocabula ad commune principium *liu* (nec lectum antea nec auditum) refert, ea tamen modeſtia, ut conjecturam ſuam pro eo ac viſum fuerit, aut confirmandam aut confutandam peritioribus relinquat.

LEW, Gr. λέων, Lat. *leo*. Iſidorus Hiſpalenſis in

Digitized by Google

Fragmento de nativitate Domini ad Sororem Florentinam pag. 268. *Oxſſo aub endi Leo dhar ezſſant ſamant ſpriu*, bos autem & Leo ibi comedent una paleas. Cambris *llew* leo. Vox Celtica, a verbo *llew* vel *llewa* devorare, oriunda, quod ſuperat eo ſenſu apud Cambros & Armoricos, teſtibus Boxhornio & Pezronio. Itaque cum Abbate Gallico confidenter exiſtimare poſſumus, nomen animalis Græcum & Latinum e Celtico fonte hauſtum eſſe. Nulla enim ratio eſt, cur vox aliqua aliena putetur ab ea lingua, quæ radicem ejus cuſtodit, propria vero iis Linguis, in quibus nullum originis nec cognationis veſtigium deprehenditur. Nam quod Porphyrius Leones dictos vult a λάω video, quod viſu ſint acerrimo, jejunum eſt, & lyncibus magis, quorum oculi in proverbium abierunt, quam leonibus convenit. Quis non videt, Leonem rectius & concinnius appellari devoratorem hominum, quam ſpectatorem? Equidem Leones ſatiati ſunt innoxii: hominem tamen appetunt in ſenecta, quando vires ad perſequendas feras non ſuperant, & in fame etiam juniores. Tunc enim obſident urbes: eaque de cauſa crucifixos vidiſſe ſe cum Scipione in Africa Polybius apud Plinium refert, quia cæteri metu pœnæ ſimilis abſterreantur eadem noxa. Solent autem ſervare modum & ordinem in devorando, eodem Plinio notante. Nam ubi ſæviunt, in viros prius quam in feminas fremunt, in infantes non niſi magna fame. Quæri poteſt, qui fiat, ut Germanis vocabulum domi naſcatur, cum in Germania nulli ſint Leones, nec forte unquam extiterint? Et quibus auctoribus ad Græcos & Latinos pervenerit? Reſpondeo, Germanos non ſemper imitari exteros in animalibus denominandis, ſed interdum libentius ſuis uti vocabulis, ſive apud ſe natis, ſive a Majoribus traditis. Sic Simiam vocant *affe*, quamvis beſtiam Africanam, & elephantum *helfant*, quamvis belluam orientis. Verum hæc vocabula, quibus antiquitus utimur in Germa-

Germania, non omnia apud nos nata ſunt, ſed partim Phryges habent auctores, partim etiam Gallo-Græcos. Phryges enim lingua uſos eſſe Germanicæ ſimili, jam ſæpe oſtendimus. De Gallo-Græcis idem teſtatur S. Hieronymus in Præf. ad Lib. II. Comment. ad Galatas. Quid obſtat, quo minus nomen Leonis a Phrygibus proſeminatum ſit in Græcia & Latio, ut *κύων* & *canis*, teſte Platone in Cratylo? Quamvis enim in Phrygia non ſint Leones, fuiſſe tamen in Græcia inter Acheloum Neſtumque amnes, viribus præſtantiores iis, quos Africa aut Syria gignant, Plinius ex Ariſtotele tradit. Quod probe notandum, ne videamur modum excedere, quod jam multis viris doctis vel ex fiducia ingenii, vel nimio patriæ amore accidit. Quæ res R. Meiero in literis ad Leibnitium & noviſſime Clariſſ. Eccardo anſam præbuit, ut *becaniſandi*, & *rudbeciſandi* vocabula jocundiſſime excogitarent. Hebræis Leo vocatur *labbi*, leæna *lebbije*, quæ videri poſſent noſtris non conſona tantum, ſed etiam cognata, niſi ex alia radice prodirent.

LEZT, ultimus, poſtremus, rectius *lezſt*, ut Svevi. Angloſaxonibus *laſſa*, Matth. XI, 11. Francis & Alam. *leziſt*, *lazoſt*, Franco-Saxonibus *letiſt* in Gloſſis Lipſii, Græcis λοῖσθος. Significat proprie tardiſſimum & ſeriſſimum. Eſt enim Superlativus a poſitivo tardus, ſerus, qualis Angloſaxonibus dicitur *læt*, Francis *laz*. Hinc tardi corde Luc. XXIV, 25. interpreti Angloſaxonico vocantur *læte on heortan*, Tatiano Franco CCXXVII, 1. *lazze in herzen*. Conſentiunt Angli & Belgæ, quibus *late* vel *laet* ſerus, tardus, ſero. Cuncta a verbo communi, quod variantibus Dialectis varie pronunciatur, Gothis *latan*, vel *latjan*, Francis *lazzan*, quodque apud omnes cunctari, morari, & tardare ſignificat. Hinc verba Evangeliſtæ de admiratione populi ob moram Zachariæ in Templo, ab interprete Gothico Luc. I, 21. & Tatiano Franco II, 10. iis verbis redduntur, quæ modo allega-

Digitized by Google

allegavimus. Prior habet, *hwa latitedi ina in thizai alh*, quid detineret illum in hoc templo. Poſterior, *thaz er lazzeta in temple*, quod tardaret in templo.

LEZTERE, poſteriores. Comparativus a Superlativo *lezt*. Quod nemini debet mirum videri. Nam Latini quoque habent Superlativos, qui comparativos & ſuperlativos progenerant. Sic a ſuperlativo *proximus*, formatur comparativus *proximior*, a *poſtremus poſtremiſſimus*, a *minimus minimiſſimus*, quæ vide apud Borrichium in Diſſert. de Cauſ. diverſ. Ling. pag. 307.

LIEBKOSEN, blandiri, blande loqui, ut ſolent, qui gratiam & amorem reciprocum aucupantur. Prior vox amorem loquentis indicat, poſterior loquelam & ſermocinationem. Prior nullam habet difficultatem, poſterior ſe tuetur uſu Francorum & Alamannorum vetuſtiſſimo, quibus *koſon* vel *choſon* eſt loqui, & ſermocinatio *kichoſe*. Gloſſæ Pez. loquentur *chozont*. Gloſſ. Boxhorn. *kichoſe* ſermocinationis. Otfridus Lib. II. cap. III. de Jeſu in medio Doctorum ſedente & loquente:

Maht leſan ouh hiar forna,
Uuio er koſon bigonda.
Poteris legere etiam hic ſupra
Ut cœperit ſermocinari.

Idem de Jeſu diſcipulorum Emauntidem tendentium comite Lib. V. cap. 9.

Giang ouh in thera ferti,
Mit in tho koſonti.
Ibat eodem tramite
Cum illis colloquens.

Reſtat Gallis *cauſer*, garrire, confabulari, haud dubie a Francis acceptum.

LUGEN, proſpicere. Verbum hodie Svevis, olim vero omnibus populis Celticis uſitatum, Angloſaxonibus *locan*, Francis & Alaman. *luagan*. Otfridus Lib. V. cap. VII.

Joh

Joh luagata auur in thaz grab.
Et proſpiciebat iterum in ſepulcrum.

Idem Anglis *loe, look.* Ad hanc radicem referri poteſt, quod oculus Cambris dicitur *llygad*, Armoricis *lagad*, Græcis λογκάδες oculi. Ipſum verbum videtur deſcendere a ſubſtantivo Cambrico *llûg* lux, lumen. Quid enim eſt proſpicere, quam lumen oculorum longe projicere? Vocem Celticam cuſtodiunt quoque Græci & Latini in λύξ & *lux*.

M.

MAG, cognatus, *magen* cognati. Cognatus ejus, cujus aurem Petrus gladio amputavit, ab Otfrido vocatur *mag*, Lib. IV. cap. XVIII. & Eliſabetha Mariæ cognata *maginna*, Lib. I. cap. VI. Cognatus autem ſic dicitur, quaſi conjunctus, quod ſanguine nobis junctus ſit, a *machon*, conjungere. Kero: jungere *kamachon*, conjungatur *ſi kimahchot.* Ob hanc radicem eadem vox in omnibus veterum Dialectis non ſolum cognatis in genere, ſed etiam filiis, parentibus, & proavis denominandis adhibetur, ob vinculum naturale, quo inter ſe cohærent. Hinc Jeſus Mariæ filius vocatur *magus*, ipſa Matre dicente: *Magau* (Gr. τέκνον) *hwa gatawides uns ſwa*, fili, cur feciſti nobis ſic? in Evangelio Gothico Luc. II, 43. & 48. Et parentes Jeſu *magas*, ab interprete Angloſaxonico, ibid. Et progenitores Judæorum *altmagon*, in hymno Zachariæ apud Otfridum Lib. I. cap. X. Stiernhielmius Gothico vocabulo jungit Cambricum *mac*, filius. Qua in re videtur falli. Nam Armorici filium vocant *mab*, ut ex ore Clariſſ. *La-Croze*, amici mei plurimum colendi accepi, & fortaſſe etiam Cambri, etiamſi de Cambris taceat Boxhornius in voce *Mab.* Germani agnoſcunt quædam compoſita, quæ huc ſpectant. Nam cognatos maternos

Digitized by Google

maternos appellant *ſpillmagen*, a fuſo, & paternos *ſchwerdtmagen*, a gladio, & cognationem univerſe *magſchaft*, a ſanguinis conjunctione.

MAG, conjux. A vinculo conjugali. Angloſaxonibus *gemacca*, Matth. I, 24. Tatiano Franco *gimahha* cap. V, 10. Vox obſoleta, nec tamen omittenda, quoniam cum reliquis ad familiam verbi *machon* ſpectat. Hodie dicimus *gemal*, ſed ex alia radice, ut diximus ſuo loco.

MAG, puer. Gothis *magus* puer, *magath* puella, *magula* puerulus, *thiumagus* famulus, ſervilis conditionis puer. Francis in Epinicio R. Ludovici *magazogo*, pædagogus. Ratio denominationis per ſe clara. Nam pueri & puellæ, qui nobiſcum degunt, etiamſi non ſint propinqui noſtri, familiis tamen noſtris adhærent, vel ſervitii nexu, vel alia neceſſitudine, & inter conjunctos recte reputantur & nominantur. Hodie tamen hic ſenſus obſoleſcit.

MAG, ſocius. Senſus Islandis & reliquis Septemtrionalibus familiaris & proprius, ſed rectus & legitimus. Nam in verborum amplificatione derivata ſequuntur ſua primitiva, tantumque ſignificant, quantum poſſunt. Jungi autem eſt primitivum, & natura ſua dicitur de quovis vinculo, tam naturali, quam ſociali. Hinc jungi & ſociari habentur pro ſynonymis, & a Kerone eodem verbo explicantur: Societur, *ſi kemahchot*: Sociandus, *ze kemahone*. Dubium autem non eſt, eos, quos vel communis utilitas vel ſors aut delectatio in unam ſive ſocietatem & vitæ genus, ſive amicitiam combinavit, non minus inter ſe junctos eſſe, quam vel domeſticos aut propinquos.

MAGD, virgo, puella. Sic B. Virgo Maria interpreti Gothico dicitur *magath* Luc. I, 27. Similiter & Otfrido in his rythmis Lib. I. cap. XVII.

Uuuntar filu hebigaz,
Uuanta er ni horta man thaz,

Thaz

Thaz io ſon Magad burti,
Man giboran uuurti.
Miraculum valde grave,
Nec antea auditum,
Quod de Virginis partu,
Natus ſit homo.

Vi vocis ſignificat puellam. Quemadmodum enim Latinis a puer fit puella, ita priſcis a *mag* puer, *magath* puella. Noſtri ex biſyllabo fecerunt monoſyllabum pro ſua in arte contrahendi dexteritate. Senſus pene obſoleſcit: ſuperat tamen in compoſito *magtum* virginitas, quod ſacræ Literæ tuentur, dum perdit civitatem.

MAGD, ancilla, famula, miniſtra, vi vocis familiæ ſocia, nobisque neceſſitudine miniſterii conjuncta. Palthenius refert ad voces, quæ olim in honore fuerunt, nunc autem ceciderunt: ſed immerito, cum nulla ſit in hac appellatione ignominia, ſed ſenſus tantum amplificatus, plane ut *knecht* a pueris ad ſervos & milites usque honeſtiſſime extenditur. Idem obſervare licet in voce *ſuein* apud Septemtrionales. Vide dicta in *Mag* tertiæ ſignificationis.

MAGDTUM, virginitas. Utitur Lutherus in vernacula Num. XXX, 4. præeuntibus antiquis. Nam virginitas Annæ prophetiſſæ interpreti Gothico dicitur *magathei*, Luc. II, 36. Tatiano Franco *magadheiti*, VII, 9. Vide *Magd* primæ ſignificationis. De terminatione *tum* conſule obſervationem primam in Prolegomenis.

MAGSCHAFT. Vide *Mag* primæ ſignificationis.

MAIESTÆT, majeſtas. Potentiæ majoris vocabulum. Hinc majeſtas imperatoria apud Tacitum, & princeps majeſtate ſua tutus, & ſimilia. Hunc ſenſum veteres non Latino, ſed Germanico vocabulo exprimebant. Gloſſ. Lipſ. *mancreſte* majeſtas, *megincraft*, majeſtas, *megincreſti*, majeſtatis. Prima vox non videtur ſe probare Lipſio, quod viri robur magis quam

quam Principis ſignificet. Verum *man* in compoſitis non ſemper virum ſimpliciter, ſed ſæpe principem virum, ducem, aut præfectum denotat, ut diximus ſuo loco. Reliquæ voces ſignificant potentiam potentiæ.

MAL, ſignum. Primus & princeps vocis ſignificatus, unde cæteris initium, quamvis ſolis Germanis cuſtoditus. Utitur Lutherus frequenter in Vernacula, Gen. XXVIII, 18. 22. XXXI, 45. 51. 52. XXXV, 14. 21. Inde compoſita, *denkmal* monumentum, *grabmal* monumentum ſepulchrale, *ſchieſſmal* meta. Ab hoc primitivo derivatur Gothis *meljan*, *gameljan* ſcribere, *meli*, *gamelido* ſcriptura, *ufarmeli* titulus, inſcriptio, Angloſaxonibus *mæl* imago, Francis *kamali* pictura in Gloſſ. Pez. Germanis *malen* pingere, *gemælde* pictura.

MAL, ſignum turpe, id eſt, labes, nævus, macula. Vide Lutherum Levit. XIII. & XIV. per totum. Angloſax. *mæl* eodem ſenſu dicitur. Franci utuntur compoſito *anamali*. Gloſſ. Pez. ſtigmata, plagæ, percuſſuræ *animali*, *anamali*. Habent & Germani compoſita, cujusmodi ſunt, *brandmal* ſtigma, *mutermal* nota genitiva.

MAL, ſignum quantitatis in aridis & liquidis. Inde Gothis modius dicitur *mela*, & patera Angloſaxonibus *mele*, & quævis menſuratio tam terræ vel fundorum, quam aliarum rerum Islandis *mal* apud Verelium in Indice, & quævis menſura Flandris *mael*, Suecis *maæl*, & medimnus Germanis *malter*, dum primitivum obſoleſcit. Ab eodem primitivo Dani & Sveci habent *mæla* metiri.

MAL, ſignum temporis. Senſus a menſura aridorum & liquidorum & ſpatiorum ad menſuram motus extenſus. Inde *mel* Gothis uſurpatur pro tempore. Joh. VII, 6. *Mel mein ninauh iſt*, *ith mel izwar ſinteino iſt manwu*, tempus meum nondum adeſt, tempus autem veſtrum jam eſt paratum. Et paſſim alibi. Similiter & Islandis

Islandis *mal* eſt certum & præfinitum tempus, & dies quoque præſtitutus, *rismal* ſurgendi hora, teſte Verelio in Indice. Quibus valde affine eſt Gr. μέλλω, quo mora præſentis & futuri temporis denotatur, obſervante Fr. Junio. Germani utuntur adhuc hoc primitivo tanquam adverbio temporis, ut diximus in Prolegomenis. Stiernhielm. & Palthenius ſignificatum ad vices usque cibum capiendi per intervalla temporis recurrentes extendunt, ſed præter rationem. Nam *mal* in *mittagsmal*, *abendmal*, & ſimilibus, non notat tempus (hoc enim per *mittag* & *abend* indicatur) ſed convivium, ut mox dicetur.

MAL, ſignum numeri & frequentiæ. Senſus a quantitate continua ad diſcretam extenſus. Hinc numeralibus ſubfigi ſolet apud Germanos, de quibus vide Prolegomena in voce.

MAL, ſignificatio animi per loquelam. Verelius in Indice: *mal* ſermo, oratio, loquela. Inde Septemtrionalibus ſermo Danicus *Danſchmal*, Suecicus *Suensmal*, Norwegicus *Norſchmal*. Sermo autem haud dubie ſic dicitur, quod ſit ſignum ore prolatum, quo animi ſenſa revelantur. Nam ſermo animi index. Ab hoc primitivo derivatur Septemtrionalibus *mæla* loqui, apud Verelium in Indice, & Germanis frequentativum *melden* commemorare, dum primitivum obſoleſcit.

MAL, comitia, cœtus, conventus. Senſus ex priori ortus. Sermo enim, qui publice fit in comitiis (comitia autem fiunt ad conferendum ſermones & deliberandum) ipſis tandem Comitiis nomen ſermonis conciliavit. Hinc in Prologo Legis Salicæ tres illi conventus, a Rectoribus & Quatuorviris iſtius Gentis, Legis ſanciendæ cauſa inſtituti, vocantur MALLI, & in iisdem Legibus forum cauſarum, ſive conventus publicus juris dicundi cauſa convocatus appellatur MALLUS, Tit. I. §. 1. & paſſim. Sic Gothis forum dicitur *mathls* a *mathljan* loqui, & Angloſaxonibus *ſpræce* a *ſpræcan* lo-

qui, ſive ob colloquia ipſius populi, ſive ob ſermones ad populum in foro haberi ſolitos. Quos imitantur Galli, dum ſuprema Regni judicia vocant *Parlamenta*, a *parler* loqui. Quibus ſimile eſt, quod in quibusdam Germaniæ locis conventus Mercatorum matutinus vocatur *morgen-ſprache*, id eſt, ſermo matutinus. Cæterum *mal* pro comitiis, Germanis non prorſus obſolevit. Reſtat enim adhuc in compoſito *malſtatt*, quod eſt proprie locus comitiorum.

MAL, locus publici conventus. Senſus a cœtu ad locum congregationis extenſus. Hinc *Malli* quondam dicti non ſolum conventus, ſed etiam Curiæ.

MAL, convivium. Ratio appellationis hæc dari poteſt, quod publici veterum conventus ſemper conjuncti eſſent cum conviviis & comeſſationibus. Tacitus de moribus Germanorum, cap. XXII. *De reconciliandis invicem inimicis, & jungendis affinitatibus, & adſciſcendis Principibus, de pace denique ac bello, plerumque in Conviviis conſultant, tanquam nullo magis tempore aut ad ſimplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incaleſcat.* Talia videntur fuiſſe Convivia Francorum Legibus Salicis condendis inſtituta, quorum veſtigia extant in appellationibus WISOGAST, BADOGAST, SALOGAST, WINDOGAST, quæ vulgo habentur pro nominibus propriis QUATUORVIRORUM, qui Leges Salicas condiderunt, ſed præter rationem. Sunt enim reapſe nomina hoſpitum & pagorum, unde Proceres illi juſſu Gentis ad jus ſanciendum ſunt convocati, & ſumptibus publicis convivio excepti, non ipſorum Procerum nomina, quæ certe ignorantur. Talia quoque erant Convivia Julia apud Septemtrionales, quæ vide apud Verelium in *Hervarar-Saga* cap. IV. pag. 59. Ob hanc ergo conſultationum & epularum perpetuam conjunctionem, facilis erat vocabuli a conventibus publicis ad comeſſationes privatorum tranſitus.

Digitized by Google

MAL, convivium ſacrum, fœderale, & nuptiale. Senſus a conviviis profanis ad ſacra & ſolemniora convivia extenſus. Ab his conviviis ipſa tandem fœdera, & nuptiæ, & ſponſæ, & dies feſti, nomina ſua acceperunt. Hinc fœdus, pactum Angloſaxonibus dicitur *mala*, teſte Benſonio in Additamentis. Quod nemini debet mirum videri, quoniam fœdera jam apud Homerum bibuntur. Hinc Francis dies feſtus *itmalen-tag* apud Tatianum XII, 2. Hinc porro Germanis *mælen*, *vermælen* nubere, paciſci, *gemal* conjux, *malſchaz* dos novæ nuptæ. Utique a *mala* fœdus.

MAL, convivium vulgare & ordinarium, a confabulatione, ni fallor, ſic dictum. Nam unus ſolus non dicitur convivere, nec prandere, nec cœnare, ſed cibum capere. Verelius in Indice: *mal*, prandium, cœna. Germani magis amant compoſita, cujusmodi ſunt *abendmal* cœna, *mittagsmal* merenda, *malzeit* convivium.

MALZEIT, convivium, proprie hilaritas convivalis, non a *zeit*, tempus, ſed a *teite* gaudium & hilaritas, quod occurrit eo ſenſu in Lexico Runico, & Indice Verelii. Nam facetos ſermones ſemper fuiſſe meliorem partem ferculorum in conviviis veterum, teſtatur Tacitus de moribus Germanorum cap. XXII. *Victus inter hoſpites comis*, id eſt, facetus, hilaris, jucundus.

MAN, ſive *mann*, homo. Gothis *manna*, Angloſ. *man*, *mann*, *mon*, *monn*, Francis & Alam. *man*, *mann*. Kero: homo *man*, hominis *mannes*, hominum *manno*, hominibus *mannun*. Anglis & Armor. *man*, *mon*, Cambris *myn* in compoſito *ellmyn* peregrinus, & *mon* in compoſito *hwsmon* agricola, Danis *mand*, Islandis *madur*, in genit. *mans*. Vox utrique ſexui communis. Hinc virgo Angloſaxonibus dicitur *mædan man*, & puella Islandis *man* in Indice Verelii, & fœmina Anglis *woman*. Germanis quidem *mann* proprie nomen viri

 eſt,

eſt, ſed & hominis in genere, præcipue in compoſitis & derivatis, cujusmodi ſunt, *jederman* omnis, *niemand* nemo, *menſch* homo. Nomen ipſum a potentia & facultatibus tam corporis quam animi, quibus homo præ cæteris animalibus a Natura inſtructus eſt, omnino deſumtum eſt, oriturque a verbo *magan* poſſe, quo omnes veterum Dialecti, Gothica, Angloſaxonica, Francica & Alamannica, & eodem ſenſu utuntur, per participium *magand* potens. Nam ab hoc participio naturaliter oritur ſubſtantivum *mand* homo, plane ut *hand* manus, ab *haband* tenens, ſi ſyncopen, figuram noſtris admodum familiarem in hujusmodi derivationibus, adhibeas. Et hinc ſuſpicari licet, *mand* fuiſſe nomen hominis primum & vetuſtiſſimum apud Celtas. Sane literam D. tanquam notam originis ex participio cuſtodiunt non ſolum Dani in *mand*, Islandi in *madur*, & Germani hodierni in *niemand* nemo, *iemand* aliquis, *vormund* tutor, ſed etiam veteres HERMUNDURI in nomine Gentis ſuæ, Cheruſci in nomine SEGIMUNDI, Franci in nomine FARAMUNDI. Quid enim eſt *Faramundus*, niſi vir bellicæ expeditionis? Et *Segimundus*, niſi vir victoriæ? Et *Hermunduri*, niſi viri bellicoſi? Unde dubium non eſt, *mand*, *mund*, & *mundur* eſſe nomina hominis & viri vetuſtiſſima, & antiquiora apocopato *man*, *mon* vel *myn*, quamvis & hoc incredibilis vetuſtatis ſit. Nam Phryges illud uſurpaſſe, videntur teſtari nomina Principum Phrygiorum MANNUS & ACHMANNUS, Gr. Μάνης & Ἄκμον, pater & filius, qui hiſce nominibus diu ante Trojana tempora claruerunt, quorum ille *Maneſium*, hic *Acmoniam*, urbes Phrygiæ condidit, teſte Stephano de urbibus. Uſum Phrygium obſervavit quoque Pinedo in notis ad Stephanum in voce *Maneſium: MANES erat nomen apud Phryges uſitatiſſimum, unde apud Atticos ſervus ex Phrygia oriundus vocabatur MANES, quod id nominis*

minis eſſet in hac regione frequens, teſte Strabone Lib. 7. pag. 304. Videtur autem Phrygibus nihil aliud denotaſſe quam hominem, virum, aut maſculum, quantum ex uſu Græcorum, quos multa a Phrygibus vocabula accepiſſe conſtat, cognoſcere licet. Nam Græcis radix quædam bifurcata vocatur *Mandragora*, a Phrygio (ut videtur) *man*, quod hominem referat, unde Pythagoræ ἀνθρωπόμορφος, quaſi hominiformis dicta. Latina *mas*, *homo*, *nemo*, *immanis* videntur nomen hominis Celticum aut Phrygium haud obſcure involvere, quod priſci Latini potuerunt accipere a Trojanis, poſt urbis ſuæ excidium in Italiam profugis.

MAN, vir. Ab excellenti virtute & robore tam corporis quam animæ, quæ major eſſe ſolet in virili, quam in ſequiore ſexu. Conveniunt in hoc uſu omnes antiqui. Errant, qui vocem Latinam a viribus deducunt, cum vires potius dicantur a viro, & vir idem ſit, quod Celticum *wer*, ſecundum obſervata in ſubſtantivo *Bar* primæ ſignificationis.

MAN, videtur eſſe nomen dignitatis in quibusdam compoſitis, cujusmodi ſunt *eoldormen*, *aldormen*, princeps, ſenator, præpoſitus, in idiomate Angloſaxonico, & *ambachtman* in idiomate Francico, quod vide ſupra in *Ambtman.*

MAN, ſignificat virum fortem in quibusdam compoſitis, cujusmodi ſunt *manlich*, *manhaft*. Idem ſignificatus videtur elucere ex ſimplici MANNUS, quod eſt nomen proprium & antiquiſſimum Germanicæ Gentis conditoris apud Tacitum cap. II. eoque magis, quod huic ſenſui optime reſpondeat radix a valore & agendi potentia deſumpta. Similiter *kerl*, quod ab initio nomen erat maſculi, prout apparet ex Indice Verelii, ubi *karl* exponitur vir, *m dr*, *man*, poſtea ſumi cœpit pro viro forti & ſtrenuo, & deinceps nominibus propiis aſſociari. Hinc CAROLUS non ſignificat maſculum

ſimpliciter (quis enim puerum recens natum boni ominis cauſa maſculum appellaret?) ſed potius ſtrenuum bellatorem. Quam facilis autem ſit ab uno ſignificatu ad alterum tranſitus, patet etiam ex Lingua Latina, in qua *maſcule* ſe defendere, idem eſt, ac fortiter ſe defendere.

MAN, formandis imperſonalibus inſervit, & tunc plures homines ſignificat. *Man ſagt* vulgo dicunt, *man glaubt* vulgo creditur. Formula dicendi a Francis nobis relicta. Otfridus Lib. I. cap. XI.

Druhtin queman uuolta,
Tho man alla uuorolt zalta,
Thaz uuir ſin al giliche
Gibriaſte in himelriche.
In krippha man nan legita,
Thar man thaz ſihu nerita.
Uuant er uuilit unſih ſcouuon
Zi (lege *Bi) then euuinigen goumon.*

Dominus voluit venire,
Cum totus orbis deſcriberetur,
Ut ſimus ſimiliter omnes
Adſcripti in Regno Cœlorum.
In præſepio reponebatur,
Ubi pecu alebatur,
Nam voluit nos cernere
In ſempiternis epulis.

MANLICH, fortis, & fortiter. Quaſi inſtar viri fortis. Nam terminatio *lich* ſimilitudinem ejus rei, cum qua jungitur, indicat. Priſci hac voce alio ſenſu utuntur, & alia voce ad hunc ſenſum exprimendum. Nam fortem ſubſtantive vocant *thegan*, adjective *theganlich*. Gloſſ. Lipſ. viriliter *thegenliche.* Confer dicta in *Degen.*

MAN-

MANLICH, imago, & ſimulacrum hominis, ſive pictum, ſive ſculptum. Gothis *manaleik*, Marc. XII, 16. Angloſaxonibus *monlica*, obſervante Fr. Junio, Francis & Alam. *manaliho*. Gloſſ. Pez. ſtatua *manalihho*. Verelius in Indice: *manlikan* imago hominis, effigies, ſtatua. Ratio compoſitionis manifeſta, ex *man* homo, & *leik*, *lih*, *lic*, ſimilis. Hoc vocabulum, quamvis non ſit ex uſu hodierno, inſerendum tamen putavi, ut homines noſtri, divitiarum domeſticarum memores, vocabula peregrina, cujusmodi ſunt *portrait*, & alia ſine numero, tandem faſtidiant, & profligatis exterorum vocabulis cum majoribus ſuis loqui diſcant. Poſſem huic addere alia, & pene innumera, quibus, quamvis egentes, abſtinemus, ſi ratio inſtituti permitteret.

MAR. equus bellator. Vocabulum Celticum. Nam Celtæ, ut Pauſanias in Phocicis de expeditione BRENNI ſcribit, equum vocabant *μάρκαν*, & certum equitum ordinem *τριμαρκισίαν*. Inde Alamannis & Bojoariis in Legibus remanſit *marach* equus, quod Scriptoribus Paræneticis Goldaſti effertur *mark*, ut adductis eorum verbis notavit Cel. Eccardus in obſervationibus ad Legem Salicam pag. 51. Cambri & Armorici, qui veteris linguæ Celticæ ut plurimum retinentes ſunt, equum vocant *march*, & equiſonem ſeu equarium *marchwr*, quaſi virum equi, teſte Boxhornio in Vocabulario Antiquo-Britannico. In reliquis veterum Dialectis gutturalis in fine vocis non exprimitur, quantum ex compoſitis *mariſcalcus*, quo Franci in Lege Salica præfectum equorum, & *marpahis*, quo Longobardi, teſte Paulo Diacono, ſtratorem ſignificant, judicare licet. Hos imitantur Germani, quibus *mar* ſimpliciter ponitur pro equo, qua in re conſentientes habent Islandos, teſte Verelio in Indice. Germanis *mar* pro equo extra compoſitionem non amplius dicitur. Superat tamen eodem ſignificatu in derivato feminino *mære* caballa, quod hodie in contemtum

abit, dum maſculino olim & nunc ſuus conſtat honos, præcipue in compoſitis, cujusmodi ſunt, *marſchalk* præfectus equitum, *marſtall* equile Principis. Galli utuntur derivato *marcher*, ſed ſenſu ab origine procul abeunte. Illis enim ſignificat ire pedibus, ſuis puta, non alienis, cum proprie ſit equitare, ſive equo vehi, a *march* equus. Videant ergo noſtri, quam abſurde Gallos imitentur in voce *marſchieren*.

MARSCHALK, per apocopen *Marſchal*, per paragogen *Marſchall*. Vani enim ſunt, & literarum Germanicarum minime periti, qui neſcio quid diſcriminis inter hæc duo vel tria ex ingenio confingunt. Latino-Barbaris *Mariſcalcus*, Gallis *mareſchal*, corrupte *marechal*. Prior pars compoſiti ſignificat equum, non quemvis, ſed bellatorem, ex uſu veterum, præcipuum belli gerendi præſidium atque inſtrumentum, unde Mars ipſe Græcis vocatur ἵππιος, hoc eſt, equeſtris, quia ſine equo bellum geri non poteſt. Altera compoſiti pars denotat ſervum in omnibus veterum Dialectis, ut videbimus infra in voce *ſchalk*, tribuiturque non tantum ſervis proprie ſic dictis, ſed etiam liberis hominibus, ab ultima ad primam usque conditionem, plane ut olim *thegan* & *ambacht*, & hodie vox Latina *miniſter* a famulis ad principes usque viros, Legatos inquam, & rerum publicarum in regnis & imperiis adminiſtros extenditur. De amplitudine vocabuli *thegan*, quod ab origine ſervum ſignificat, jam diximus aliquid in voce *Degen*. Quibus nunc addo, quod *thegn* in Indice Verelii exponitur Dominus, & quod totum Regis famulitium in Epinicio Ludovico R. Francorum dicto, vocatur *githigini*, quamvis ex Proceribus & Vaſallis regni compoſitum. Similiter Gothis quivis famulus dicitur *andbahts*, & Islandis quævis ancilla *ambatt*. Et nihilominus Tribunus, qui vel mille præeſt viris in Gloſſis R. Mauri dicitur *ampakman*. Ejusdem plane naturæ & amplitudinis eſt nomen ſervi

ſcalc,

Digitized by Google

ſcalc, quod non ſolum infimi, ſed etiam medii, & ſupremi ordinis ſervis jungitur, cujusmodi ſunt *adelſcalc*, puer nobilis ex ſervitio regio, hodie *edelknabe*, & *ſeneſcalc* regiæ domûs curator, qui quamvis & ipſe ex ſervis ortus ſit, tamen in ipſo apice fortunæ & dignitatis ſervi nomen non detrectavit. Totum itaque compoſitum ſignificare poteſt præfectum equorum, & pro fortuna viri etiam præfectum ſtabulo, & præfectum equitum, totiusque Exercitus equeſtris, in quo potiſſima vis belli ſita eſt. Dubitari poteſt, unde incipiendum ſit, an ab agaſonibus, ut Spelmanno viſum, an a fabris ferrariis, ut faciunt Galli, quibus *marechal* præfectum Caſtrorum & fabrum ferrarium ſignificat. Nos exiſtimamus, initium capiendum eſſe ab illo *Mariſcalco*, quem Lex Salica memorat Tit. XI. §. VI. & a ſtratore & fabro ferrario expreſſe diſtinguit. Antiquiorem enim invenire non licet, nec minoris numeri, quam XII. Equorum præfectum, ut ex Lege Alamannica liquet, Tit. LXXIX. §. IV. Hunc vetuſtas etiam *Equarium*, unde Gallis *ecuyer*, & *Cavallarium*, unde Gallis *cavallier* remanſit, ab equitandi peritia appellaſſe videtur. Spelmannus ſcribit, differentiam inter *Mariſcalcos* & *Comitem Stabuli*, imperante Carolo M. eam fuiſſe, quæ eſt inter Dominum & famulum. Comes in Stabulo unus, Mariſcalci plures. Ille a Principe datus, hi a Comite aſſumti. Imperium ſtabuli penes Comites, miniſterium penes Mariſcalcos. Eodem judice, Comite ſtabuli ab officiis domeſticis ad militiæ præfecturam evecto (quod apud Gallos primitus obtigiſſe ſcribit *Fragerio de Challon* ævo Philippi I. annum circiter 1083.) Mariſcalci quoque expeditionibus bellicis cœpti ſunt adhiberi. Sed totis Exercitibus præeſſe, non niſi ſero, & vix ante annum 1214. ſi Cangium ſequamur, cœperunt. Jam cum in hodierno Imperio non reperiatur alius *Comes ſtabuli* quam *Archi-Mariſcalcus* (cujus officio vi aureæ Bullæ Dux Saxoniæ fungitur) & in ſuperi-

Digitized by Google

oribus non alius Archi-Mariſcalcus quam Comes Stabuli, hinc Spelmannus concludit, Germanos, Bullæ iſtius Conditores, hanc vocem velut alterius interpretem ſuſcepiſſe. Quæ ſane adeo ſpecioſa ſunt, ut intellectum legentis facile expleant. Video tamen Viros quosdam doctiſſimos adhuc hærere. Quis ſervum, inquiunt, nomen dignitatis crederet? Idcirco modo priorem, modo poſteriorem compoſiti partem contra fidem Codicum ſollicitant, vel limitem *mark* ſubſtituentes pro equo *mar*, vel dominum *ſchalt* pro ſervo *ſcalc*. Sicque ex Mariſcalco ſubito faciunt Marcgravionem, id eſt, vel adminiſtratorem vel dominum finium, magno quidem ingenio, ſed parum probabili conjectura. Quisquis enim rerum humanarum conditionem diligenter ſecum perpenderit, non ſtatim faſtidiet humiles origines. Quæ non magna & auguſta, ex projectis initiis, tanquam Capitolia ex tuguriis, nata ſunt? Nullus non Rex ex ſervis ortus, ſi Platoni fides habenda, nullus non ſervus ex Regibus. Quot ſunt hodie homines & familiæ, quorum fortuna natales ſuos longiſſime excedit? Tacitus Annal. I, 74. *Secuti ex pauperibus divites, ex contemptis metuendi.* Et quis neſcit, eadem vocabulorum quæ hominum fata eſſe?

MEIER, villicus. Gloſſ. Pez. villicus *meior*, exactor *notmeior*. Vox Cambris inprimis uſitata, quibus *maer* colonus, villicus, lactarius, cui rei ruſticæ cura commiſſa, *meiriones* villica, colona, lactaria, teſte Boxhornio in Vocabulario Antiquo-Britannico. Francis videtur ſignificaſſe ſervum prædio ruſtico præfectum, & reliquis ſervis imperantem. Talem enim Lex Salica Tit. XI. §. VI. vocat *majorem*, non voce Latina, ſed Latino-Barbara, quæ a particula Celtica *mer* plus, magis, (omnibus veterum Dialectis uſurpata) derivanda eſt, quod villicus reliquis, quibus præeſt, præſtantior ſit, ut illuſtri Legum Salicarum Commentatori Eccardo, jam ſæpius laudato, obſer-

Digitized by Google

obſervatum. Plures ejusdem naturæ derivationes vide ſupra in vocibus *Frau* & *Herr*. Hodie *meier* præter ſervum melioris conditionis, ſignificat etiam eum, qui ſui juris eſt, & villam conduxit.

MEINEID, perjurium. Angloſaxonibus *man-ath*, *man-ath*, Tatiano Franco *meineido* XXX, 1. *uuanta thugeltis Gote thina meineida*, lues enim Domino perjuria tua. Significat proprie juramentum pravum, ut Cl. Palthenio ex notis Fr. Junii in Willeramum optime obſervatum. Nam *meino* Francis Scriptoribus ſubſtantive dicitur ſcelus, nefas, adjective malus, pravus, conſentientibus Angloſaxonibus, quibus *man* idem ſignificat. Similiter & Islandis *mein* denotat malum, damnum, nocumentum, *meingiarn* qui aliis damnum libenter affert, *meinalaus* innoxius, innocens, *meinſæri* perjurium (hodie dixeris *meinſchwur*) a *ſære* juramentum, teſte Verelio in Indice. *Main* pro malo, tam adjective quam ſubſtantive ſumto, extat quoque in veteribus chartis, quas inſpexit Schottelius, quem vide de Lingua Germ. pag. 270. unde ſimul errorem ejus circa hoc compoſitum corrigere licet. Uſus Francorum quoad adjectivum cognoſcitur ex Otfrido, Iſidoro, aliisque. Apud Otfridum extat Lib. I. cap. IV. hoc Zachariæ & Eliſabethæ elogium:

Joh reht minnonti
Anane indati.

Quod ſane vitioſum eſt, & a Nobiliſſimo Roſtgardo e Codice Vaticano recte reſtituitur hoc modo:

Joh reht minnonti,
Ana mein dati.
Et juſtitiam diligentes
Absque pravo facinore.

In

In veteri confitendi formula, Otfrido præmiſſa, quæ ipſius Caroli M. eſſe putatur, inter cætera peccata fit commemoratio pravorum juramentorum his verbis, *meinero eido*, quod Matthias Flacius fruſtra interpretatur meorum juramentorum. Apud Iſidorum occurrit compoſitum, *unmeino* innocens, pag. 267. *dheſiu gardea fona dheru Jeſſes wurzun, dhazs iſt dhiu unmeina magat Maria*, hæc virga de radice Jeſſæ eſt virgo optima & pravitatis expers Maria. De ſubſtantivo, etiamſi non ſit hujus loci, inſignis eſt locus Otfridi Lib. IV. cap. XXXIV.

Erda bibinota,
Thiu Gotes kraft ſi es notta.
Joh in thia meina,
So ſpialtun ſih thie ſteina.

Terra tremebat,
Potentia Dei illam urgebat,
Et in his malis
Findebantur rupes.

MEINEN, putare, exiſtimare. Idem Gothis *manan*, aut ſimile quid, etiamſi nec Junio nec Stiernhielmio notatum. Quod inprimis evincunt ſequentia loca. *Ni man* non puto, Luc. XVII, 9. *ſumai mundedun*, quidam putabant, Joh. XIII, 29. *munds was* putatus erat, Luc. III, 23. Quæ non debent confundi cum *munjan* meminiſſe, etiamſi haud dubie cognata ſint, & in mente tanquam communi ſede conveniant. Idem Anglis *to mean*, Islandis *eg meine*, Svecis *mena*, Belgis *meenen*, *meynen*.

MEINEN, ſignificare. Sic vulgo dicimus, *was meineſtu damit*, quid hoc ſibi vult? quid hoc ſignificat? Senſus a Francis nobis relictus, quibus *meinan* non eſt ſimpliciter cogitare, ut Gothis, ſed cogitata dicere, & ſermone proferre, aut alio aliquo ſigno teſtari (Gallis *donner a entendre*) a *meino* ſignum, quod vide infra in

Mine.

Digitized by Google

Mine. Exempla apud Otfridum paſſim obvia ſunt. Lib. II. cap. I.

Sin uuort iz al gimeinta,
Sus munag falto deilta.

Verbo ejus omnia prolata ſunt,
(Et) ita varie diviſa.

Lib. III. cap. XVII.

Er ſih ſar nidar neigta
So sliumo er thaz gimeinta.

Ipſe ſe mox inclinavit,
Quam primum hoc dixit.

Lib. IV. cap. XII.

Ni uuas thar ther firſtuanti
Uuaz er mit thiu meinti.

Non erat, qui perciperet,
Quid his ſignificaret.

MELDEN, commemorare, ſive breviter, ſive verborum circuitu. A *mal* ſermo, unde Islandis *mala* loqui, apud Verelium in Indice. Ab hoc ſimplici, Islandis cuſtodito, facta deinceps ſunt frequentativa in reliquis Dialectis. Hinc Angloſaxonibus *meldian* indicare, ſive ſcripto, ſive voce, Alamannis *melden* prodere, quod vide apud Keronem in *Prodiderit*, Germanis *melden* eo ſenſu, quo diximus, dum primitiva *mal*, & *mælen* obſoleſcunt. Hiſce ſimilia videri poſſunt, quod *mallel* Chaldaice eſt locutus fuit, *miltha* ſermo, & quod *malthata* Procopienſibus eſt dico.

MENSCH, homo. Quaſi *menniſch* per ſyncopen, a ſimplici *man* homo. Ab initio erat adjectivum, ſicut reliqua in *iſch* deſinentia, & ſignificabat humanum. Hinc natura humana Keroni dicitur *manaskiu chnuat*, humana gloria Gothis *hauhei manniska*, humana cogitatio Angloſaxonibus *menniſc gethanc.* Et hic uſus haud dubie eſt antiquiſſimus & primævus. Poſtea

vero

vero eodem uſu volente paulatim pro ſubſtantivo invaluit. Hinc homines in locis innumeris Otfrido dicuntur *mennisgon*, & filius hominis *mennisgen ſun*. Lib. II. cap. XII.

Niſt man nih ein ſo richi,
Ther ſtige in himelrichi,
Ni ſi ther mennisgen ſun,
Ther thanana quam ouh heraſun.

Non eſt ullus homo ſi potens,
Qui adſcendat in cœlum,
Nec niſi filius hominis,
Qui inde deſcendat in terram.

Tatiano vero filius hominis eſt *mannes ſun*, CLVIII, 6. CLIX, 8. & paſſim. Unde manifeſtum, *mann* & *mennisgo* ex uſu veterum eſſe ſynonyma. Ægyptii habent *manoſch* eodem ſenſu, qua via, alibi oſtenſum. Ejusmodi vocabula ex adjectivis ſubſtantivata, lingua noſtra tam vetus quam nova agnoſcit plura. Vide Prolegomena in particulis poſtpoſitivis *iſch*, & *ſch*. Neque enim ſemel dicta deſcribere vacat.

MENSCH, anima, homo interior. Gloſſæ Pez. animam bis exponunt *menniscun*, non procul ab initio pag. 320. Appoſite Cicero in Somnio Scipionis: *Nec enim is, quem forma iſta declarat, ſed Mens cujusque, is eſt quisque, non ea figura, quæ digito demonſtratur.* Hic ſenſus, quamvis pulcherrimus, & Philoſophiæ Antiquo-Barbaricæ, quæ antiquiſſimis temporibus in Gente noſtra viguit, teſte Clemente Alexand. haud dubius index, Germanis hodie obſoleſcit. Plura hujus Sapientiæ veſtigia vide in voce *Leichnam*, *Redlich*, *Selig*. Interim mire conveniunt cum hoc ſenſu Gr. *μένος* animus, & Lat. *mens*.

MINE, ſignum oris, aut vultus. Gallis *mine*. Vox germane Germanica, & Gallis a Francis relicta, quibus *meino-*

Digitized by Google

meino quodcunque ſignum denotat, & *meinan* ſignificare. Otfridus Lib. III. cap. XVIII.

Sie namun thia meina
Thes lichamen gouma,
Sahun ſinaz altar,
Bithiu uuas ſi es filu uuuntar.

Obſervabant ſigna
Corporis ejus curioſe,
Et videntes ætatem ejus
Valde mirati ſunt.

Mirabantur ſcil. Judæi Jeſum, qui nondum quinquaginta annos natus eſſet, quod ex habitu corporis ejusque ſignis cognoſcere poterant, profiteri auſum, ſe ante Abrahamum fuiſſe. Huc etiam referenda ſunt, quæ diximus ſupra in voce *meinen* ſecundæ ſignificationis.

MOND, luna. Gothis *mena,* Angloſax. *mona,* in Evangeliis Marc. XIII, 24. Alamannis & Francis *mano.* Otfridus Lib. V. cap. XVII. de adſcenſu domini in cœlum:

Thia ſunnun jo then manon
So ubar fuar er gahon.

Solem & Lunam
Tranſcendit ſubito.

Procopienſibus *mine,* Græcis μήνη, & Dorice μάνα. Vox nobis domi nata, nec aliunde arceſſenda niſi ab officio lunæ, quod eſt *manen* monere, prout optime obſervatum Kiliano, qui pro etymo ſuo citat Virgilium:

Ipſe pater ſtatuit, quid menſtrua luna moneret.

Ipſa radix antiquiſſima eſt, & ab omnibus Linguis a Celtica oriundis uſurpata, conſentientibus Græca & Latina. In Lege Salica *manire* eſt commonefacere aliquem ad comparendum coram Judicio, *manitus* monitus, commonefactus, *manitio* talis commonefactio, alias citatio. Gothis *munjan* eſt recordari, ſi non eodem, certe cogna-

to

to ſignificatu. Angloſaxonibus *manian* eſt monere, admonere. Idem Francis & Alamannis *manon.* Kero: admoneatur *kemanot*, admonemus *zuamanomes*, admonentes *zuamanonte.* Germanis *manen* eſt monere creditorem, & refricare memoriam vel promiſſi, vel alterius cujuscunque propoſiti, *ermanen*, *vermanen* adhortari, id eſt, monere aliquem officii ſui, *abmanen* dehortari, & alia ſine numero. Græcis μνάω in memoriam revoco. Idem Latinis *moneo.* Erant autem noſtri Aſtrologiæ ab antiquo dediti, & inprimis curioſi Lunæ obſervatores, nec ullius negotii, publici aut privati, niſi monente Luna aggreſſores. Hinc Arioviſtus noluit arma conferre cum Cæſare, quod matres familias declaraſſent: *non eſſe fas Germanos ſuperare, ſi ante novam Lunam contendiſſent*, teſte Cæſare de Bell. Gall. Lib. I. cap. L. Et de conſultationibus eorum ſcribit Tacitus cap. XI. *Coëunt, niſi quid fortuitum & ſubitum inciderit, certis diebus, cum aut inchoatur Luna aut impletur. Nam agendis rebus hoc auſpicatiſſimum initium credunt.* Notum præterea omnibus, quid moneat Luna agricolas in ſementis faciendis, arboribus plantandis, & ſimilibus, ad rem hortenſem & agrariam ſpectantibus rebus. Ut computum temporum, quem noſtri a nocte & nocturno ſydere inchoabant, nunc omittam. Mirari ſolent exteri, quod Luna omnibus populis Germanice loquentibus ſit generis maſculini, & Sol generis feminini, cum reliquis in Univerſo gentibus aliter videatur. Et mirum ſane videtur, Germanos a Gentium conſenſu hic deflectere. Verum, ſi recordemur, quod jam ſæpe diximus, Germanos phrygice loqui, & originem ſuam ad Phryges referre, ceſſabit admiratio. Conſtat enim Phryges Lunam coluiſſe maſculam, & appellaſſe *Lunum.* Et hæc eſt illa Luna, maſcula inquam, atque Phrygia, quam Cæſar refert inter Deos Germanorum Libro VI. cap. XXI. de Bello Gallico.

NACH-

Digitized by Google

N.

NACHTIGAL, luſcinia. Prior pars compoſiti noctem ſignificat, quod noctu cantet hæc avis, dum cæteræ aves ſilent. Poſterior cantorem. Totum compoſitum ab Angloſaxonibus nobis relictum eſt. His enim cantare, vocare, clamare dicitur *galian* (Islandis *kala*, Anglis *to call*, quibus conſonat Gr. καλεῖν vocandi ſignificatu) cantor *gale* (Latinis *gallus* eodem ſenſu) & luſcinia *nihtegale*, quaſi cantor nocturnus. Talis autem eſt luſcinia, diebus ac noctibus continuis XV. ſine intermiſſu canens, tanta vocis ſvavitate & varietate, ut in tam parvulis faucibus videatur conjunctum, quicquid ubique argutiarum eſt in arte muſica. Hujus aviculæ modulamen eleganter deſcripſit Plinius Lib. X. Hiſt. nat. cap. XXIX. Modulatur autem voce tam acuta & vibrante, ut cantus ejus pro clamore haberi poſſet, niſi tibias vinceret dulcedine. Id quod etiam vox Saxonica exprimit, quæ cantum & clamorem pariter ſignificat.

NATUR, natura. Vocabulum nuperum & a Latinis emendicatum, qui naturam ſic vocare ſolent a naſcendo, ut bene Lactantio obſervatum. Vetus autem lingua tam vaſta tamque dives erat, ut iſtis ſuppetiis minime indigeret. Qua voce Gothi uſi ſint, non liquet, quia vox Naturæ non occurrit in Evangeliis, & præter Fragmentum Evangelicum Ulfilanum, nullum in toto orbe extat ſermonis Gothici monumentum: Excepto forte ANSILEUBI GLOSSARIO, quod, etiamſi induſtriam perquirentium hactenus fugerit, fortaſſe in aliqua Galliæ Bibliotheca adhuc latet, poſteris reſervatum. Vidit illud Philip. Jacob. Mauſſacus, cujus verba ex Diſſertatione Critica pag. 355. Edit. Pariſ. 1614. hic deſcribam: *Vidi Anſileubi cujusdam Gothorum Epiſcopi Gloſſarium, erutum ex veteri Codice Bibliothecæ Moyſacienſis, in quo multa Gothorum aliorumque populorum*

lorum Barbara vocabula explicantur. Utinam non vidiſſet tantum, ſed etiam caviſſet, ne tantus verborum veterum Theſaurus, qui Regi & Regno poterat eſſe glorioſus, & Eruditis omnibus perutilis, aſpectibus humanis ſe ſubduceret. Angloſaxones naturam vocant *cind*, a *cynnan* vel *cennan* generare, quaſi rerum omnium parentem. Ab eadem radice Francis & Alamannis genus dicitur *chunn*, & natura *chunnode*, *chonot*, & contracte *chnut*, quia quicquid oritur, qualecunque eſt, genus a natura habeat neceſſe eſt. Kero: genera *chunni*, natura *chnuat*, naturaliter *chnuatlicho*. Gloſſ. Pez. *chonot* genealogia. De terminatione priſca *ot* vel *ode* vide obſervata in Prolegomenis. Ratio, cur hæc & alia vocabula nobis exciderint, eſt inſitum Genti vitium, aliena mirari, ſua deſpicere. Hinc illa ab aliquot ſæculis vocabulorum innumerabilium oblivio, & in media egeſtate nauſea, quæ hodie tanta eſt, ut ſæpe aut ſilendum nobis ſit cum piſcibus, aut loquendum cum exteris more pſittacorum. Itaque naturam vocamus *natur*, non quod externa meliora ſint, ſed quia aliquid dicendum eſt, dum noſtra vel ignoramus vel non audemus proferre. Res ſane deploranda, in tantis patrii ſermonis divitiis tam indigna urgeri paupertate, cui explendæ ne Cæſar quidem ſuffecerit. Cæſar enim civitatem reddere poteſt hominibus, verbis obſoletis non poteſt.

NIEDLICH, delicatus. Dicitur primario de cibis. Hinc cupediæ, quæ appetitum movere ſolent, vocantur *niedliche Speiſen*. A cibis deinceps communicatur reliquis rebus, quæ ſenſus alliciunt & delectant. Hinc omne gratum, ſive viſu venuſtum, ſive auditu ſuave, ſive tactu tenerum, ſive olfactu ambroſium ſit, Germanis dicitur *niedlich*, quaſi expetibile. Vocem ab interitu vindicavit Willeramus in Cantico Canticorum, ubi occurrit *niud* gratus, acceptus pag. 120. *allerniudeſt* gratiſſimus, ſvaviſſimus, quod maxime placet, pag. 39. &

verbum

Digitized by Google

verbum *nieden* concupiſcere, pag. 24. *ande ſines ouezes niedet mich*, & pomorum ejus me cupido tenet. Unde cæteris initium. Video viros doctiſſimos, & in his excellentem Philoteutonem Stadenium in notis ad colloquium Chriſti cum Samaritana hanc Willerami vocem cum Francica *niazen* confundere. Differunt autem natura & eventu. Primo enim grata concupiſcimus. Deinde ſi fortuna faveat, adipiſcimur concupita, ſi non faveat (nam proſperas habere cupiditates in nullius poteſtate eſt, & nemo tantum conſequitur, quantum concupiſcit) ſubſiſtimus, nec ultra progredimur. Fruimur autem adeptis non niſi ultimo loco, quamvis & hoc ſæpe interdictum ſit. His gradibus ſignificandis ſapienter admodum a majoribus noſtris ſigna quædam inſtituta ſunt, diverſa omnino, nec temere confundenda. Quamvis enim ſono conveniant, differunt tamen intellectu. Primus gradus eſt *nieden* concupiſcere, unde Willeramo omne gratum & concupiſcibile dicitur *niud*, nobis compoſite *niedlich*. Secundus gradus *niutan* conſequi, nanciſci, quem ſenſum agnoſcunt Gothi in Evangelio, unde captura & conſecutio illis vocatur *ganutei*. Tertius atque ultimus gradus Francis dicitur *niazen*, *niozen*, Angloſax. *niotan*, *nyttian*, Germanis hodie *nieſſen*, *genieſſen*, uti, frui, unde uſus Keroni *nuzi*, Angloſax. *not*, Germ. hodie *nuz*, *genuſs*.

O.

ÖDE, adjective vacuus, deſolatus, ſubſtantive eremus, ſolitudo, vaſtitas. Quædam Dialecti agnoſcunt adjectivum, quædam ſubſtantivum tantum, aliæ utrumque. Gothis *authid* deſertum. Iſidoro *odhin* vaſtitas, pag. 258. Danis & prioribus Belgis *ode* ſunt teſqua, & quævis loca inculta, Finnis *authia* vacuum. Islandis *eide* teſqua, *audur* vacuus. Quibus omnibus affinia

Digitized by Google

videntur Græca ὄιος ſolus, ὀιόθι ſolum, ὀιόω deſolo, ὀιωθεὶς deſolatus, obſervante Fr. Junio in Gloſſ. Goth. Horum omnium originem ſolide & ſubtiliter arceſſit Cel. Stiernhielmius a particula privativa *a*. Quemadmodum enim a poſitivo *a*. apud æquos rerum arbitros naſcitur *ot* vel *ode*, ſubſtantia, poſſeſſio, unde nobis hodieque opes in compendio dicuntur *kleinod*, quaſi parva ſubſtantia: ita a privativo *a*. generatur *ode* ſenſu contrario, id eſt, nullitatis & vacui. Ab *öde* Gallis formatur *vuide* vacuus, & *vuider* evacuare.

OFEN, fornax. Hujus mentionem facit Dominus apud Matthæum, cap. VI, 30. ubi Gothus vertit *auhn*. Angloſaxo *ofen*, Tatianus Francus *ovan* XXXVIII, 5. Quæ voces, cum nullam habeant cum reliquis idiomatis ſui cognationem, ab exteris derivari libere poſſunt. Vox Gothica videri poteſt formata ab αὔω, accendo. Nam Gothi Græcis vocabulis delectantur, utpote Græcorum quondam vicini. Reliquas voces olim deduxi ab ἀφαύω uro, ſicco: Nunc autem aliter cenſeo. Cum enim πῦρ vox Phrygia ſit, teſte Platone in Cratylo, Phrygium quoque erit πύραυνον, igniarium. Noſtri igitur, cum ex Phrygia migraſſent in has oras, videntur ſecum adportaſſe vocem Phrygiam, & more ſuo pronunciaſſe *fyrofn*, tandemque prima ſyllaba abjecta *ofn* vel *ofon* ſimpliciter. Junius vero vocem Saxonicam & Danicam *ofn* manifeſte detruncatam putat ab ἰπνὸς, furnus. Utrum verius aut probabilius dicatur, penes lectorem judicium eſto.

OPFER, munus ſacrum, alias ſacrificium. Gothis *aibrs*, quaſi ἐπιφορά, oblatio, Iſidoro *offerunc-ghelſtar*, quaſi redditio muneris, a *geltan* reddere, pag. 264. Tatiano *obphar*, ab offerendo, cap. VII, 3. Cambris *aberth*, quaſi offertum. Sed meminiſſe debemus, quod φέρειν, *ferre*, & *bæren* cognata ſint, idemque ſignificent, & quod noſtri vocabulis inde derivatis potuerint uti tanquam

ſuis.

ſuis. Idem de particulis ἐπὶ, *ob*, & *of* dicendum. Debemus hæc & alia vocabula orienti Chriſtianiſmo. Nam ante Chriſtiana tempora noſtri in re ſacra ſuis utebantur vocabulis, quæ partim abrogata ſunt a primis Evangelii prædicatoribus, partim etiam relicta aut correcta. Ad relicta ſpectat, quod victima Gothis dicitur *hunsl*, & altare *hunslaſtaths*: Ad correcta, quod iisdem cultu divino vacare dicitur *blotan*, & cultor Dei *gothblostreis*. Nam ante Evangelium *blotan* erat immolare, ſacrificare, ut ex idiomate Angloſaxonico cognoſcimus, haud dubie a *bloth*, *blod*, vel *bluat*, ſanguis, quod ſacrificia veterum eſſent cruenta. Similiter vox *husl* Angloſaxonibus relicta, & a victimis cruentis ad cultum Dei incruentum translata eſt, quod præconibus Evangelii (qui haud dubie verborum barbarorum ſignificationes & origines diligenter examinarunt) nihil aliud videretur denotare quam munus. Radix, quæ nunc periit, iis temporibus poterat ſupereſſe. Nam hoc ſignificatu viget adhuc apud Cambros, quibus ſtrena dicitur *honſel*. Hinc S. Euchariſtia vocari cœpit *husl*, quaſi munus, quod Deo pro vivis & mortuis (ſecundum Theologiam iſtorum temporum) offertur, & S. Euchariſtiæ perceptio *huſelgang*, & dare vel percipere Sacramentum *huslian*. Franci & Alamanni de priſtino cultu retinuerunt *bloſtar* & *gbelſtar*, pro ſacrificio, quorum ſenſus ex antecedentibus manifeſtus. Utitur his vocabulis Iſidorus de ſacrificiis & libaminibus Judæorum, pag. 258. Olim vero denotabant victimas dæmonibus immolatas. Gloſſ. Pez. in idolio in *pluoſtar-huſe*.

ORDNEN, diſponere. Tatiano *ordinon* ſtatim ab initio Harmoniæ Evangel. Armoricis *ordreui*, Lat. *ordinare*. Cuncta ab *ord* principium, initium, quod idiomati Angloſaxonico proprium. Nam a principio pendet ſeries & ordo totius diſpoſitionis.

ORLOG, bellum. Vox Belgis & Islandis hodie unice uſitata, olim vero omnibus Germaniæ magnæ populis communis. In manuſcriptis quibusdam Theotiſcis Regiæ Bibliothecæ Berol.reperitur *urluge*, obſervante Vorſtio de L. Vernacula cap. IX. In Saxonicis *orleg*, teſte Cel. Hickeſio in Gram. Angloſax. pag. 115. In Bibliis Islandicis occurrit *orlog*, Pſal. LXVIII, 31. *ſundurdreiff thu folked, ſem giarnan vill haſa orlog*, diſſipa gentes, quæ bellum libenter habere cupiunt. De origine hujus vocis ingens eſt inter Literatos diſſidium. Schottelius de L. Germ. pag. 254. *orlog* interpretatur *urlager*, id eſt, *heerlager, feldlager, haubtlager*, Latine Caſtra. Mylius in Archæologo (voce *ur*) Kilianum ſecutus, deducit ab *or* valde, & *lieghen* diſſentire, quod in bello maxima ſit diſſenſio. Poterat majori ſpecie deducere a *blaeghen* inſidiari, quod extat apud eundem Kilianum. Vorſtio idem videtur, quod *niderlage* cædes hoſtium, ab *erlegen* trucidare, quod in bello fieri ſolet. Verum cum hi fontes ex ore vulgi deſumti ſint, & nihil reconditum ſapiant, (ut cætera obſtacula omittam) auctoribus ſuis merito relinquuntur. Propius ad ſcopum collineavit Vir Celeberrimus Hickeſius, dum *orlog* interpretatur *fatum*: quamvis rationibus, cur eodem vocabulo bellum deſignatum ſit ab antiquis, non indicatis. Nos arbitramur, ſalvo tamen melius ſentientium judicio, primum & proprium vocis ſenſum eſſe, *Legem primævam & naturalem.* Nam *or* ſive *ur* in omnibus Veterum Dialectis, & hodiernis quoque idiotiſmis, ſignificationem habet inchoativam, quæ ortum & initium rei involvit, ut oſtendimus in Præfixis. Lex vero Angloſax. dicitur *laga*, Islandis *log*, ab imponendo. Hoc ſenſu homines nondum creati in Voluſpa Islandica Stropha XVII. vocantur *orlog-lauſa*, id eſt, Legibus naturalibus nondum obnoxii. Simul atque vero homines naſcuntur, legibus Creatoris fiunt vivuntque obnoxii, utpote in Regno Creatoris nati:

Quarum

Quarum prima & præcipua eſt, unde reliquæ omnes in ſerie & ordine deducuntur, ut in lucem editus ſe ſuumque ſtatum, & ea, quæ conſervantia ſunt ſtatus ſui, diligat: alienetur autem ab interitu, iisque rebus, quæ interitum videntur afferre. Hanc legenr fortem & omnibus a natura inſitam Stoici appellabant τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν, id eſt, *primæ naturæ*, apud Gellium Lib. XII. Noctium Atticarum c. V. Hinc conſervatio ſtatus ſui, cum ſit lex primæva, & omnibus animalibus, præcipue vero homini a natura commendata, optime & decenter vocatur *orlog*, hoc eſt, lex primitiva & naturalis. Ab hoc principe ſignificatu oritur alter, quem Cl. Hickeſius commemorat. Cum enim leges naturales ſint effata ipſius ſummi & omnia ratione jubentis aut vetantis Dei, quibus nihil obrogari, nec derogari poteſt, hinc fatum ipſum, quod utique a fando ſic vocatur, *orlog* appellatum eſt. Gloſſ. Boxh. *urlac* fatum. Verelius in Indice: *aurlog* fata, fatorum decreta, *orlog* fata. Eodem ſenſu fatum, quatenus eſt Lex Parcarum dicitur *orlog*, in eadem Voluſpa Stropha XXI. Poſtremo etiam bellum dici cœpit *orlog*, ab exercitio juris naturalis & divini, quod cuivis Civitati competit, conſervandi ſtatum ſuum, & defendendi atque profligandi bellum. Quemadmodum enim *ehe* lex, translatum eſt ad ſtatum maris & feminæ legalem ſignificandum, ita ut hodie matrimonium ſignificet, dum ſignificatus legis obſoleſcit: Sic etiam *orlog*, quod olim erat vocabulum legis & juris, hodie ſtatum Reip. ſignificat, qui bello definitur.

ORT, locus. Priſcis nunquam niſi compoſite uſurpatur. Ejusmodi compoſitum eſt *uuidorort*, quod Otfrido paſſim ſignificat retro, retrorſum, L. I. cap. XXII. Lib. II. cap. VI. bis. Lib. IV. cap. XVI. & *heimortes* domum verſus, Lib. I. cap. XIII.

Fuarun ſar thes ſindes
Thie hirta heimortes.

Ibant illico viam ſuam
Paſtores domum verſus.

Priorem vocem habet quoque Tatianus CLXXXIV, 3. *So her in quad: ih bin iz: giengun uuidarortes, inti fielun tho in erda*, ut dixit eis: ego ſum: abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram. Factum autem eſt *ort* per aphæreſin ex *uuart* locus, ut *ord* verbum, *ulf* lupus, *und* vulnus, *orm* vermis, *under* mirum, & alia quam plurima, quibus inprimis delectantur Boreales. Ipſum vero *uuart* unde oriatur, jam diximus in Prolegomenis.

ORT, finis, extremitas rei. Francis & Alam. *ort*, Latinis *ora*. Senſus Miſnicis præprimis familiaris, dum cæteris Germanis fere obſoleſcit. Antiquitatem vocis tuentur Gloſſaria, & inprimis Gloſſæ Theotiſcæ a R. P. Pezio publicatæ, in quibus ſequentia occurrunt: in marginibus *in ortun*, angulos *orth*, ora *orte*. Germani habent quædam compoſita, ſed non ab omnibus & ubique agnita. Olim dicebant *ortſtein* lapis angularis, quod nunc in deſvetudinem pervenit. Lutherus utitur *ortbret* aſſer terminalis, Exod. XXVI, 24. quod hodie vix intelligitur: niſi forte ab iis, quibus ejusmodi aſſeres vocantur *ort-thielen*. Lexicographi, cum neſciant quid ſit *ort*, laminam ferream in fine vaginæ cum vulgo vocant *ohrband*, quaſi ab auricula ſic dictam, ridiculo errore: cum verum ejus rei nomen ſit *ortband*, ab extremitate deſumtum. Hinc quoque interpretationem accipit terminatio *ort*, in quarundam urbium & arcium nominibus conſpicua, præſertim earum, quæ in locis, ubi terra in angulum deſinit, vel fluvius in fluvium labitur, conſtructæ ſunt, obſervante Cl. Friſchio in notis ad Bödikerum ſuum pag. 237. Ab eadem vocula habemus derivatum *erörtern*, finire, terminare, quod in omnium ore eſt, & a Lexicographis male refertur ad *ort* locus. Ipſum vero *ort* oritur a particula præpoſitiva *er*, quatenus ultimum terminum rei ſignificat.

OSTERN,

OSTERN, paſcha. Angloſax. *eaſter*, Keroni *oſtrun*, Tatiano *oſtrun*, CXCVIII, 3. Significare poteſt vel reſurrectionem, ſi derivetur per aliquam literarum transpoſitionem a Gothico *urreiſt* reſurrexit, vel ab Angloſaxonico *æryſte* reſurrectio: vel diem ortus, ſi derivetur ab ortu, qui Angloſaxonibus dicitur *eaſt*, Tatiano *oſtan*, VIII, 1. Germ. hod. *oſten*. Certe *oſtan* in compoſitis apud Antiquos tranſit in *oſtar*. Hinc terra orientalis ab interprete Tatiani vocatur *oſtarlant*, VIII, 5. & regnum orientale Francorum ab Otfrido in Præfat. ad Ludovic. R. *oſtarriche*, & mare orientale in Lexico Runico *eiſtraſalt*. Quid obſtat, quo minus *oſtartag* nomen habeat ab ORIENTE CHRISTO, cujus memoria in hoc Feſto ab Eccleſia recolitur? Oritur enim ſine dubio, qui cum oriente ſole a mortuis reſurgit. Beda nomen Feſti ab *Eoſtra* Saxonum Dea deducit in libro de ratione Temporum cap. XIII. ſed conjectura minus probabili, cum haud veroſimile ſit, primos Saxonum Chriſticolas voluiſſe tam Sacræ Solemnitati nomen creare ab idolo, aut primos Evangelii præcones id voluiſſe permittere, homines utique pios, & in examinandis & ponderandis prioris ævi vocabulis valde ſcrupuloſos, ut diximus ſupra in voce *Opfer*.

P.

PANNIER. V. *Bannier*.

PFERD, equus. Significare poteſt vel bajulum, ſi derivetur a *bæren* portare, unde Batavis equus videtur dici *baerd*, quaſi *bærend*, ferens: vel vectorem, ſi derivetur a *faren*, vehere. Uterque ſenſus convenit equo. Quid enim eſt equus, niſi feretrum & vehiculum animatum, quod domitorem ſuum dorſo receptum vehit, aut res domitoris clitellis impoſitas? Utramque etymologiam firmat, quod idem nomen navibus & equis com-

mune ſit, ſaltim ex uſu veterum. Hinc navigium in Gloſſis Pez. exponitur *ferid*, quod eſt nomen equi apud Germanos inf. qui ſolent dicere *ferd*. Hinc porro Verelio in Indice, *far* equus, cymba: quia ſcil. utroque vehimur & ferimur, tanquam vehiculo. Ægyptii quoque (quod mireris) cymbam *barin* vocant, teſte Herodoto Lib. II. cap. XXVI. & Diodoro Siculo Lib. I. pag. 61. vocabulo forte a Scythis accepto, quos aliquando Ægyptum occupaſſe, Juſtinus refert. Plura ejusmodi vocabula noſtris ſimillima, Ægyptios agnoſcere, vidimus ſupra in voce *Menſch* primæ ſignificationis. Latini equum vocant *veredum*, vocabulo ad modum Celtici *ferid* formato, quicquid dicat Feſtus, qui eum ſic dictum putat, quod *rhedam vehat*. Nam per aliam viam ad nos redit, dum vocem Latinam ex Celtica *rheda* (quamvis ignarus) componit. *Pferd* currendo per ora virum accepit æſtimationem origine majorem, plane ut quidam homines vagando per mundum ſupra natales evehuntur, ut ſæpe tam humili loco natum eſſe pudeat. Nam *pferd*, ſi ortum conſideres, præter equum vectarium & clitellarium nihil ſignificat. Hodie vero eſt equus bellator, qui non ſolum nobilem, ſed etiam Ducem & Regem recipit ſeſſorem, & multo honeſtius dicitur quam *roſs*, quod fere in contemtum abit, etiamſi ſit præſtantius, ut poſtea videbimus. Optime Horatius in arte Poetica de vocabulorum fatis:

Multa renaſcentur, quæ jam cecidere, cadentque,
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus,
Quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi.

PFRIEME, telum veterum Germanorum, ex haſtili & mucrone compoſitum. Rem & nomen rei antiquum (unde hodiernum depravatum) deſcribit Tacitus his verbis de morib. Germ. cap. VI. *Haſtas, vel ipſorum vo-*

vocabulo FRAMEAS gerunt, anguſto & brevi ferro, ſed ita acri & ad uſum habili, ut eodem telo, prout ratio poſcit, vel cominus vel eminus pugnent. Ab hoc duplici uſu haud dubie nomen ipſius teli deſumtum, quod miror nemini commentatorum hactenus fuiſſe animadverſum, etiamſi hanc originem ex prima ſtatim vocis ſyllaba colligere poterant. Nam *fram* hæc omnia ſignificat, procul & prope, eminus & cominus, ſaltim ex uſu veterum. Uterque ſenſus ex Evangelio Gothico manifeſtus eſt. Primo enim *fram* Gothis ſignificat procul a loco. Hinc *fram iddja* proceſſit ultra, Luc. XIX, 28. Eundem ſenſum obtinet in derivato *framathja* peregrinus. Nam peregrini ſunt advenæ e longinquo. Nos hodie dicimus *fremd*, utique a particula *fram* procul. Cum Gothico idiomate conſentit Alamannicum. Hinc Keroni longinqui dicuntur *frumen*, alieni *fremideru*, & procedere *framkangen*. Quibuscum conveniunt quædam verba vetera apud Lipſium in Gloſſis, quæ vide. Cuncta a *fram* procul, ultra, ulterius. Porro *fram* Gothis ſignificat apud ſive prope locum. Hinc *fram attin* apud patrem, Matth. VI, 1. Et occurrit eodem ſenſu apud Keronem in compoſito *frambalde* pronus ad terram. Unde dubium non eſt, particulam *fram* eſſe veram & genuinam radicem vocabuli antiquo-Germanici ab illuſtri Scriptore Tacito cuſtoditi, & ad poſteros transmiſſi, & vi hujus radicis *frameam* ſignificare telum ad eminus cominusque pugnandum habile, prætereaque nihil. Taciti ævo Germani hoc telo punctim feriebant, non cæſim. Secutis vero temporibus latum ferrum adhiberi cœpit, ſervato tamen priſtino vocabulo. Hinc *framea* apud Iſidorum Lib. X. cap. VI. definitur, quod ſit *gladius ex utraque parte acutus, quam vulgo Spatham vocant.* Quæ res male habuit Lipſium, quia tempora non diſtinxit. Conſentiunt Iſidoro Gloſſæ Theotiſcæ, quæ in eodem telo gladium & haſtam conjun-

jungunt. Gloſſæ Lipſ. *ſtaf-ſwert* framea. Gloſſæ Pez. framea *ſtaf-swert*. Dicitur autem *ſtaf* a brevi ligno, quo haſtam ſive perticam, & *swert* a lato ferro, quo gladium imitatur.

PFRIEME, inſtrumentum ſutorium aut ſartorium, corio aut panno perforando, a bellico ejuſdem nominis inſtrumento ob qualemcunque ſimilitudinem (minuto autem pugioni haud diſſimile eſt) nomen ſortitum. Simul atque enim Gens bellicoſa MANNI animum a feritate bellorum ad artes mechanicas abducere, & ferrum pacis uſibus adhibere cœpit, nomina armorum inſtrumentis opificum communicata ſunt. Sic *ſpate* vel *ſpade*, quod antecedentibus ſæculis erat telum, ex utraque parte acutum, hodie eſt inſtrumentum hortenſe, quo terra ſubigitur, alias ligo.

PRACHT, ſplendor & claritas, præcipue Principum in veſtimentis, ædificiis, & ornamentis. Senſus a ſplendore & jubare ſolis petitus. Antiquis *berahtnuſſi*, longiore quidem vocabulo, ſed a poſteris contracto. Iſidorus pag. 241. *Chriſtus auur ſus quham ſona fater ziuuare, ſo ſelpſo dhiu berahtniſſi ſona ſunun, ſo uuort ſona munde, ſo uuiisduom ſona herzin*, Chriſtus autem ita venit a Patre revera, ut ſplendor a ſole, verbum ab ore, ſapientia a corde. Oritur a verbo *brechen* ſplendere, fulgere, quod vide ſupra in *anbrechen*. Litera dura in fronte vocis ab Alamannis nobis relicta eſt. Kero: præclara *foraperahtida*. Reliquæ veterum Dialecti utuntur *b.* molli.

PRIESTER, ſacerdos. Gloſſ. Pez. plebejani Presbyteri *gouuiprieſtira*. Angloſax. *preoſt*, Angl. *prieſt* Suec. *präſt*, Iſland. *preſtur*. Perſæ habent vocem conſonam, ſed alio ſenſu. Nam *preſter* illis ſignificat ſervum, non ſacerdotem. Hinc *preſter chan* proprie eſt princeps ſervorum, unde ridiculo errore ab Hiſtoricis formatus eſt *Prieſter Johann*, obſervante Cl. Clodio,

Digitized by Google

dio, L. Arab. apud Lipſienſes Profeſſore digniſſimo. Vox Germanica nova eſt & peregrina, atque a primis Chriſtianæ Religionis inter noſtros præconibus ex Græco *πρεσβύτερος* vel Latino *presbyter* formata. Significat proprie *ſeniorem*, tribuiturque Sacerdotibus, ſive quia ad ſacra peragenda olim non niſi provectioris ætatis homines adhiberi ſolebant, ſive quod Presbyteris, quamvis junioribus, idem honos qui ſenibus debeatur. Nec mirum, dignitati ſacerdotali nomen a vetuſtate quæſitum. Tanta enim quondam erat apud omnes Gentes cani capitis reverentia, ut is, qui cæteris virtute aliqua aut dignitate præſtabat, *Senior* diceretur, etiamſi annis inferior. Hinc apud Judæos præſtites & primores populi paſſim vocantur *Seniores* in Hiſtoria Evangelica, quos omnes hirſutos & barbis promiſſis hiſpidos fuiſſe haud veroſimile eſt. Græcis *πρεσβύτερος* non ſolum natu majorem, ſed etiam potiorem & pretioſiorem ſignificat. Latinis *antiquius* (in formula *nihil antiquius*) idem notat, quod prius, potius, venerabilius. Angloſaxonibus ſenex, ſenator, præpoſitus, princeps, uno vocabulo dicitur *Aldor*, ab honore qui ſenectuti exhibetur. Imo Burgundi Reges ſuos non alio honoris titulo quam Seniorum compellabant. Hæc enim eſt vis vocabuli Burgundici *Hendinos*, ut vidimus ſupra in voce *König*. Omitto jam *les ſeigneurs*, & *les monſeigneurs* Gallorum, quæ ſummis etiam viris tribuuntur, quamvis ab ætate deſumta. Reſtat, ut vocabula domeſtica & minime barbara oſtendam, quibus populi Celtici vel ante vel poſt Chriſtianiſmum exortum uſi ſunt, ad Sacerdotem ſignificandum. Gothi ſacerdotem vocant *gudji* vel *gudja*, quaſi divinum, a *guda* Dii, vel *goth* Deus, teſte Evangelio Gothico in quam plurimis locis. Apud Burgundos Sacerdos omnium maximus vocatur *ſiniſtus*, teſte Marcellino Lib. XXVIII. c. V. forte a *ſin* templum, quod ſuperat apud Cambros. Saxones ante Chriſtiana tempora Sacerdotes

tes vocabant *drymen*, a *dry* quercus, arbor, quod ſacra facerent ſub quercubus in Lucis Deorum nominibus conſecratis: Cambri & omnes univerſe Britanni *derwyddon*, quaſi dominos quercuum, ab *udd* dominus, & *derw* robur, quercus, unde poſtea *Druidum* & *Druidarum* nomina a Cæſare aliisque formata: Franci & Alamanni *ewartun*, quaſi cuſtodes legis, quod moribus antiquis Germanorum animadverſio in transgreſſores ſolis Sacerdotibus commiſſa eſſet, non ut lictoribus Reip. ſed tanquam cuſtodibus & vindicibus Legis ex mandato Dei, teſte Tacito cap. VII. Retinuit hanc vocem Chriſtiana Religio inter Francos & Alamannos, quod neceſſe ſit omnem, & multo magis veri Dei ſacerdotem, legis divinæ cuſtodia & obſervatione defungi. Hinc Zacharias Sacerdos Otfrido dicitur *euuarto*, Lib. I. cap. IV. & ſummus Sacerdos *furiſto euuarto*, Lib. IV. cap. XIX. & quivis Sacerdos Keroni *euuart*, & Sacerdotium Chriſtianum *euuarttuam*. Ab officio cuſtodiendæ legis.

Q.

QUAKSALBER, blaterator circumforaneus. Prior vox, etiamſi in nullis Gloſſariis reperiatur, antiquiſſima tamen eſt, & ab ipſa natura anatibus & ranis ſuppeditata. Solent autem homines ſæpe imitari animalia in fingendis verbis, ut diximus ſupra in voce *Guguk*. Hinc ſcil. Latinis natum *coaxare*, Germanis *quaken*, a clamore iſtorum animalium, quæ inde ab orbe condito non deſierunt clamare *quak*. Verum cum hæc eorum vociferatio auribus parum grata ſit, & de illis plane dici queat, quod in malos torqueri ſolet Poetas: *Semper ego canto, & nemo mea carmina laudat*: hinc omnis clamor moleſtus & obſtrepens cœpit vocari *quak*, & compoſite *gequak*. Verelius in Indice: *kuak* garritus

tus avium, *kuakſamur* garrulus,obſtrepens, importunus, odioſus. Altera compoſiti pars notat unguentarium, non nobis ſolum, ſed etiam priſcis. Gloſſ. Pez. pigmentarius *ſalbari*. Totum igitur compoſitum ſignificabit unguentarium incondite & moleſte vociferantem.

QUEK, vivus. Angloſax. *cuce*, *cwic*, Angl. *quick*. Gloſſ. Pez. caro viva *quechaz fleiſch*. Gloſſ. Lipſ. *quiccaſe* animalia, quaſi vivæ pecudes, Belgis *quic-vee*, eodem ſenſu, teſte Lipſio. Symb. Apoſtol. vetus: *thanan quemendi ci ardeilenne quecchen endi dooden*, inde venturus judicare vivos & mortuos. Germanis ſimplex obſoleſcit: utuntur tamen compoſito *quek-ſilber* argentum vivum.

QUEK, vividus, id eſt, vegetus, robuſtus, validus. Delectantur hoc ſenſu Saxones præprimis inferiores, conſentientibus Græcis, quibus κῖκυς robur, ἄκικυς infirmus, κικύω valeo. Reliqui Germani utuntur compoſito *wach-holder*, juniperus, cui nomen a perpetuo vigore & virore. Vocem Cl. Eccardus ex Gloſſis Junianis optime reſtituit in Catech. Theotiſc. pag. 136. Utuntur etiam verbo *erquiken*, ſed alio ſenſu quam antiqui. Olim enim erat vivificare, revocare ex mortuis, hodie eſt reficere vires.

QUITTUNG, teſtimonium debiti liberati. Ab antiquo *quitti*, quod Francis Scriptoribus teſtimonium ſimpliciter ſignificat. Tatianus Harm. Evangel. CLXXXVII, 5. *ob ih ubilo ſprah, ſage thanne quitti fon ubile*, ſi male locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo. Eſt autem *quitti* quaſi teſtimonii dictio, a verbo *quedan* dicere, ſicut optime obſervatum Palthenio. Idque verbum ab omnibus veterum Dialectis agnoſcitur. Gothi dicunt *quithan*, Angloſax. *cwethan*, Franci & Alam. *quedan*, Angli *quoth* in tertia imperfecti, & ni fallor, etiam Belgæ. Voſſio in Libris de vitiis Latini ſermonis *quittantia* eſt *quietantia*, a quiete, & *quitare* quietare,

quietare, id eſt, quietum reddere debitorem. Voſſium ſequitur Menagius in voce *quit.* Sed uterque a vero vocis ſenſu aberravit. Nam ex modo dictis patet, *quitti* vocem Germanicam eſſe, a ſimplici dictione ad teſtificationem pecuniæ ſolutæ traductam, & hinc Latino-Barbaros per imitationem formaſſe *quittantiam*, Gallos *quittance.* Saxones eadem voce utuntur ad teſtificationem ultimæ voluntatis deſignandam. Hinc apud Somnerum reperias *cwithe* teſtamentum, *cwitheleas* inteſtatus. Quorſum etiam ſpectat, quod in Lexico Runico *kvidur* exponitur teſtimonium promulgatum, a *kveda* dicere.

R.

RABATTE, terminus hortenſis, origine Slavonicus, ſignificans terram raſtro congeſtam. Nam raſtrum Bohemis dicitur *hrabe*, Sorabis *rabi.* Et hinc porro terram raſtro corradere Bohemis vocatur *hrabati*, teſte Frencelio in Orig. Sorab.

RABE, corvus, Germ. inf. *rave.* Videtur apocopatum ex vetuſtiori quodam *rhaoſogal*, vel ſimili compoſito, & nihil aliud ſignificare quam avem cadaveris appetentem. Nam *hreo* in Gloſſ. Pez. exponitur funus, & *hrao* in Gloſſ. R. Mauri cadaver. Islandis ſane omnes aves carnivoræ vocantur *hræfuglar*, a *rhæ* cadaver, teſte Verelio in Indice.

RACHEN, aperti oris hiatus, alias palatum. Non a Latino *rictus*, ſed potius ab Hebræo *rakia*, cœlum vel convexa Cœli, quod figuram Cœli, quæ cava & rotunda eſſe creditur, quodammodo imitetur, unde etiam Belgis cavitas illa oris, fornicis inſtar concamerata, vocatur *gehemelte van den Mond*, ab *hemel* cœlum. Similitudinem, quæ eſt inter Cœlum & palatum, non ſolum Germani, ſed etiam alii populi agnoverunt. Græci Cœlum

& Pala-

Digitized by Google

& Palatum una eademque voce οὐρανὸς complectuntur. Et rationem communis appellationis hanc reddit ex Varrone S. Auguſtinus, *quod hiatus noſter, cum os aperimus, mundo ſimilis eſſe videatur.* Lib. VII. de Civit. Dei cap. VIII. Hinc vetuſtiſſimi Poetarum cœlum non reformidarunt vocare Palatum, quod Cicero teſtatur de Ennio his verbis: *Sed Epicurus, dum palato quid ſit optimum, judicat, cœli Palatum (ut ait Ennius) non ſuſpexit.* Lib. II. de Nat. Deor. cap. 18. Latini Cœlum ſic vocant a Græco κοῖλον, quod palati inſtar concavum ſit, & convexum. Hos imitantur Slavonicæ Gentes, quibus eadem vox *nabe*, Cœlum & Palatum ſignificat, obſervante Clariſſ. Eccardo in Catech. Theotiſ. pag. 101.

RAD, rota. Gloſſ. Lipſ. *radiuuagon* currus. Gloſſ. Boxhorn. *radeſtacho* ſudes. Vox Celtica, & antiquiſſimo atque utiliſſimo invento, propter quod Auriga in Cœlo conſpicitur, coæva, & a motu ſic dicta, plane ut curſor a currendo. Nam currere Cambris dicitur *rhedeg*, Armoricis *rhedec* & *rheden*, teſtibus Boxhornio & Pezronio. Quibus conſentiunt Hebr. *ruz* currere, & Gr. ῥοθέω cum impetu feror. Quæ haud dubie inter ſe cognata ſunt, & ad linguam aliquam antiquiorem referenda. Hujus vocis vetuſtiſſimum monumentum eſt compoſitum Antiquo-Gallicum *petoritum*, quamvis a Latinis paulo vitiatum, cum proprie ſit *petorrotum*, vel *petorotum*, quadriga, de quo Feſtus: *Petoritum & Gallicum vehiculum eſſe, & nomen ejus dictum exiſtimant a numero quatuor rotarum.* Sane Cambris & Armoricis, veteris linguæ Gallicæ & Britannicæ cuſtodibus, quatuor in hunc usque diem dicitur *pedwar* vel *petoar*, & rota *rhod* vel *rat*. Unde jam porro patet, ad quam linguam ſpectent *rota*, *rheda* & *rhedarius*. Et *rota* quidem Latinis potuit communicari ab Oſcis, vel aliis Celtice loquentibus Italiæ populis antiquis. Nam de *rheda* & *rhedario* ne dubium quidem ſupereſt, quin apud Gallos

R nata

Digitized by Google

nata ſint. Refert enim Quintilianus, *rhedam* Gallos vocare currum: Et Cicero, *rhedarium* Gallis aurigam dici. Ubi ſub Gallis complecti quoque licet Germanos, quibus *reit* antiquiſſimis temporibus pro curru uſurpatum, diuque retentum eſt, priusquam tempus & oblivio aboleret. Gloſſ. Pez. bigæ *reiti*, quadrigæ *reiti*, auriga *reituueko*. Verel. in Indice, *reid* carpentum. Græci poſteriores habent *ῥέδιον* & *ῥαίδιον* eodem ſenſu, teſte Meurſio in Gloſſario Græco-Barbaro. Patet quoque unde & qua Lingua *Rhodanus*, celebris Galliæ fluvius, nomen invenerit. Cum enim rapidiſſime feratur, non lente ſicut *Arar*, qui hodie *Saone*, hinc illum a celeri curſu ſic dictum, & res ipſa oſtendit, & Pezronio obſervanti æquum eſt ut credamus. Galli hodierni rotam vocant *roue* per Syncopen.

RADE, curſim, feſtinanter. Vox omnibus olim Germanis communis, nunc ſolis Saxonibus inferioribus propria. Gloſſ. Boxhorn. *ſo rado* quantocius, *rader*, citatus. Angloſax. *hrathe* celeriter, Anglis *rather* citus. Græcis *ῥαδινὸς* agilis, celer, mobilis. Cuncta ex eodem fonte, quem vide ſupra in *Rad*.

RÆTZEL, ænigma. Angloſax. *raedels*, Francis *ratiſſa*. Gloſſ. Boxhorn. *ratiſſa* problema, *ratiſſo* ænigmata. Gloſſ. Pez. problema *ratuſſa*. Tatianus in *ratiſſun* in parabolis, LXX, 2. LXXIV, 5. *andera ratiſſa* aliam parabolam, LXXII, 1. LXXIII, 1. LXXIV, 1. *horet ratiſſa* audite parabolam, LXXV, 1. Significare poteſt vel quæſtionem intricatam ad ſolvendum propoſitam, ſi derivetur a Gr. *ἐρωτᾶν*, interrogare: vel ratiocinium, ſed obſcurum, & figuris quibusdam involutum, ſi derivetur a ſubſtantivo Gothico *rathjo* ratio, quod occurrit eo ſignificatu Luc. XVI, 2. vel conjectarium, quod intelligi non poteſt, niſi a divinantibus, ſi derivetur a *ratèn* conjectare.

RATEN,

Digitized by Google

RATEN, numerare. Gothis *rathjo* numerus, Joh. VI, 10, *garathana* capilli numerati, Matth. X, 30. Angloſaxonibus *gerad* computatio. Superat Germanis in *gerad* & *ungerad*, quo numerus par & impar denotatur, nec non in *rumrætig*, qui laudes ſuas enumerare ſolet.

RATEN, divinare, hariolari. Angloſax. *aræd* prophetiza, Marc. XIV, 65. Senſus a calculo ad conjecturas traductus, quod divinantes ſimiles ſint computantibus.

RATEN, divinando aſſequi, proſpera conjectura uti. Hoc ſenſu Svevi dicere ſolent, *er hats geraten*, quando conjectura non fefellit. Reliqui Germani utuntur compoſito *erraten*, conſentientibus antiquis. Gloſſ. Pez. ſolveritis *irratet*.

RATEN, exponere. Verelius in Indice: *rada runer* ſecretas literas exponere. Hic ſenſus, ni fallor, obſoleſcit.

RATEN, præeſſe. Verelius in Indice, *rada* præeſſe, imperare, *radgiarn* qui aliis imperare cupit. Videtur ſuperare in honoris & dignitatis titulo *rat*, conſiliarius. Quid enim ſunt Conſiliarii Principum & Civitatum, niſi præſules & præſtites populi? Rempublicam ſane non ſolum conſilio juvant, ſed etiam tractant: & hinc pari jure a regendo & conſulendo *ræte* vocantur.

RATEN, conſtituere, quod imperantium proprium eſt. Gothis *garaid* ſtipendium conſtitutum, Luc. III, 13. Angloſaxonibus *gerad* conditio, & lex alicui poſita, obſervante Fr. Junio. Hinc mundus muliebris dicitur *gerade*, quaſi conſtitutio juris Saxonici.

RATEN, conſilium dare, bonum vel malum. Gloſſ. Pez. conſulere *giratan*, ſuggeras *rates*. Idem Sorabis *radzu*.

RATEN, parare, præparare. Angloſax. *gerædian*. Verel. in Indice, *radaſt* parari, *radan* paratus. Superat Germanis in *beuraten* parare domum vel familiam,

geratc ſupellex, *vorrat* apparatus, *hausrat* apparatus domeſticus.

RAUNEN, murmurare, muſſitare, ſuſurrare in aurem. Utitur Lutherus Pſal. XLI. 8. præeuntibus antiquis. Angloſax. habent *runian*, eodem ſenſu. Gloſſ. Lipſ. *rundon* ſuſurrabant. Gloſſ. Boxhorn. *runentemu*, muſanti, lege muſſitanti, Gloſſ. Pez. muſſitantes *runezanta*. Verel. in Ind. *runa* muſcitare, *rynia* murmurare, vocem triſtem emittere. Ab hoc verbo denominaonem accipit apud Celticos Populos, quicquid arcanum & ſecretum eſt. Hinc myſterium Gothis dicitur *runa*, Angloſax. *run*, *rune*, *geryne*, Francis & Alam. *runo*, *giruno*, *kiruno*, & interdum compoſite *orkiruno*, quaſi myſterium auriculare, Cambris *rhin*, Septemtrional. *runa*. Quæ vox, etiamſi ante Chriſtiana tempora nefandis Sacrorum ritibus (unde arcanus terror ſanctaque ignorantia apud Tacitum cap. XL.) nec non auguriorum & Magiæ myſteriis potiſſimum adhæſerit: poſtea tamen a profano purgata ſenſu myſteriis doctrinæ Chriſtianæ adhiberi cœpit, ut demonſtravimus ſupra in voce *Geheimnuſs*. Quibus nunc addere libet, quod iisdem temporibus myſteriorum interpres Saxonice dictus ſit *runcræftig*, qui antea erat Augur. Ab eodem verbo literæ priſcis illis & Chriſtiana Religione nondum initiatis dictæ ſunt *runſtaba*, id eſt, characteres occulti, quod vulgo eſſent ignoratæ, & ſolis Sacerdotibus, Principibus, & feminis fatidicis cognitæ, qui, ne prodirent in vulgus, ſummopere cavebant. Injurii enim ſunt in Gentem noſtram, qui eam ab omni ævo literarum omnino rudem fuiſſe exiſtimant. Contrarium ſane liquet ex Tacito, qui literas Germanorum Runicas interpretatione Latina *literarum Secreta* vocat, cap. XIX. qui partem literarum a Maroboduo undique deſerto ad Tiberium ſcriptarum recitat, Annal. II, 63. & Adgandeſtrii Cattorum Principis literas, quibus mortem Arminii promittebat, ſi patrandæ

neci

neci venenum Roma mitteretur, in Senatu lectas eſſe memorat, ibid. cap. ult. Quæ ſatis clare demonſtrant, viris principibus inter noſtros antiquitus nec literas, nec ſcribendi peritiam defuiſſe. Imo, tanta erat apud noſtros literarum æſtimatio, ut omnes literarum potentes, ſive feminas ſive viros, communiter appellarent ALRUNAS, quaſi omniſcios. Hinc magus, myſta, & admodum ſapiens in Indice Verelii vocatur *allruna.* Credebant enim legendi peritos omnia ſcire, & literis ad quæcunque vellent patranda uti poſſe, etiam ea, quæ alias vires humanas excedunt. Vix ulla natio eſt in univerſo, quæ literis majus pretium ſtatuerit, cum adhuc literarum expers eſſet. Omitto nunc WODANUM, primum apud vetuſtiſſimos Saxonum literarum ſtatorem, & ob tantum beneficium, quamvis Phryx eſſet, inter Deos patrios relatum, cujus memoria ſuperat apud Anglos in nomine Mercurii *wodens-day*, & Belgas in *woens-dag*.

RECHNEN, numerare, computare. Gothis *rahnan* eodem ſenſu dicitur. Hinc *rahneith manwi* computat ſumtus, Luc. XIV, 28. *rahnith was* numeratus eſt, Marc. XV, 28. Cum ſupputatio ſit demonſtratio rei per numeros, nec ulla ars magis ſcientifica illa, quæ circa numeros & unitates verſatur, hinc *rahnan* videtur ſic dictum, a *rahha* cauſa. Kero: Cauſa *rahcha*, cauſæ *rahchu*, cauſam *rahhan*. Ab hoc ſubſtantivo derivatur Alamannis *rahhon* referre, hoc eſt, in ſerie & ordine narrare, *errahhon* enarrare, *entrahhon* excuſare, quaſi excauſare, & *kirechida* expoſitio, quia expoſitiones fiunt per cauſas, quæ vide apud Keronem in Gloſſis. Quod, ſi de ſermone dici potuit, multo magis de numero. Quam cognatæ autem ſint mentis operationes, narrare, quod Hiſtorici, & ſupputare, quod Arithmetici eſt, teſtantur non ſolum Latini, quibus a *numero* derivatur *numerare*, & *enumerare*, hoc eſt, computare & referre, ſed etiam reliquæ Germanorum Dialecti. Hinc computare &

narrare eodem verbo omnibus effertur, Angloſaxonibus quidem *tellan*, *tællan*, Alamannis & Francis *zellan*, Germanis hodie *zelen*, & Belgis *tellen*. Hinc ſuſpicor, Gothis *rabba* præter cauſam ſignificaſſe etiam numerum. Angloſaxones certe utrumque ſignificatum complectuntur in voce *race*, & argumenti & ſupputationis, plane ut Græci & Latini in vocibus *λόγος* & *ratio*: & hinc illis *reccan* æqualiter ſignificat narrare & ſupputare, teſte Somnero in Dictionario Angloſaxonico.

REDLICH, integer, ſincerus, apertus. Angloſaxonibus *redlic* eſt prudens, conſultus, *redelaes* præceps, Keroni *radalich* ſtrenuus, Batavis *redelyk* rationalis, *redelyk dier* animal rationâle, *redelyk mens* homo rationalis. Isque eſt proprius vocis ſignificatus. Nam ratio Gothis dicitur *rathjo*, Francis & Alamannis *reda*. Apud Ulfilam legimus, *usgif rathjon* redde rationem, Luc. XVI, 2. apud Iſidorum, *reda ſucchan* rationem quærere, pag. 240. apud Tatianum, *reda geldan* rationem reddere, LXII, 12. Vox Gothica non eſt a Latino *ratio*, etiamſi ſono & ſignificatu conveniat, ſed a verbo domeſtico *rodjan* loqui, quod paſſim occurrit in Evangelio Gothico. Nam hinc per varios rivos derivantur, *razda* (vel potius *radza*) verbum hominis externum ſive oratio, & *rathjo* verbum hominis internum ſive ratio. Franci utrumque verbum vocant *reda*, a *redan* loqui. Et in his duobus verbis, quibus loquimur cogitando, & cogitamus loquendo, conſiſtit præſtantia hominis præ animalibus, &, ſi Tertulliano credimus, pars imaginis & ſimilitudinis divinæ, con. Praxeam cap. V. Unde porro de ſapientia eorum, qui hæc ſigna rebus impoſuerunt, judicium ferri poteſt. Eadem ſapientia duce vox rationis ad omnes virtutes extenſa eſt, quia perſvaſum erat majoribus noſtris, plane ut olim Stoicis, virtutem eſſe potentiam animi, ex ductu rationis vivendi. Hinc ſcil. variis virtutibus appellationem a ratione indiderunt, quia noverant,

Digitized by Google

rant, nullam eſſe virtutem, niſi ex ratione. Itaque *red-lich* primo quidem ſignificabit eum, qui rationalis eſt, & rationi convenienter vivit, ſed & ſyncerum & minimè fallacem. Nam ſynceritas, quæ harmonia verbi interni & externi unice definitur, eſt virtus maxime rationalis,& rectæ rationi conformis: Fallere vero & decipere eſt hominis callidi & aſtuti, & ſtulti potius quam ſapientis, qui recta ratione ducitur, niſi id fiat Reip. cauſa, & commodo Societatis humanæ promovendo. Tunc enim Sapienti idem licebit, quod Medico,de qua re non eſt hic differendi locus.

REFIER, vox origine Germanica, exteris quondam a noſtris communicata, ſed poſtliminio cum barbara terminatione ad nos reverſa, de cujus ſignificatu hodierno priusquam aliquid definiamus, ſequentia præmittenda ſunt. Quicquid incurvum, inflexum, aut obliquum eſt, & per circulum in ſe redit, Populis Celticis appellari ſolet *reif*, Græcis conſono vocabulo & fortaſſe Celtico *ῥαιβὸς*. Hinc Ulfilæ, Gothorum interpreti, corrigiæ ſive vincula calceamentorum vocantur *skauda-raip*, Luc. III, 16. Hodie dixeris *ſchuh-reif*. Hinc venter Francis & Alam. *ref*, vel *reve*, & veſtis, quæ ventrem ambit, Angloſaxonibus *reaf*, Matth. VI, 25. Olim enim locupletiſſimi veſte diſtinguebantur non fluitante, ſicut Sarmatæ & Parthi, ſed ſtricta & ſingulos artus exprimente, teſte Tacito de moribus German. cap. XVII. Hinc reſtis & quivis funiculus Angloſaxonibus *rap*, Cambris *rhaff*, Anglis *rope*, Belgis & Danis *reep* vel *reeb*. Hinc Septemtrionalibus, & præprimis ultimis mortalium Islandis faſciæ *reifar*,& infans faſciis involutus *reifa-barn*, teſte Verelio in Indice. Hinc denique circuli, quibus latera dolii continentur, per univerſam Germaniam vocantur *reife*. Unde jam patet, quid proprie ſit *refier* (quod haud dubie cum reliquis ad eandem familiam ſpectat,) & quæ notio ſubſit vocabulo. Nimirum *refier*,

Digitized by Google

adhibita rerum & verborum inter ſe æſtimatione & analogia, nihil aliud denotare poteſt, quam parvum terræ circulum, quem vulgo tractum vel diſtrictum vocamus, quia ſaltibus quibusdam, vallibus aut fluentis, tanquam terminis cingitur & quaſi ſtringitur, cujus Synonymum hodie eſt *kreis*.

REGIEREN, regere imperio. Vox nova, & ex dictionis inopia orta. Priſcas voces vide infra in *Reich*. Sed quia priſca contemnimus, hinc cogimur cum Latinis loqui. Quam bene vetuſtas contemtum ſui vindicat.

REICH, potens. Gothis *reiks* in poſitivo, *reikiſt* in ſuperlativo. Hinc ſummum Sacerdotem vocant *reikiſtin gudjin*, quaſi principem Sacerdotem, Joh. XVIII, 22. & principem Dæmoniorum *reikiſtin unholthono*, quaſi potentiſſimum Dæmonum, Marc. III, 22. Iisdem acceptum referri debet, quod potentiores adhuc in Hiſpania & Navarra vocantur *rici homines*, quod ex Oihenarti Notitia Vaſconiæ, libro rariſſimo, obſervat Cl. Eccardus. Idem Saxonibus *rice* & Francis *richi*. Otfridus Lib. II. cap. XII.

Niſt man nihein ſo richi
Ther ſtige in himilrichi,
Non eſt ullus homo tam potens,
Qui adſcendat in cœlum.

Hiſce conſentiunt Armorici, quibus *rich* potens, teſte Pezronio in Celticis. Hunc ſenſum Germani agnoſcunt in ſubſtantivo *reich* regnum, quod certe non a divitiis, ſed a potentia ſic dicitur, nec non in compoſito *wüterich* tyrannus. Ab hoc interim primitivo, quamvis hodie obſoleto, magna prodiit & illuſtris vocabulorum familia in omnibus veterum Dialectis. Hinc ſcil. Gothis *reiks* princeps, & *reikinon* dominari. Hinc Angloſaxonibus *rica* princeps, qui rerum potitur, *ricc*, *ricedom* regnum, *riccetere* potentia, *reccan*, *ricſian* regnare. Hinc Francis

cis & Alam. *rihhe* regnum, *rihhituam* principatus, tyrannis, *rihhiſon* regnare. Hinc Islandis *riki* ditio, poteſtas, vis, ſubjugatio, *rikia* dominari.

REICH, dives. Gloſſ. Pez. opulentos *rihha*, beatus *rihher*, (beati enim poſſidentes), diteſcere *rihhan*. Inde Gallis *riche*, Italis *ricco*. Senſus a potentibus ad divites traductus, ſive quia potentiores olim diteſcebant ex rapinis infirmiorum, ut Pezronio jam ſæpe laudato viſum, ſive quia unusquisque tantum habet potentiæ, quantum divitiarum, quatenus pecuniæ Reginæ obediunt omnia. Gothi & Angloſaxones non videntur hunc ſenſum uſurpaſſe. Nam homo dives, de quo ſermo eſt in Parabola Domini Luc. XVI, 19. Gothis vocatur *manne gabigs*, Angloſaxonibus *welig man*.

REICHTUM, olim ſignificavit regnum, & imperium juſtum & injuſtum. Germani vocabulum a dominatu ad divitias transtulerunt, quia opes privatorum revera ſunt parva imperia, & ſæpe injuſta.

REIGER, ardea: Latinis fortaſſe ab arduo volatu, Germanis ab ordine volandi ſic dicta. Nam ſeries, ordo, linea, Germanis dicitur *reige*, non hodie tantum, ſed & antiquitus, ut patet ex vocibus Latino-Barbaris *rega*, *riga*, *ruga*, apud Cangium in Gloſſario, quas origine Germanicas eſſe, extra dubium. Hoc ſuppoſito, *reiger*, erit vel ductor ordinis aërei, vel certe unus ex illo ordine. Volant enim gregatim ardeolæ, præſertim in migrationibus, & in his ducibus utuntur. Plinius ex Juba: *duos ſemper iis duces: alterum ducere agmen, alterum cogere.*

REIM, rhythmus, ſimiles habens exitus, a numero ſyllabarum ſic dictus. Nam *rim* proprie numerum denotat. *Rim* pro numero vox antiquiſſima eſt, & ab ipſis Scythis profecta. Illis enim unus dicitur *arima*, teſte Herodoto Lib. IV. cap. XXVII. quaſi absque numero, quoniam unitas non eſt numerus, etiamſi ſit principium numeri.

numeri. * Locum integrum Herodoti vide infra in *Spæhen* primæ ſignificationis. Celtas eandem vocem & eodem ſenſu uſurpaſſe, patet ex perenni uſu omnium fere populorum Celticorum. Hinc Otfrido numerus piſcium dicitur *rim thero fisgo*, ex emendatione Roſtgardi, Lib. V. cap. XIV. Angloſaxonibus *rim-cræft* eſt arithmetica, chronologia. Islandis *rym* calendarium, ob computum dierum. Hodie extra Poëticam non dicitur. Galli & Itali noſtros imitati ſunt non ſolum in vocibus *rime* & *rima*, ſed etiam in verſificando. Valeſiana enim uſum rythmorum in Gallia ad annum MC. ponunt, quo tempore Germania jam diu præſtantiſſimo Monumento rhythmico Otfridi ſuperbiebat, ut antiquiora carmina nunc omittam. Græcis quodvis canticum & poema dicitur ῥῆμα, ſi a numero & menſura, pulchre, ſi a ῥῆμα verbum, inſipide.

REIMEN, edere verſus ſermone vernaculo, ſibi invicem ſono reſpondentes. Significat proprie numerare, computare. Tatianus XLIV,21. *juuares houbites har alle girimitu ſint*, capitis veſtri capilli omnes numerati ſunt. Quemadmodum igitur *rechnen* a ſermone translatum eſt ad numerum, ita *reimen* a numero ad ſermonem ligatum, quia Poetæ coguntur ſyllabas numerare. Inde Gallis *rimer* eodem ſenſu, & *rimeur* talis verſificator.

REIS, virgultum. Sicut Latinis *ſurculus* a *ſurgendo*, ita Germanis *reis* a *reiſan* ſurgere, dicitur. Quod, etiamſi hodie eo ſenſu non amplius dicatur, olim tamen in omnibus Dialectis viguit. Nam ſurgere Gothis vocatur *reiſan*, exſurgere *urreiſan*, Angloſax. *riſan*, *ariſan*, Anglis *to riſe*, Islandis *riſà*, teſte Verelio in Indice. Francis quidem & Alamannis *riſan* eſt cadere, ut patuit ſupra in voce *Bettriſen*. Sed huic difficultati medelam jam attulit Cel. Stadenius, dum Celticæ voci duplicem motum tribuit, & pro conditione motus, vel ſurſum vel deor-

deorſum tendentis, duplicem ſenſum. Cui conjecturæ favet idioma Angloſaxonicum, in quo *riſan* eſt ſurgere, *hryſan* cadere, aliquo quidem literarum diſcrimine, ſed nullo impedimento, quo minus utrumque ex eodem fonte, quamvis nobis ignoto, manaverit. Nam ejusmodi derivata, a communi origine in diverſam & ſæpe oppoſitam viam abeuntia, obſervare licet plura in veterum Dialectis, Sic *ſigan* Angloſaxonibus utrumque ſignificat, cadere & erigi, vincere & ſuccumbere.

REITEN, equitare. Primis temporibus erat currere. Inde nomen carpento *reiti*, quaſi curſori, ut vidimus ſupra in *Rad.* Idque nemini debet mirum videri, cum etiam Latinis bigæ & quadrigæ a currendo *currus* dicantur. Poſtea cœpit uſurpari pro vehi curru, tandemque pro vehi equo, aut alio curriculo animato.

REK, plur. *reken.* In Mythologia Islandica *Landreken* ſunt Duces & Reges, qui per terras agunt exercitus, a verbo vernaculo *rekia* pellere, quod vide apud R. Jonæ in Dictionariolo. A Regibus tranſiit nomen ad ſtrenuos milites. Hinc in eadem Mythol. milites Alfi Regis vocantur *reckar*, quod hoſtes ſemper propellerent. Eodem ſenſu videtur accipi in Rythmo de S. Annone Stropha XIX. ubi de Svevis ſequens extat elogium:

Die ſich dikke des vürenamin
Daz ſie güde rekkin werin,
Woli vertig unti wighaſt,
Doch bedwang Ceſar al iri craft.

Goldaſto in Scriptoribus Parænet. pag. 362. *reken* ſunt Heroes, id eſt, populi Duces ac defenſores, homines juſti æque ac fortes, qui Germaniam a ferarum, latronum, & hoſtium defenſarent impetu, ſive regioni aut civitati præeſſent, ſive caſtris tantum. Et horum etymon quærit in Lat. *rex*, præter neceſſitatem. Idem

Reckios

Reckios a *Riſiis* diſtinguit. Leibnitio in Miſcell. Berol. Tom. I. pag. 2. *reken* ſunt longuriones, a verbo *reken* extendere, cui ſententiæ videtur favere diminutivum *rekel*, de cujus proprio ſignificatu mox dicemus. Alii *Rekios* noſtros a *rice* potens, derivant. Lectori integrum ſit, opinionem, quam velit, amplecti. De *Rekiis*, quorum honeſta olim appellatio fuit, hodie nihil reſtat præter convitium *rekel*, quod torquetur in homines proceros, qui præter vaſtam longitudinem nihil magni habent, niſi ruſticitatem.

RELIGION, religio, cultus Dei internus & externus, Latinis ſic dictus, quod homines inter ſe & cum Deo religet, ſenſu quidem optimo, ſed vocabulo præter neceſſitatem a Latinis adoptato. Nam veteres eodem & opulentiore ſenſu dicebant *haltida*, quaſi *halte* vel *haltung*. Gloſſ. Boxhorn. *healtida* religio, *healtiger* religioſus. Sive quia homines a religione in officio continentur, ne ad impias conſvetudines & iniquiorem belluis vitam delabantur, ſive quia religio eſt perennis continentia, & obſervatio mandatorum Dei, & verus de Deo ſenſus, non præſumptione, aut animi perturbatione, ſed conſtanti ratione menti ingeneratus. Nam radix *halten* hæc omnia ſignificat, ut vidimus ſuo loco. Non debent autem voces vernaculæ & domi natæ poſtponi exteris, & multo minus illæ, quæ melioris notæ ſunt, quam peregrinæ.

RISE, gigas. Gloſſ. Pez. titan *riſo*, cyclops *riſi*. Cambris *rhyſwr* agoniſta, heros, pugil, miles. Verelius in Indice *riſar* gigantes, ſtatura valde proceri. Eſt autem *riſan* ſurgere & ſcandere in altum, ut vidimus ſupra in voce *Reis*, & hinc Gigantes videntur ſic dicti, cum quod omnium longurionum eſſent proceriſſimi & immenſis corporibus præditi, tum & quod contra Deos inſurrexiſſent. Video etiam Cel. Palthenium ſurculum & gigantem ex eodem fonte repetere, in voce *urreſti*.

ROKEN,

ROKEN, colus. Verel. in Ind. *rock* colus. Inde Italis *rocca*, Hiſpanis *rueca*, eodem ſenſu. Obſervat Mareſchallus pag. 514. ex manuſcripto quodam libello, olim cingulum Orionis in cœlo, a Saxonibus appellatum eſſe *Friggeroch* colum Friggæ, in honorem conjugis Odini, poſt Chriſtianam vero Religionem publice receptam *Mariroch* colum Mariæ, in honorem B. Virginis. Cæterum colus videtur ſic dicta, quaſi velloſa & hirſuta, a lana vel lino in colo ſuſpenſo, parte coli præcipua, quæ videtur comam referre. Nam hirtus, hirſutus, Angloſaxonibus dicitur *ruh*, *rug*, Francis & Alam. *ruh*. Kero: velloſam *ruha*. Germanis hodie *rauch*. Unde ipſa Cæſaries Islandis appellatur *ruu*. Hanc etymologiam videtur confirmare, quod linum & cæſaries in lingua Germanica & Sarmatica vocabulis plane conſonis exprimitur. Linum enim Angloſaxonibus vocatur *flax*, Matth. XII, 20. Germanis ſuperioribus *flachs*, inferioribus *vlaſs*, capillus vero Sorabis *wloſs*: ſive quia appellatio a capillis ad linum, ſive a lino ad capillos pervenit. Manifeſta enim utriusque ſimilitudo eſt.

ROKEN, ſecale. Latino-Barbaris *rogga*. Convenit Latinum *arinca*. Doctiſſ. Stilerus factum putat per metatheſin ex *korn*, frumentum. Mihi omnia vocabula, quæ ad rem agrariam, frumentariam, & piſtoriam ſpectant, videntur eſſe Phrygia, rationem ſuppeditante Lucretio Lib. II. verſ. 613.

- - Quia primum ex illis finibus edunt,
In terrarum orbem fruges cœpiſſe creari.

ROSS, equus. Angloſaxonibus *hors*, Francis & Alam. *roſs*, ut patet ex compoſitis *reitroſſo* & *ſatalroſſo* apud R. Pezium in Gloſſis, Armoricis *roſs*, Septemtrionalibus *hroſs* in Indice Verelii, Wolframo ab Eſchelbach *Ors* Parte II. Heroicor. apud Goldaſtum in Scriptoribus Paræner.

An

An Stegereif geringe
Er in den ſattel ſprang,
Sin Ors tet vunfzehn ſprünge,
Ieglicher zwo klafter lang.

Ex hiſce *hors* haud dubie vetuſtiſſimum eſt, & reliquis naſcendi ordine prius, unde cætera ſpiritu vel ſervato vel oppreſſo per converſionem literarum prodierunt. Et cuſtoditur hodienum ab Anglis in *horſe*. Somnerus vocem Angloſaxonicam deducit ab *horn* cornu, ita ut *hors* proprie ſit cornipes. Mihi *hors* videtur ſic dici, vel a celeritate, vel ab induſtria. Nam *hors* utrumque ſignificat, celerem & induſtrium. Priorem ſignificatum vide in *Hirſch*. Poſteriorem evincunt Gloſſæ Keronis: induſtrius *hors*, iners *unhors*, induſtria *horski*. Utrumque etymon perfecte convenit animali, natura ſua indefeſſo pariter ac veloci. Quis neſcit, quanta ſit laboris in equo, qua pace, qua bello, patientia? Quanta in curſu virtus & pernicitas? Quot palmæ in Circenſibus, excuſſo etiam auriga, a ſponte currentibus occupatæ? Quot itinera per immenſa terrarum ſpatia paucorum dierum continuo curſu ſuperata? Omitto hiſtorias, quia non opus eſt monumentorum fide, ubi rerum teſtimonia adſunt. Primis temporibus *roſs* erat præſtantior equus, ſicut ex etymo patet. Poſtea venit in contemtum, præprimis apud Francos, quibus ſubjugale *ros*, in Gloſſis Pezii, minime vero apud Angloſaxones, quibus equus bellator conſtanter dicitur *hors*. Ante quingentos annos *ors* priſtino honori reſtitui, & belli uſibus ludisque equeſtribus adhiberi cœpit, ut ex Wolframi rythmis adparet. Hodie *roſs* eſt equus vilis, trahendo aut ferendo oneri natus. Sic enim voluit uſus, quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi. Adeo nihil viciſſitudinis legibus exemtum, ut voces quoque ſuos experiantur caſus. A Germanis Galli acceperunt *roſſe* & *rouſſin*, Hiſpani *rozin*, & eodem ſignificatu.

SAL.

S.

SAL, manſio qualiscunque ſive hominum ſive animalium. Tatianus LI, 2. *fohun habent loh*, *inti himiles fugala ſelida*, vulpes habent foveas, & volucres cœli nidos. Gothis *ſaljan* manere, divertere, hoſpitari, Luc. XIX, 7. *ſaljaith* manete, Marc. VI, 10. Luc. IX, 4. *ſalida* manſit, Joh. X, 40. Inde *ſal* manſio, quod ex uſu Francorum ad animalia quoque extenditur, uti vidimus. Hodie obſoleſcit. De terminatione Francica *da* vide Prolegomena in *De*.

SAL, domus, & quævis liberi hominis ſedes atque habitatio. Hoc ſenſu *ſal*, vel *ſala*, occurrit in Legibus Salicis, Alamannicis, & Longobardicis, nec non in Decreto Taſſilonis §. 14. quod pluribus demonſtravit celeberrimus Legum Salicarum Commentator J. G. Eccardus, in notis eruditis & copioſis pag. 44. Eodem ſenſu vox Tatiani uſurpatur a Scriptoribus Alamannicis & Francicis. Gloſſ. Keron. tabernaculo *ſelidun*. Gloſſ. Lipſ. *ſelitha* tabernaculum. Similiter apud Otfridum domicilium Domini vocatur *ſelida*, Lib. II. cap. VII. & diſcipuli jubenti magiſtro, ut Paſcha præpararent, regerunt, ſe non habere *uuiht ſelidono* aliquod habitaculum, Lib. IV. cap. IX. Angloſaxonibus *ſælth* vel *ſeld*, Islandis *ſalur* eodem ſenſu dicitur. *Sal* pro domo videtur ſupereſſe in quibusdam Germaniæ locis, ubi area vel aula ante domum vocatur *ſelhof*.

SAL, locus in eadem domo convivis excipiendis deſtinatus, pars ædium amplior & ornatior, alias Cœnaculum. Hoc ſenſu videtur uſurpari ab interpretibus ſacrarum literarum Joh. XIV, 2. *in domo patris mei multæ ſunt manſiones.* Ubi Gothus habet *ſalithwos*, Tatianus Francus *ſelida*, CLXII, 1. Hic ſenſus maxime viget in Germania. Et ab hoc ſenſu habent Galli *ſale*, *ſalon*, Itali *ſala*, *ſalette*, *ſalone*, Hiſpani *ſala*, *ſalon*.

SAM,

SAM, una, pariter. Vox Celtica, quæ Gr. eſt & effertur ἅμα (ſolent enim Gr. ſibilum Celticum vel omittere vel in ſpiritum aſperum mutare) Latinis *ſimul*, Gothis *ſama, ſamana*, Angloſax. *ſame*, Francis & Alam. *ſaman* in derivatis, Islandis *ſam*. Inde varia exiſtunt in omnibus Dialectis, tam recentibus quam antiquis derivata & compoſita. Gothi habent *ſamaſokjan* disquirere una, Angloſaxones *ſamnian* colligere, Franci & Alam. *ſamanon, giſamanon* colligere, congregare, *ſamanunga* eccleſia, congregatio, cœnobium, quæ vide apud Keronem in Gloſſis. Germani ab eodem primitivo, quamvis hodie obſoleto, acceperunt *ſamlen, verſamlen* colligere, congregare, *verſamlung* congregatio, multorum in unum cœtum coitio, *ſammelplaz* locus congregationis, *ſumme* collectio numerorum, *ſamt*, *zuſamen* una, collective. Litera L. in vocibus Germanicis, quam veteres Dialecti haut agnoſcunt, eſt nota frequentativi, a Gallis quoque ſermonis noſtri imitatoribus cuſtodita & aucta in voce *aſſemblée*, quæ haud dubie originem ſuam refert ad particulam Francicam *az* ad, & *ſamlen* congregare.

SAMBSTAG, dies Saturni. Proprie dies Sabbati, puta Judæorum. Hunc enim interpres Tatiani vocat *ſambaztag*, XVI, 1. unde Germanis nomen. Judæis ſic dicitur, quaſi requies & ceſſatio a labore. Appellationem, etiamſi Chriſtianis moribus ejus diei non reſpondeat, retinuerunt tamen Germani, præcipue ſuperiores. Nam inferiores eundem diem frequentius appellare ſolent *ſonnabend*, quaſi veſperam ſeu vigiliam ante diem Solis, quod deterius eſt, & paganiſmum olet. Deberent ejusmodi appellationes publica auctoritate aboleri, propter ea quæ S. Auguſtinus pie monuit in Enarratione Pſalmi XCIII. Franci ex Sabbato fecerunt *ſambaz*, ſicut Æthiopes *ſanbat*. Solent enim voces Hebrææ in ore extero pati corruptionem, quod Mareſchallus exemplo *Habakuki*, qui Gr. ſcribitur Ἀμβακοὺμ, demon-

demonſtrat. Plures ejusdem generis corruptelas videre licet apud Bochartum in Geographia Sacra Part. II. Lib. II. cap. XVII. Gothi nihil in voce mutarunt, ſed Sabbatum vocant *Sabbato*, & diem Sabbati *Sabbatodags*. Angloſaxones eundem diem vocant *ſæter - dæg* Marc. XV, 42. & *ſæternes-dæg*, Marc. XVI, 1. a Saturno, quem Tacitus falſo venditat pro Conditore Judaicæ Gentis, Hiſt. V. cap. IV. & mox *reſte-dæg*, Marc. XVI, 2. a quiete. Hodie dixeris *raſt-tag*, quæ eſt propria vocis ſignificatio.

SAMEN, ſemen. Francis & Alam. *ſamo*. Iſidorus pag. 265. *sün ſamo ardot in euuin*, ſemen ejus manebit in æternum. Tatianus LXXI, 1. *Zi ſauuene ſamon ſinan*, ſeminare ſemen ſuum. Vox Celto-Scythica, a Latinis, Francis, & omnibus populis Slavonicis cuſtodita, Polonis *ſiemie*, Boh. *ſemeno*, Ruſſis *ſeime*, Dalmatis *ſzime*, Turcis *ſembil:* Cujus radix certe alia eſſe non poteſt, quæ derivationi commodior aut rei ſignificandæ aptior ſit, quam particula a Celticis populis uſurpata *ſam*, ſimul, una, pariter. Nam ſemen natura ſua eſt ens collectivum, ex ſubſtantia, vi inſita, & idea compoſitum, in quo tota ſpecies plantæ & animantis, & omnes ejus partes, admirando & inexplicabili Dei artificio jam ſunt deſignatæ, ita ut naturæ rerum nihil relictum ſit, niſi divini hujus involucri in ſerie & ordine evolutio. Dici non poteſt, quantam hæc una vox ſpiret ſapientiam. Neceſſe enim eſt eos, qui id nominis ſemini impoſuerunt, agnoviſſe Mentem quandam divinam, creatricem & per omnia diffuſam, cum formas illas ſubſtantiales vel a ſe ipſis eſſe, vel ab atomis brutis produci, impoſſibile ſit. Gallis eadem res dicitur *ſemence*, Italis *ſeme*, Hiſpanis *ſimiente*, utrum a Latinis, an populis Germanicis accepto vocabulo, incertum.

SAMT, idem quod *ſam*. Æolice ἅμυδις, Gothis *ſamath*, in compoſito *ſamathrinnan* concurrere, quod de multitudine dicitur, Marc. IX, 25. Francis *ſamant* in

compoſitis *alſamant* ſimul omnes, apud Otfridum Lib. I.cap.IX. *ſamantſerti* comitatus itineris,quod habet Tatianus XII, 3. & aliis, Verelio in Indice *ſamt*. Germanis *ſamt* modo præpoſitio eſt, regens dativum, modo adverbium. Habent & compoſita *geſamt*, *alleſamt*, *ſamtlich*, & ſimilia, quorum ſignificatio in vulgus nota.

SATTEL, ephippium. Gloſſ. Pez. jumentorum cingula *ſatalgiziugi*. Cambris *ſadell* ephippium, Islandis *ſadull* idem. Græcis σάττω impono. Quamvis hæc vox ad Germanicam originem facile referri queat, quatenus ſedes quæcunque Gothis dicitur *ſitl*, Angloſax. *ſetl*, Francis *ſitti* in Gloſſ. Boxhorn. Alamannis *ſedal* in Gloſſ. Keron. a *ſittan* ſedere, vel *ſatjan* ponere, præſertim cum ephippium nihil aliud ſit, quam ſella equaria, vel clitella impoſita: Veroſimilius tamen eſt, vocem extra Germaniam in Britannia natam eſſe, quoniam Cæſar de Germanis, Germanorumque ferociſſimis, Svevis inquam, ſive Chattis, diſerte ſcribit: *Neque eorum moribus turpius quicquam, aut inertius habetur, quam ephippiis uti.* Lib. IV. de Bell. Gall. cap. II. Forte Germani nomen exterum eo libentius admiſerunt, quod videretur in lingua ipſorum patria ſellam peregrinam denotare. Nam hoc ſenſu *el* terminat vocem *buffel*, quam vide in loco. Cambri haud dubie poſſident radicem, ut neceſſe non ſit, ad Græcos confugere.

SAUMTHIER, jumentum ſarcinarium, ſive equus ſit, ſive mulus, a ſarcina, onere, & impedimentis nomen adeptum. Nam hæc omnia Celtice vocantur *ſaum*. Hinc ſagma, ſive onus jumentis imponi ſolitum, in Gloſſis Theotiſcis R. Pezii exponitur *ſaum*, & ſarcinulæ *ſaumma* in Gloſſis Boxhornii. Armorici habent *ſam*, Itali *ſoma*, eodem ſenſu: illi a priſcis Gallis vel Britannis, hi a Gothis vel Langobardis. Denique omne impedimentum, non jumenti tantum, ſed etiam hominis, antiquitus dictum eſt *ſaum* vel *ſum*: & occurrit eo

ſenſu

ſenſu in LL. Salicis Tit. XIX. Art. VI. Ab hoc primitivo jumentum ſarcinarium Francis & Alamannis vocatur *ſoumari*, ut patet ex Gloſſis Pezianis, ubi burdo, id eſt, jumentum, quod equa gignit e conjugio aſini, exponitur *ſoumari*, utique a *ſoum* ſarcina, plane ut *burdo* a *bürde* onus. Noſtros imitati ſunt poſtea exteri, tanquam in arte dicendi Magiſtros. Hinc omne jumentum dorſuarium Latino-Barbaris dicitur *ſoumarius*, Gallis prioribus *ſommier*, Italis hodieque *ſomaro*. A *ſaum* porro Germanis equus clitellarius vocatur *ſaumroſs*, & clitellæ, quibus onera imponuntur, *ſaumſattel*. Præter hæc *ſaum* (quamvis extra compoſitionem hodie obſoletum) magnam vocabulorum catervam ducit, quorum præcipua ſunt *ſaümen* tardare, cunctari, *ſaüntig* tardus, cunctator ob frivolum impedimentum, *ſaumſælig* negligens, deſidioſus, qui moram trahit, *verſaümen* negligere agenda, perdere occaſionem cunctando, *ungeſaümt* incunctanter.

SCHACH, præda, ſpolium, furtum, rapina. Longobardis in Legibus *ſcachus* ponitur pro furto vel rapina, Lib. II. Tit. LV. §. 37. Iſidoro *ſcaahche* eſt præda, ſpolium pag. 245. *ſee ih hepſu mina hant ubar ſie, endi ſie weridant zi ſcaahche dhem im aer dheonondon*, ecce levabo manum meam ſuper eos, & erunt præda his, qui prius ſerviebant illis. Idem Iſlandis *ſkaak*. Galli habent *ſac* (& hinc *ſacager*, & *ſacagement* depopulandi ſignificatu) quod cæteris videtur antiquius, & (ſi Pezronio credimus) ab ipſis Scythis profectum. Atque hinc jam patet, unde & qua de cauſa latro Germanis dicatur *ſchæcher*, & cujus generis ſit mercatura illa, quæ Judæis vocatur *ſchacheren*, nempe rei furtivæ.

SCHÆCHER, latro, prædo, graſſator. Otfrido Barrabas vocatur *ſchahari hebiger*, latro inſignis, Lib. IV. cap. XXII. & ſpelunca latronum *ſcahero luage*, Lib. II. cap. XI. & latrones famoſi *ſcachara urmare*, Lib. IV. cap. XXVII.

XXVII. Idem homo Latinis medii ævi dicitur *ſcachator*, Scriptoribus Paræneticis Goldaſti *ſcacher*, *ſchacher*, *ſchachman*, Gallis *eſchec*. Haud dubie a *ſcach* ſpolium, rapina. Goldaſtus tamen vocem Francicam interpretatur ſicarius, derivatque a *ſachs* ſica, quod neſcio an procedat, cum inter *ſachs* & *ſcach* notabilis ſit differentia. Utrum etymologia Goldaſti ſe probaverit Celeberrimo Schiltero, neſcio, ſaltim dubito, etiamſi videam illum vocem Otfridinam aliquoties reddere per ſicarium, in Theſauro poſthumo *Antiquitatum Teutonicarum*, quem diu promiſſum deſideratumque tandem lætus vidit Orbis, porroque videbit.

SCHACH-MAT, vox Perſica, a Mauris in Europa proſeminata, & cum ludo Schachico Hiſpanis tradita, ſignificans Regem eſſe mortuum aut cæſum. Nam Perſis *ſchach* regem, *mat* cladem denotat, conſentientibus Hebræis, quibus *mat* mors & interitus, obſervante R. D. Lœſchero in Lib. de Cauſis L. Ebrææ, pag. 371. Cel. Ericus in Myſterio Philologiæ aliam comminiſcitur Etymologiam, cujus ſumma hæc eſt: Ludum latrunculorum iis forte temporibus inventum eſſe, quibus latrocinia gloriæ habebantur: in hoc ludo figurari duos latrunculos, quorum nomina Rex albus & Rex niger, & abduci quatuor tauros totidemque juvencas: Sub his figuris Herculem abactorem & Cacum abigeum repræſentari: hinc verba *ſcacco matto* ſignificare *Cacus mactus eſt*: Italos vero ad evitandam ſordidiorem vocis *cacco* ſignificationem, literam S. præfixiſſe. Quæ ſicut ingenio non carent, prout nec cætera hujus viri inventa: ita fortaſſe placebunt iis, qui Perſicas origines faſtidiunt.

SCACHSPIL, vox hybrida, ex Perſica & Germanica conflata, ſignificans ludum regium. Vulgo interpretantur ludum latrunculorum. Dubitari poteſt, an recte, quia durum videtur, Reges, ob mutuas inſidias, vel veteris facti memoriam, quæ pleraque regna ex latrociniis

trociniis

Digitized by Google

trociniis orta perhibet (id quod inprimis quatuor mundi Monarchiis objectari ſolet) appellare latrones. Favet tamen vulgari interpretationi, quod veteres Latini eundem ludum vocant *ludum latrunculorum*, id eſt, prædonum, quod (ut Ovidius ait) *latrocinii ſub imagine calculus iret*, & Galli *jeu des eſchecs*, eodem ſenſu. Et Pezronius conatur oſtendere, Parthis, Perſarum progenitoribus, *ſacam* latronem & graſſatorem ſignificaſſe, in Antiquit. Celticis, pag. 31. & ſeq.

SCHALK, ſervus, miniſter, famulus. Goth. *skalks* (& inde *skalkinon* ſervire) Angloſax. *ſcealc*, Keroni *ſcalch*. Tatiano *ſcalc*, CLVI, 4. Otfrido *ſcalc* bis Lib. I. cap. XV. Significat proprie hominem qui debet, qui obnoxius eſt, a *skal*, quod in omnibus veterum Dialectis ſignificat *debet*. Kero debet *ſcal*. Idem Gothis *skal*, Angloſaxonibus *ſceal*, Joh. XIX, 7. Nam definiente Domino ſervus eſt is, qui debet facere, quod facit, Luc. XVII, 10. & qui facit id, quod alter vult, Joh. VIII, 34. Cui definitioni conſentit deſcriptio Centurionis: Si dixero ſervo meo fac hoc, & facit, vade & vadit, veni & venit, Luc. VII, 8. Tribuitur non ſolum mancipiis, ſed etiam liberi obſequii hominibus, nec liberis tantum, ſed etiam honoratioribus, & in dignitate conſtitutis, præſertim in compoſitis, ut vidimus ſupra in voce *Marſchalk*. Utimur etiam nominibus propriis *Gottſchalk*, *Engelſchalk*, & ſimilibus. Unde ſimul patet, Germanis *ſchalk* pro ſervo non usque adeo exoleviſſe, ut non etiamnum compoſite dicatur in optimæ notæ vocabulis. Itali dicunt *ſcalco* etiam extra compoſitionem, ut olim Germani, a quibus vocem acceperunt. De terminatione K. vide Prolegomena.

SCHALK, extra compoſitionem & ſolitarie poſitum, uſus deflexit a ſervo ad hominem callidum, ſubdolum, & malitioſe ingenioſum, quod tales fere eſſent veterum ſervi. Ejusmodi vocabula in deteriorem ſenſum

Digitized by Google

vitio hominum prolapſa, proſtant fere in omnibus Linguis. Sic Τύραννος, quod Græcis ab initio erat nomen Regis, ita ut Jupiter ipſe Deorum Tyrannus dicatur ab Ariſtophane, creſcente deinceps Regum potentia & crudelitate, factum eſt Principis iniqui & in ſubditos ſævientis. Sic *hoſtis* & *furis* vocabula, cum antea nihil continerent pravitatis, poſtea ob pravos hominum mores cœperunt vituperari. De vocabulis Germanicis ſimilia perpeſſis vide quædam in *Feig*. Tempus, quando in malam partem cœpit uſurpari *ſchalk*, difficile eſt definitu. Primum tamen, ni fallor, mutatæ ſignificationis veſtigium occurrit in Additamentis ad Legem Salicam ab Ottone I. factis Tit. VI. §. 2. ubi *furtum* & *ſchalchum* eandem rem denotant.

SCHALTEN, trudere, propellere, promovere. Verbum ab interitu vindicavit Tatianus XIX, 6. ubi Dominus Petro ait: *ſcalt thaz ſhef in tiuſi*, propelle navem in altum. In qua lectione nihil omnino mutandum, etiamſi celebri Tatiani Commentatori aliter videatur. Navicula enim Petri erat truſatilis, & ejusmodi navibus idem verbum hodieque aptatur apud Helvetios. Pictorius: *ſchalten* promovere, *ein ſchif das waſſer auf oder ob ſich ſchalten* ratem conto ſubigere, *er ſchalt ob ſich das waſſer auf, er fart wider das waſſer*, adverſo flumine lembum ſubigit, *anſchalten* oram ſolvere. Synonyma ſunt apud Germanos *ſchieben*, *ſchergen*, apud Gallos *pouſſer*.

SCHALTEN, facere pro lubitu, regere & dirigere pro arbitrio. A naviculis ad quascunque res agendas aut dirigendas extenſum. Ad harmoniam linguarum ſpectare videtur, quod Chaldæis poteſtas dicitur *ſchaltan*, Dan. IV, 13. Turcis & Tartaris imperator a dominio & poteſtate *ſultan*, id eſt, Dominus κατ᾽ ἐξοχήν. Sorabis *ſcholta* judex, Germanis *Schalt-König* vice-Rex, *ſchulze*

ſchulze prætor ruſticus, niſi forte contractum ſit ex *ſchultheis*, quod nemo facile definiverit.

SCHALTIAR, *annus biſſextilis, Germanis ab intercalario die ſic dictus. Originem hujus anni deſcripſit Svetonius in vita Jul. Cæſaris cap. XL. *Converſus hinc ad ordinandum Reip. ſtatum, Faſtos correxit, jam pridem vitio Pontificum per intercalandi licentiam adeo turbatos, ut neque meſſium feriæ Æſtati, neque vindemiarum Autumno competerent. Annumque ad curſum ſolis accommodavit, ut trecentorum ſexaginta quinque dierum eſſet, & intercalario menſe ſublato, unus dies quarto quoque anno intercalaretur.* Id eſt, intruderetur, ſtylo Germanico. Id enim eſt Germanis *einſchalten*, & hinc *ſchalttag* dies intercalarius, *ſchaltjar* annus biſſextilis, quem Svetonius non accurate ſatis deſcripſit. Nam annus Julianus [illegible] 365. dierum & 6. horarum, ſive unius diei quadrantis ſpatium, quod non erat omittendum, quia hinc cauſa cognoſcitur, cur quarto quoque anno unus atque integer dies a Cæſare intruſus ſit.

SCHAM, pudor, *ſchæmen ſich* pudere. Gothis *skama mik* pudet me, Angloſaxonibus *ſcamu*, *ſceamu*, *ſcame* pudor, *me ſceamath* pudet me, Luc. XVI, 3. *ſcamleas* impudens. Keroni verecundia *ſcamu*. Gloſſ. Pez. impudens *ſcamaloſer*. Gloſſ. Boxhorn. *unſcama* impudentia. Verel. in Ind. *skaum*, *skom*, *skam*, verecundia, pudor, dedecus, *skamlaus* ſine verecundia, inverecundus. Pudorem pulcherrimis verſibus ornavit Marnerus, vetus Poeta, quos operæ pretium eſt hic deſcribere, quia delectare & prodeſſe poſſunt. Goldaſtus in Scriptor. Parænet. eos ſic recitat pag. 445.

Der erenſpegel iſt dú ſcham,
Swer ſich darinne erſiht
Der wirt unzemen bliken gram:
Dú ſcham iſt argen worten vigent,
vntruwen has, vnſteten fluch:

Scham iſt ein Tugent dú mannes namen
gegen frowen priſes giht,
Dú reinen Wib túnt man alſam ir beider lieb mit
ſchame geſchiht:
Schame get edelen geſteine vor, und túret bas
danne ſidin tuch,
Scham iſt mit beſcheidenheit de werden minne bi;
Dú Scham in erengarten iſt ein blúendes Zwi;
Dú Schame iſt erenſchilt;
Dú Scham alſam ein reines kint in ſchoner
frowen ſchozen ſpilt;
Schame zieret reinú wib und wirdet edelen man;
Schame kan leiden vf den ban,
Da nie ſchandentrit kam an.

SCHAZ, gaza, theſaurus. Vox Perſica, ab immenſis Regum Perſarum divitiis cuivis leviſſimo obolo auctoribus Gothis communicata, tandemque per varios gradus priſtinæ dignationi reſtituta. Primo nomen cum ipſa re pervenit ad Græcos, teſte Heſychio, quibus *γάζα* theſaurus. Deinde a Gothis uſurpatum (qui Græcas voces libenter ſolent arripere) & ſibilo auctum, diminutionem ſenſus pati cœpit. Quamvis enim Gothi minam, ſive pondus auri vel argenti aliquando vocent *ſkatt*, Luc. XIX, 24. iiſdem tamen denarius eadem voce inſignitur. Hinc quingenti denarii (quales interpreti Angloſaxonico *penega*, Luthero *groſchen*) in Evangelio Gothico vocantur *ſkatte fimf hunda*, Luc. VII, 41. Tandem a Gothis in occidentem profectis, Germaniæ populis communicari cœpit. Hinc ultimus quadrans, qui Angloſaxonibus *feorthling*, Luthero *heller*, Tatiano Franco dicitur *jungiſto ſcaz*, XXVII, 3. & triginta argentei (pretium proditionis) qui Gothis *ſilubrinaize*, Angloſaxonibus *ſcyllingas*, Luthero *ſilberlinge*, eidem Tatiano vocantur *thrizzucſcazo*, CLIV, 2. Auctus deinde

Digitized by Google

inde vocis ſignificatus iisdem, ut fieri ſolet, gradibus, quibus antea diminutus. Hinc ſubſtantias Gloſſæ Pezianæ exponunt *ſcaza*. Sicque vox Perſica priſtino ſplendori paulatim reſtituta, hodie non niſi theſaurum ſignificat. Reſtant tamen quædam exigui ſignificatus indicia in derivatis *ſchæzen* æſtimare, qualicunque pecunia taxare, & *ſchazung* indictio tributi, quod fere minutatim penditur, Palthenio obſervata. Olim etiam aliis vocabulis utebantur ad theſaurum ſignificandum, partim domi natis, quæ vide in *Hort* & *Heim* penultimæ ſignificationis, partim exteris. Sic Franci ex theſauro formarunt *treſo*. Tatianus XXXVI, 6. *ni curet ju triſiuuen treſo in erdu*, nolite theſaurizare vobis theſauros in terra. Unde Gallis remanſit *treſor* eodem ſignificatu.

SCHEINEN, lucere, fulgere. Gothis *skeinan*, Angloſax. *ſcinan*, Keroni *skinen*. Inde Germ. *ſchein*, ſplendor lucis, Lunæ, Solis.

SCHEINEN, apparere ſub ſpecie ſive vera ſive falſa, obſcura tamen, vel non ſatis clara & diſtincta. Inde Angloſaxonibus *ſcin* viſio, ſpectrum, Germanis *ſchein* ſpecies vera vel ſimulata, *erſcheinung* adparitio, *ſcheinbar* probabilis, *warſcheinlich* veriſimilis, & alia innumera.

SCHEINEN, oſtendere, demonſtrare, facere ut eluceſcat. Notkerus Pſalm. XLI, 9. *tages kebot truhten ſina gnada, unde nahtes ſceinda er ſia*, in die mandavit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte declaravit eam. Verbum Germanis obſoleſcit, ſuperat tamen ſubſtantivum inde oriundum *ſchein*, teſtimonium debiti liberati, & frequentativum *beſcheinigen* probare.

SCHELM, gravis injuria. Significat enim proprie cadaver, morticinium, & figurate hominem projectum, vel cadaveris inſtar abominandum, vel ſepultura indignum. Proprium vocis ſignificatum ex Kiliano,

Pictorio, aliiſque documentis produxit & vindicavit Cl. Eccardus in notis ad L. Salicam pag. 66.

SCHEREN, radere, tondere. Angloſax. *ſcearan*, Keroni *skerran*, Islandis *skera*, Græcis absque ſibilo *κείρειν*. Hinc multa apud veteres compoſita, quorum alia ab uſu relicta, alia poſteris tradita. Gloſſ. Pez. radere *apaſceran* (hod. *abſcheren*) novacula *ſcaraſahſe* (hod. *ſchermeſſer*.

SCHEREN, vexare, contumelia afficere, ſcurriliter traducere. Kero: ſcurrilitas *skerin*, *skerne*, *skeru*. Gloſſ. Lipſ. *ſcerni* ſubſannatio, *ſcern* illuſio. Idem Anglis *ſcorn*, Italis *ſcherno*, haud dubie a Gothis aut Longobardis receptum. Senſus a tonſura capillorum, quæ more Germanorum fuſtigationem ſervi præcedebat, ad omnem contumeliam etiam liberi hominis traductus. Morem notavit Celeberr. Schilterus in animadverſionibus in Epinicium Ludovico R. dictum. Nimirum ſervis, antequam ad pœnam raperentur, tondebatur caput, non totum, ſed dimidium capitis, majoris contumeliæ cauſa. Prius patet ex Legibus Longobardorum Lib. I. Tit. XXV. cap. 63. *& ſi poſtea ipſe in furto tentus fuerit, decalvet eum, & cadat per diſciplinam, ſicut decet furem, & ponat in eo ſignum in frontem & in facie.* Poſterius ex Capitulari I. Caroli M. an. 809. *Si ſervus* (forbannitum, id eſt, profligatum vel proſcriptum ſuſceperit), *centum viginti ictus accipiat, & inſuper dimidium caput ejus tondeatur.* Hunc tondendi actum, & reliquos cum tonſura conjunctos, veteres vocare ſolent *haranſcaran* & *harmſcaran*, ab *haru* capilli. Hinc eandem vocem non ſolum pro tonſura, ſed etiam pro percuſſura & perforatione frontis poſitam legimus. Gloſſ. Pez. plagas *haranſcara*, plaga *harmſcara*, tortura, *harmſcara*, tundimur *gibaramſcarot uuerden*, perforatur *gibaramſcarot uuirdit*. Ob hanc cauſam ſimplici *ſcaran* paulatim adhæſit infamia, ita ut a ſervili pœna ad omnem contume-

tume-

tumeliam & afflictionem ſignificandam extenderetur. Hodie tamen eam ſolummodo vexationem indicat, quæ fit verbis & contemtu, non plagis aut verberibus.

SCHERGEN, trudere, impellere, motu violento. Inde *ſcherge* lictor, qui nolentem trahit, pellit, præcipitat. Verbum ipſum agnoſcunt antiqui, derivatum ignorant. Gloſſ. Lipſ. *ſcurgi* averte, *giſcurgidi* expuliſti, *biscurgi* præcipita. Gloſſ. Pez. propellentibus *ſcurgentem*, *uzcorgenten*. Radicem hodie cuſtodiunt Miſnici & Sileſii, dum cæteris Germanis obſoleſcit.

SCHERGEN, urgere imperio. Senſus figuratus, ſed novus, & priſcis haud uſitatus. Inde *ſcherge* exactor, qui alios ad officium compellit, nomen quondam officii & dignitatis, cui reſpondet, quamvis diverſis gradibus, in pace *sherif* apud Anglos, in bello *ſergent* apud Gallos, judice Cl. Friſchio in Additamentis ad Bödikerum pag. 250. ſeq. Vocem habet Lutherus Dan. XI, 20. *der wird in königlichen ehren ſitzen wie ein ſcherge*, ſenſu quidem magnifico, ſed hodie penitus obſoleto.

SCHILD, ſcutum, clypeus, umbo, cujus inventum tribuitur Sacis, e genere Scytharum, a Tzetze Chiliad. XIII. hoc verſiculo: *Gens nobilis Sacarum eſt, qui ſcuta repererunt*. Res & nomen rei antiquiſſimum apud Germanos. De ſcutis vimineis veterum Germanorum, nullo ferro, nervo, aut corio firmatis, qualia plerisque Scythiæ gentibus fuiſſe legimus, & Perſis tribuit Herodotus, conſulendus Tacitus Annal. II, 14. Antiquitatem vocis teſtatur lingua Hebræa, in qua *ſcheleth* idem ſignificat, quod populis Celticis *ſcild*, & antecedentium temporum uſus perpetuus. Gloſſ. Pez. ſcutum *ſcilt*, pelta *halpſcild*, clypeis *ſcilton*, clypeum *chamf-ſcilt*, tegumenta *ſcilti*. Epinic. R. Ludov.

Tho nam her skild indi ſper,
Ellianlicho reit her.

Tunc

Tunc arripuit ſcutum & lanceam,
Feſtinanter equitans.

Idem Svecis *skiöld*, Islandis *skioldur*. Vox Latina, quæ videtur ſono convenire cum reliquis, diſcrepat ſignificatu. Oritur enim a Græco σκύτος corium, quod priſcis Latinis ſcuta ex tergore bovino fierent, inſtituto ab invento Scytharum, qui cratibus ſalignis pro umbonibus utebantur, plane alieno. Unde porro fieri non poteſt, ut vox Germanica, quæ ſane Scythica eſt, & invento Scythico coæva, vel eandem cum Latina habeat originem, vel prodierit ex Latina, etiamſi forte ſint, quibus alterutrum placebit. Quo ſenſu Hebræis ſcutum dicatur *ſcheleth*, fateor me neſcire, nec etiam ſcire poſſe, utpote ſecretorum iſtius Linguæ ignarum. Fortaſſe etiam tuto ignorare poſſumus. Video enim domi nobis eſſe parentem, unde vox Scythica, quæ nihil aliud denotare videtur quam tegumentum corporis, (*eine bedekung des leibes*) commode naſci potuit. Quemadmodum enim tegula Latinis a tegendo ſic dicitur, ita ſcutum potuit vocari *ſcild*, a radice obſoleta *skaljan* tegere, cujus veſtigia nondum usque adeo deleta ſunt, ut non internoſcere aliquando liceat. Videtur enim ſuperare Gothis in derivato *skaljo* tegula, Luc. V, 19. Germanis in *ſchale* concha, *ſchalfiſche* piſces teſtacei, *hirnſchale* cranium, *nuſsſchale* putamen juglandium, *eierſchale* teſta ovi, & ſimilibus, non aliunde quam a notione tegendi ſic dictis. Quibus nullatenus repugnat, quod *ſchælen* hodie contrario ſenſu dicitur, nempe corticem detrahere. Hoc enim nuperum eſt, & a *ſchale* cortex, formatum. Favet etymo noſtro, quod Sacæ, quos ſcutum inveniſſe diximus, Celtice locuti ſint, demonſtrante Pezronio in Antiquitatibus Celticis, pag. 38. quod *tegumenta* in genere in Gloſſis Pezianis exponantur *ſcilti*, & quod litera D. in fine vocis haud obſcure arguat, hoc ſubſtantivum a participio cujusdam verbi per ſyncopen ortum eſſe, ut alia innumera.

Digitized by Google

ra. Miror, qui Goldaſto potuerit in mentem venire, vocem noſtram non eſſe Germanicam, ea ſola & leviſſima de cauſa, quod clypeus vocetur *hurt* in Paræneſi Regis Tyrolis ad Filium §. XXX. *Da hurt gegen hurte dringet.* Nam, ut copiam veteris ſermonis in fingendis rerum nominibus nunc omittam, *hurt* in loco citato non clypeum, ſed colliſionem armorum ſignificat, & a Gravenbergio, ejusdem ævi Poeta, diſerte diſtinguitur a *ſchilt*, in verbis: *von hurt di ſchilt gaben ſchal:* Quod pluribus demonſtravit Clariſſ. Eccardus in notis ad Leg. Salicam pag. 54. Magis fortaſſe mirum videbitur, quod Goldaſto eadem vox producitur per metatheſin ex *clypeus.* Qualis enim iſta eſt methatheſis? An putabimus *ſchilp*, ſive *ſchilf*, quæ ſola per metatheſin prodire poterat, idem eſſe quod *ſchild?* Atqui prius calamum paluſtrem, juncum & cannam, poſterius vero clypeum ſignificat. Quis non potius inde ſuſpicetur, Latinos ex Celtico *ſchilf* formaſſe nomen *clypei*, quod primo ipſorum clypei forte eſſent arundinei, priusquam coriacei reperirentur?

SCHILDEREN, pingere, *ſchilderei* opus pictum. A primo & vetuſtiſſimo picturæ Germanicæ objecto, quod erat *skild*, ſcutum. Tacitus de moribus Germ. cap. VI. *ſcuta lectiſſimis coloribus diſtingunt.* Annal. II, 14. *Tenues & fucatæ colore tabulæ.* Latent hic inſignium primordia, & artis Heraldicæ initia, ut pridem a Viris doctis obſervatum.

SCHLANGE, ſerpens, Latinis a ſerpendo, Germanis a facili corporis in omnem partem verſura, quam volubilitatem vocant, & comprimis a mutuo complexu ſic dicitur. Nam *ſchlingen* eſt flexibus ſinuoſis circumdare, ut hedera ſolet arborem, ſerpens ſerpentem, laſcivis hederis ambitioſior. Horum connubia ita deſcribit Plinius: *Coëunt complexu, adeo circumvolutæ ſibi ipſæ, ut una exiſtimari biceps poſſit.* Et alibi: *Lacertæ, ut*

Digitized by Google

ea quæ ſine pedibus ſunt, complexu Venerem novere. Vide annon *anguis* ab eodem verbo deduci poſſit? Germanis certe inferioribus in quibusdam locis ex *ſchlange* fit *unke*, opinor per aphæreſin.

SELIG, felix, beatus. Angloſax. *ſælig*, & compoſite *geſælig*, Francis *ſalig*. Tatianus LVIII, 2. *ſalig uuamba, thiu thih truge, inti thie manzon, thie thu ſugi*, beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti. Confer cap. XXII. ubi eadem vox novies occurrit. A poſſeſſione boni, quæ in felicitate primum & præcipuum eſt. Nam bonum Angloſaxonibus dicitur *ſel* vel *ſæl*, adjecta vero terminatio *ig* ſignificat habentem & poſſidentem id, quod præcedit, ut diximus in Prolegomenis. Obſervari autem meretur, quod *ſel* non ſolum de bonis fortunæ, ſed etiam animi dicatur, & quod bono & beato idem nomen ſit apud veteres. Hinc Gothis *ſelja* eſt moraliter bonus, Luc. VIII, 15. *unſelja* moraliter malus, Luc. VI, 35. Hinc Angloſaxonibus bonus *god*, melior *betere*, optimus *ſeloſt*, obſervante Junio. Quæ ſane haud fortuito aut præter rationem dicta ſunt ab Antiquis. Nam verum bonum, quod bonos facit, & quo nemo male uti poteſt, haud dubie eſt virtus. Cætera deprehenduntur etiam apud malos. Et ſubductis omnibus rationibus nemo beatus dici poteſt, extra virtutem projectus. Qui primi hæc vocabula bono & beato impoſuerunt, haud dubie erant Philoſophi, qui vitam beatam in ſana mente, tranquillitate, libertate, virtute, honeſtate, bona conſcientia, cæterisque bonis moralibus, omnibus divitiis præſtantioribus, collocabant. Nihil enim vel ab ipſis Stoicis dici aut cogitari poteſt ſublimius. Fuiſſe autem antiquiſſimis temporibus apud Barbaras Gentes, Scythas, Celtas, Gallos, & Germanos, quandam Philoſophiam, quæ poſtea furto venerit ad Græcos, teſtis eſt Clemens Alex. Lib. I. Stromatum pag. 223. ſeq. & alii auctores bene multi. Hæc Philoſophia deinceps ſtultiſſimorum hominum aſſumentis depravata, & in Idolo-

Digitized by Google

Idololatriam converſa eſt, relictis tamen multis priſcæ Sapientiæ in cultu & ſermone veſtigiis, quorum aliqua in hoc Gloſſario annotavimus. Reverſa deinde quaſi poſtliminio eſt ad priores ſedes, & inſtaurata quodammodo a Græcis, qui ad beſtias illas venerunt, Philoſophis, quos inter celeberrimus eſt DICÆNEUS, Straboni memoratus Lib. XVI. Et hunc Dicæneum Gothos quoque adiiſſe, iisque Philoſophiam moralem, naturalem, & ſyderalem tradidiſſe, Jornandes ſcribit cap. XI. De origine vocis *ſelig* mira tradit Wendelinus in Gloſſ. Salico, quæ vix operæ pretium eſt deſcribere: *Eſt vero iſtud*, inquit, *non perfunctorie notandum, quod poſt ſuſceptum Chriſtianiſmum & frequentem mentionem Regni cæleſtis, Aulæ cæleſtis, beatitudinis æternæ, noſtri Franci BEATOS ſua lingua dixerunt SALICOS, SALICH, ipſamque beatitudinem SALICHEIT, de felicitate Salica cæleſtem indigitantes.*

SIP, pax. Angloſaxonibus *ſibb* pax, *unſibbe* bellum, diſſenſio, *geſibſuma* pacificus Matth. V, 9. *geſybſuman* reconciliari, ibid. verſ. 24. Francis & Alam. *ſibba* pax, *ſibbiſame* pacifici, *keſepan* reconciliari. Tatianus CLXV, 5. *ih forlazzu ju ſibba, mina ſibba gibu ih ju*, pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. XXII, 14. *ſalige ſint, thie thar ſint ſibbiſame*, beati pacifici. Kero: propitiatur *fora ſi keſephan*. Gothis quoque *ſib* pacem denotaſſe, recte colligitur ex compoſitis *gaſibjon* reconciliari, Matth. V, 24. & *unſibja* iniquus, turbator reipublicæ, Matth. XV, 28. Talis enim reputatus eſt Chriſtus, cum ipſe, dum adhuc inter mortales verſaretur, tum ſectatores ejus, quaſi impulſore Chriſto aſſidue tumultuantes, quos Judæos vocat Svetonius in vita Claudii c. XXV. cum Chriſtianos appellare debuiſſet, ut Tacitus Annal. XV, 44. Antiquiſſimis temporibus *ſib* ſive *ſip* ſignificavit ſtirpem vel truncum arboris, unde rami progerminant. Sane Jul. Cæſaris ævo Gallis *cip* ſive *cippus* erat truncus arboris,

Digitized by Google

arboris, prout ipſe teſtatur Lib. VII. de Bello Gall. cap. 73. Inde Gallis hodiernis remanſit *cep*, Italis *ceppo*, Cambris *cippyl* eodem ſignificatu. Iisdem temporibus, remotiſſimis inquam, atque antiquiſſimis, eadem vox ſenſu figurato denotavit cognationem ſive conjunctionem ſanguinis, ob ſimilitudinem cum arbore. Et hoc ſenſu vox Celtica reperitur apud Latinos in compoſito *proſapia*. Hos enim frequenter Celtice loqui, jam ſæpe demonſtravimus. Extat & ejusdem ſignificatus veſtigium in Gloſſis Boxhornianis, in quibus *ſipper* exponitur affinis. Poſtea vox uſurpari cœpit pro benevolentia, quæ ex communi ſtemmate inter propinquos oritur: tandemque ad ſimplicem amicitiam, quæ ex ceſſatione armorum oritur, extendi. Et hic eſt ille ſenſus frequentior & uſitatior, quem ex Monumentis Gothicis, Angloſaxonicis & Francicis modo produximus. Germanis hoc nomen ſive pacis ſive cognationis, ut plura alia periit: Superat tamen adhuc in compoſito *ſipſchaft*, de cujus proprio ſignificatu mox erit agendi locus.

SIPSCHAFT, affinitas, cognatio. Utitur Lutherus 1 Chron. V, 33. Si etymon ſpectes, ſignificare poteſt vel procreationem ex communi ſtirpe (nam terminatio *ſchaft* hunc ſenſum exigit, ut vidimus in Prolegomenis) vel adfinitatem inter duas familias pronuba pace factam. Ratio, cur adfinitati a pace nomen inditum ſit, eſt, quod odia veterum Germanorum (quæ apud ipſos hæreditaria erant, & magno libertatis periculo exercebantur, quamvis non æterna, teſte Tacito cap. XXI.) tandem junctis adfinitatibus terminabantur. Quem morem hodie imitantur non ſolum familiæ nobiliores, liberos ſuos poſt diuturnas diſſenſiones, firmandæ reconciliationis gratia nuptiis jungentes, & ſibi invicem quaſi oppignorantes, ſed ipſi etiam Reges, qui ſæpe bello profligato priſtinam amicitiam auſpice Hymeneo inſtaurant. Cujus rei duo extant illuſtria monumenta in Hi-

Digitized by Google

ſtoria Numiſmatica Ludovici XIV. Galliarum Regis, ubi Nuptiis Regis cum Maria Thereſia Auſtriaca inſcribitur PAX. ET. CONNVBIVM. & nuptiis Caroli II. Hiſpan. R. cum Maria Ludovica Aurelianenſe PAX. PRONVBA. Vocem ipſam eadem terminatione affectam, apud veteres quidem non invenio, ſed aliam & æquipollentem. Gloſſ. Boxhorn. *ſippukilengidu* affinitate. Ubi *kilengida* videtur denotare parentelam, & derivari a *lingue* parens, quod extat eo ſignificatu in Lexico Runico.

SOCKEN, ſocci, ſocculi. Gloſſ. Pez. calliculam *ſochili*. Idem Gallis *ſoques*. Cuncta a Phrygio σύκχοι, ejusdem ſignificatus. Budæus: Σύκχοι, calceamenta Phrygia.

SONNE, ſol. Gothis *ſunno*, Luc. IV, 40. Angloſ. *ſunne*, ibid. Francis & Alam. *ſunna*. Iſidorus pag. 265. *ſün hohſetli iſt ſolih ſo ſunna azs minera antuuerdin*, thronus ejus ſicut ſol in conſpectu meo. Otfrid. in Præf. ad Ludov. R. verſu ult. *thiu euuiniga ſunna* æternus ſol. Procopienſibus *ſune*, Septemtrionalibus perinde ut Latinis *ſol*. Et his quidem ſol ab unitate ſic dicitur, quod tantam claritatem ſolus haberet, interprete Cicerone de Natura Deorum Libro II. In vocabulo Germanico ſimile quid ſuſpicatur Cluverius Lib. I. Germ. Antiq. cap. XXVI. exiſtimans, *ſonne* nihil aliud denotare quam id, quod eſt unum ſolum in ſuo genere, & ſibi ſoli ſimile. Conſentiunt huic conjecturæ ingenioſæ pariter ac veroſimili multæ priſci & novi ſermonis partes. Nam *ſun* pro re ſingulari, etiamſi ſeorſim & ſolitarie poſitum nuſpiam reperiatur, agnoſcitur tamen ab omnibus tam veterum quam recentiorum Dialectis in compoſitione & derivatis. Hinc privus, ſingularis, peculiaris, & ſequeſtratus Gothis dicitur *ſundro*, Marc. IV, 10. Angloſax. *ſunder*, *ſyndrig*, Keroni *ſuntrigo*, *ſuntriclih*, *kiſuntrut*, Anglis *ſundry*, *aſunder*, Germanis *beſonder*. Hinc ſe-

queſtrare, ſeparare Angloſax. *ſyndrian*, *aſyndrian*, Keroni *ſontron*, Islandis *ſundra*, Svec. *aſſyndra*, Batavis *afzonderen*, Germ. *abſonderen*. Ut adverbia nunc omittam. Fr. Junius, cum Gloſſarium Gothicum ſcriberet, commodiorem, ut ait, originationem adhuc quærebat. Utrum invenerit, neſcio. Hoc unum addo, Solem videri quoque poſſe ſic dictum, quaſi ignem cœleſtem, a Celtica voce TAN, quam vide infra in *zunder*. Nam T. facile liqueſcit in S. & mutationes vocalium in re Etymologica nullam habent difficultatem. Cæterum cur nomen ſolis, entis ſumme activi & maſculi potius quam patientis, populis Celticis fœmininum ſit, divinare nequeo. Lego tamen Perſas quoque priores Solem appellaſſe *Mithram*, id eſt, dominam, idemque in nominibus Arabicis obſervari Mareſchallo Obſerv. in Verſ. Angloſax. pag. 513. De *Mithra* Perſica forte operæ pretium eſt quædam hic decerpere ex Schedulis Clodianis, quas Vir Doctiſſ. & humaniſſimus ad me direxit: *Mih* Perſis magnus, *mihter* major, *mihterin* maximus: Et inde *Mithra* per apocopen, quaſi Aſtrum majus reliquis aut eorum maximum. Idem in alia Schedula: *Mihter* unde *Mithras* ajo eſſe maſculinum & femininum, adeoque *Dominum* & *Dominam* ſignificare. Nam Perſæ Solem adſpicientes appellarunt ſine dubio *Mihter*, id eſt, *Aſtrorum Dominum* vel *Dominam*. Item: Sol Arabibus *Schêms*, omnino femininum eſt. Hinc Motenabbi Poeta:

Nec femininum Soli dedecus,
Nec maſculinum Lunæ gloria.

Eo ſenſu, quod honor debitus non ſemper bene meritis conferatur, & ſi id non fiat, dedecus talibus viris non ſit.

SPÆHEN, ſpecere. Belgis *ſpieden*. Hunc eſſe primum & principem vocis ſignificatum, quamvis hodie obſoletum, adparet ex radice Scythica *ſpu* oculus. Cum hoc

hoc primitivum Scythicum a nemine quod ſciam hactenus animadverſum aut explicatum ſit, operæ pretium erit, Herodoti ſiſtere teſtimonium. Is igitur Lib. IV. cap. XXVII. de Arimaſpis ſequentia prodidit: *Supra Iſſedones ſunt homines unoculi, & Grypes auri cuſtodes. Hoc Scythæ acceperunt ab Iſſedonibus, nos a Scythis, quos & Scythice vocamus ARIMASPOS. Nam ARIMA Scythæ unum vocant, SPU vero oculum.* De priore compoſiti parte jam vidimus ſupra in voce *Reim*, unde ſuam habeat originem:. De poſteriore hoc obſervandum, quod *ſpi* vel *ſpu* eodem ſenſu ſuperet apud Armoricos, & quod Latini inde habeant ſuum *ſpecere*, & plura alia vocabula in *ſpex* deſinentia, cujuſmodi eſt *Aruſpex*, quo nihil aliud denotatur quam vir, qui jecur animalium inſpicit, & inde omen præſentium aut futurorum captat, obſervante Pezronio in Celticis. Euſtathius in Dionyſium male & contra fidem Herodoti ipſiusque rei veritatem, vocem Scythicam interpretatur, tanquam ἀρι Scythis ſit unus, μάσπος vero oculus. Quem adhuc pejus corrigit Hornius in Præfatione Originibus Boxhornians præfixa, dum *maſpus* convertit in *aſpa*, quod Perſis equum vel equitem ſignificat.

SPÆHEN, examinare, ſpeculari, ſcrutari. Gloſſ. Pez. conſiderare *biſpehon*. Senſus ab oculo corporali ad oculum mentis traductus. Tribuitur inprimis Sapientibus, qui Naturam & res naturales contemplantur, quos Cicero *ſpeculatores naturæ* vocat, & *rimatores*; Deinde etiam Vatibus, qui eventus rerum ex ſpecula quaſi proſpectant. Kero in Gloſſis: ſapiens *ſpaher*, ſapientis *ſpahe*, ſapienti *ſpahemu*, ſapientia *ſpahii*. Hinc porro Vates in Lex. Runico dicitur *ſpakr*, Svecis *ſpæman*, & vaticinium Islandis *ſpa*, & oracula *ſpadoma*, teſte Verelio in Indice. Cuncta a Scythico *ſpu* oculus.

SPÆHEN, ſpeculari inſidiandi cauſa, ut faciunt ſpeculatores in caſtris, qui aditus viasque omnes, & nu-

merum motumque exercitus, cæteraque Belli arcana curioſe obſervant. Senſus ultimus & peſſimus, ſed cum prioribus ab eadem radice ortus. Et hinc Cambris ſpeculator dicitur *yſpienddyn*, *yſpiennwr*, & *yſpiwr* teſte Boxhornio. Galli habent *eſpier*, *eſpion*, Itali *ſpia*, *ſpiare*, *ſpione*, Hiſpani *eſpia*, *eſpiar*, verbo & ſenſu a Germanis petito.

SPECHT, picus. Plinius de Picis: *Ipſi principales Latio ſunt in auguriis a rege* (Pico), *qui nomen huic avi dedit.* Et denuo: *parva avis, ſed in auguriis magna.* Hoc quosdam ſeduxit, ut vocem Germanicam a Latina repeterent. Verum cum Plinius in reddendis vocabulorum rationibus ſæpe egenus ſit, & Picus Rex ab ipſa ave nomen habere potuerit, quod ex cantu ejus auguria captaret: Hinc Pezronius relicto Plinii etymo novum inveſtigavit, & vocem Romanam Celtis reſtituit. Picus in nemoribus id unice agit, ut arbores roſtro tentet, atque ubi percuſſi corticis ſono pabulum ſubeſſe intelligit, crebris ictibus perfodiat, idcirco *cavator arborum* Plinio dictus. Et hinc illi nomen *Pico*, judice Pezronio. Nam pungere, icere Cambris & Armor. dicitur *pigo*, Belgis & Germ. *piken*, Gallis *piquer*, Ital. *picciare*. Ab eodem verbo pici nomen Germanicum *ſpecht* derivari poſſe, nemo facile inficiabitur, niſi ſibilo præfixo forte offenſus, quem tamen Latini quoque adhibent in *ſpica* & *ſpiculum*, vocibus ab eodem verbo oriundis. Hæc, fateor, valde ſpecioſa ſunt, & mihi quoque aliquando probata. At quid fiet de *Pica*, quæ arbores nec pulſat roſtro, nec fodiçat? An dicemus *picum* & *picam* ſono tantum convenire, non ſignificatu? Mihi veroſimilius videtur, *picum* & *picam*, quamvis diverſi generis aves, communem agnoſcere appellationis cauſam, eamque, ſi reperiri poſſit, priori, a pungendo deſumtæ, anteferendam. Puto autem me reperiſſe in verbo Celtico *ſpacan* fari, dicere, loqui, quod idiomati Angloſaxonico pro-

proprium, & omnibus iſtis vocabulis perfecte reſpondet. Nam vi hujus radicis *ſpecht* erit vates in auguriis, qui eventura profatur, *Picus* idem qui oſcen, cantu aliquid prædicens, & *Pica* avis garrula, de cujus loquacitate mira traduntur a Plinio, & Plutarcho in Libro de animalium prudentia. Solent autem Latini in vocibus exteris non ſemper cuſtodire ſibilum, ſed interdum elidere. Sic a Græco ϛέγη fit illis teges, a *ſper*, vocabulo & invento Gallico, *veru*. Ut alia innumera omittam. Idem Græcis ſolemne circa ſibilum. Hinc illis accipiter, qui nobis *ſperber* dicitur, quod paſſeres appetat, vocatur βάρβαξ. Omitto ἅμα, ἕζειν, ἀλείφειν, & alia quam quam plurima, quæ ſibilo reſtituto ſtatim agnoſcuntur. Hoc unum videtur ſupereſſe, ut oſtendam, diſciplinam augurum, communi Gentium conſenſu olim receptam, Germanis quoque placuiſſe. Id vero diſerte tradit Tacitus de moribus Germ. cap. X. his verbis: *Et illud quidem etiam & hic notum, avium voces, volatusque interrogare.* E quarum numero Picum fuiſſe, ex impoſitione nominis *ſpecht* haud vana conjectura eſt.

SPEISE, cibus, *ſpeiſen* dare aut capere cibum. Cum hujus vocis nullum (quantum memini) monumentum in Germanica Antiquitate ſeſe offerat, hinc ſuſpicari licet cum Helvigio, illam a Græco σπεῖσαι libare, aut certe a Latino *cibus* retrogrado literarum ordine formatam eſſe. Gothi cibum vocare ſolent *mats* Joh. VI, 55. Angloſaxones *mete*, ibidem (unde Anglis remanſit *meat*) Alamanni apud Keronem *muas* (unde Hiſpanis *mueſo*, Svecis *mues* pro pulmento). Cambri habent *maeth* pro cibo, manifeſta cum reliquis convenientia. Franci cibum vocant *wiſt*, quæ vox cum reliquis nihil habet commune, & nullum priſtini uſus veſtigium reliquit. Vide, ſi juvat, Otfridum Lib. II. c. XXII. Lib. IV. c. XVI.

SPERBER, vetuſtiſſimis Francorum, quantum ex voce Salica *ſparvarius* conjicere licet, *sparw-ar*,

Græcis inferioribus βάῤῥαξ, Gallis *eſprevier*, Italis *ſparviere*, imitatione magis vel minus vitioſa, manifeſta tamen. Nomen trahit a paſſere, quem appetit, qui Gothis dicitur *ſparwa*, Angloſax. *ſpeara*, *ſpearva*, Angl. *ſparrow*, Germanis prioribus *ſpar*, unde paſſerculo hodie nomen *ſperling*. Genus autem refert ad aquilas ſive accipitres, ut patet ex fine nominis. Nam *er* non eſt inanis terminatio, ſed generis index aquilini, idemque quod *ar*, atque eodem ſenſu obvium in *adler*. Paſſerem & Aquilam in voce *ſperber* primus detexit Cel. Eccardus in not. ad L. Salicam pag. 24. & feciliori indagine, quam Voſſius, qui *ſparvarium* præter rationem ſic dictum putat quaſi *ſpar-var*, pennas ſuas late ſpargentem.

STAB, baculus. Francis & Alam. *ſtap*, Septemtrionalibus *ſtaf*. Gloſſ. Pez. pedum *ſtap*, ſcorpionibus (lege ſcipionibus) *mit affoltrinen ſtapon*, id eſt, cum ſcipionibus ex arbore pomi. Verel. in Ind. *ſtaf* ſcipio.

STAB, litera. Angloſaxonibus *ſtæf* abſolute ponitur pro litera, Luc. XVI, 17. & interdum pro ſcriptura. Joh. V, 47. *gif ge his ſtafum ne gelyfath, hu gelyfe ge minum wordum*, ſi literis illius non creditis, quomodo credetis verbis meis. Iisdem *ſtæfen* eſt literarius, *ſtæfcræft* literarum ſtudium. Similiter Islandis *ſtaf* litera, teſte Verelio in Indice. In reliquis Dialectis *ſtap* vel *ſtaf* ſignificat literam, ſed in compoſitione tantum. Kero: literas *piahſtaba*. Gloſſ. Lipſ. *buokeſtaf* litteratura, vel potius ipſa litera. Gloſſ. Pez. characteres *puohſtapa*. Idem Germanis *buchſtab*. Compoſitio autem manifeſta eſt, ex *puah* codex, & *ſtap* litera. Ratio, cur a baculis ad literas appellatio pervenerit, hæc eſt, quod omnes literæ Alphabeti Runici a prima & elementari litera I. quæ manifeſta ſimilitudine ſcipionem erectum repræſentat, per ſimiles baculos vel annexos vel transverſos, partim obliquos, partim incurvos oriantur, quam obſervationem

Digitized by Google

nem debemus Olao Wormio, viro de literatura Septentrionali meritiſſimo. Idem obſervare licet in literis majuſculis Græcorum & Latinorum. Primus literarum in Germania ſtator fuit WODANUS (quem & Odinum vocant), de quo plane dici poteſt, quod de Evandro dixit Livius: *mirabilis vir miraculo literarum, rei novæ inter rudes artium homines.* Is Saxonicæ Genti Alphabetum Runicum primus intulit. Et ab his, Saxonibus inquam, res & nomen rei ad reliquos Germanos pervenit. Nam *Runas* ab antiquo fuiſſe in Germania, & multis Sæculis ante, quam Chriſtiani rerum potirentur, ſed ab oriente Chriſtianiſmo poſtea una cum idololatrico cultu, cujus præcepta continebant, & magicas artes fovebant, oppreſſas & deletas, ex uſu & praxi veteris Eccleſiæ tam manifeſtum eſt, ut mirum ſit, quosdam haud infimæ doctrinæ Viros inventum Runarum Monachis auctoribus tribuere velle, hoſtibus Runarum infenſiſſimis. Gothi neſciunt vocem Saxonicam, & baculos, ex quibus literæ componuntur, vocant *ſtriks*, quaſi virgulas, Matth. V, 18. cui reſpondet hodie *ſtrich*, eodem ſignificatu, quia ſcil. literas ſuas non a Saxonibus, ſed ab Ulfila Epiſcopo ſuo acceperunt, teſtibus Socrate, Sozomeno, & Philoſtorgio. Ipſe tamen Ulfilas aliquando voce Saxonica utitur, dum apicem literarum vocat *wruta*, Luc. XVI, 17. quod ſane Saxonicum eſt. Nam ſcribere Angloſaxonibus dicitur *writan*, unde Anglis remanſit *to write*, Islandis *rita*, Germ. *reiſſen.*

STAB, judicium. Vox Gothica. In Evangelio Gothico ſequentia occurrunt, *ſtava* judex, Matth. V, 25. *ſtava* judicium, Joh. VIII, 16. *skula ſtavai*, reus judicio, Matth. V, 21. *ſtavaſtol* tribunal, Matth. XXVII, 19. *andaſtava* adverſarius cauſæ, Matth. V, 25. *in daga ſtavos* in die judicii, Luc. X, 14. *ſtojan* judicare, Joh. VIII, 26. *raihtaba ſtavides* recte judicaſti, Luc. VII, 43. Similiter Islandis *ſtafa* conſtituere, judicare, teſte Verelio in Indice.

Vox Gothica ſuperat Germanis in *Regiments-ſtab*, qua voce proprie Judicium militare denotatur, non metonymice propter aliquod manus geſtamen, ut Cl. Stiernhielmius videtur exiſtimare. Quamvis enim Judices ex Conſtitutione Carolina cap. LXXXII. pro tribunali utantur baculo tanquam ſigno auctoritatis prætoriæ, ipſum tamen judicium non ab illo baculo, ſed a judicandi poteſtate hoc nomen accepit.

STERN, ſtella, ſidus. Perſis *ſtarch*, Græcis ἀςὴρ, Latinis *aſtrum*, Gothis *ſtairno*, Angloſax. *ſteorra*, Francis & Alam. *ſterro*, teſte Otfrido Lib. I. cap. XVII. & Tatiano VIII, 5. Cambris *ſer*, *ſyr*, *ſeren*, Armor. *ſter*, *ſteren*, Procop. *ſtern*, Verelio in Indice *ſtiorna*, Belgis *ſterre*. Cum res humanæ ex motu & influxu cœleſtium pendere, & aurigantibus aſtris omnia decurrere vulgo exiſtimentur: Hinc fieri ſane potuit, ut credula vetuſtas nomen ſtellis a regendo & gubernando impoſuerit. Nam regere, præeſſe, dirigere Angloſaxonibus dicitur *ſteoran*, *ſtyran*, Francis & Alam. *ſtiuren*. Gloſſ. Pez. dirigentis *ſtiurrentin*, gubernator *ſtiurari*, gubernatores *ſtiurun*, gubernaculo *ſtiurruodre*, faſtigio *ſtiuri*. Verel. in Ind. *ſtiorna* regere, præeſſe, *ſtiori* rector, inſpector, *ſtyri* gubernaculum. Conſentiunt Sorabi, quibus *ſtaram* guberno, *ſtaroſta* gubernator. Germanis *ſteuren* hodie quidem aliud ſignificat, ſuperat tamen priſco ſenſu in compoſitis *ſteurmann* gubernator navis, *ſteurruder* gubernaculum navis.

STIER, bos juvencus. Significat proprie animal cornu feriens, oriturque a radice Celtica *taro* vel *taru* ferire, percutere, quæ ſuperat eo ſenſu apud Cambros, teſte Boxhornio. Hinc idem animal conſonis vocibus Græce dicitur ταῦρος, Latine *taurus*, Armorice *tarw*, Danice *tiur*, Gallice *taureau*, & adjecto ſibilo Gothice *ſtiur*, Angloſaxonice *ſteor*, Anglice *ſteer*, Belgice & Germanice

manice *ſtier*. Cuncta a notione feriendi. Hinc jam ceſſat diſputatio, utrum *taurus* ſit a *ſtier*, an vice verſa *ſtier* a *taurus*? Neutrum enim ab altero oritur, ſed utrumque proſeminatum eſt a Celtis, *taurus* quidem absque ſibilo in Latio, *ſtier* vero cum ſibilo in Germania. Ab eodem verbo, quamvis hodie obſoleto, forte deſumptum eſt nomen Dei fictitii THOR, cui ſtulta adulatio (erat enim homo & Wodani ex Friga filius) malleum, quaſi Jovi ferienti, adpinxit. Lucanus inter Numina Gallorum recenſet quendam *Taranim* (quamvis ſolus & fortaſſe mendoſe), quem multi cum hoc *Thorone* confundunt. Mihi videntur diſtinguendi, cum minime veroſimile ſit, Gallos, qui Wodanum ejusque familiam non noverant, voluiſſe filium ejus divinis honoribus proſequi, hominem novum, obſcurum, & Septemtrionalem.

T.

TAPFER, ſtrenuus, fortis. Vox nova, & a Slavonica *dobry* bonus, oriunda. Quemadmodum enim Galli ex *probus* fecerunt *brav*, probitatem in fortitudinem convertentes: ita Germani ex *dobry* formarunt *tapfer*, non quod ſolus fortis bonus ſit, ſed quod cæteris melior. Præſtat enim haud dubie vir fortis præ eo, qui a fortuna vel effeminatur ſecunda, vel frangitur adverſa, aut pueri inſtar omnia extimeſcit. Et hinc Tydides Horatio dicitur *melior patre*, cum vellet dicere *fortior*, obſervante Lambino in notis ad Od. XV. Lib. I. ubi ſimul plura hujus locutionis exempla cum ex Horatio, tum ex Virgilio, Homero & Plutarcho adfert, in quibus *melior* uſurpatur pro *fortior*. Gothis fortis appellatur *swinth*, Marc. III, 27. Angloſaxonibus *ſtrang* ibidem. Tatiano Franco *ſtreng* LXII, 6. Et Francica quidem Lingua atque Alamannica in hoc ſenſu reddendo valde erant copi-

oſæ. Keroni fortes vocantur *ſtarche*, Otfrido *feſti, chuani, balde*, in Præfat. ad Ludov. R. & Lib. I. cap. I. Ut compoſita, qualia ſunt *theganlich*, *wighaft* & ſimilia, nunc omittam. Horum aliqua vetuſtas abolevit, alia vero uſus conſtanter retinuit.

TAUBE, columba, Gothis *dubo*, quantum ex compoſito *braiwadubono*, turtures, quod occurrit Luc. II, 24. conjicere licet. Francis & Alam. *duba*. Otfridus L. I. cap. XXVI. ut Myſterium Trinitatis ex baptiſmo Chriſti oſtenderet, utitur hoc rythmo.

Thu lisiſt hiar in ala uuar
Then ſun, then douſta man thar.
Thar ſprah ther Fater, ſo thu uueiſt,
Thiu duba uuas ther Gotes Geiſt.

Legis hic in veritate,
Filium, qui baptizatur.
Pater loquebatur, ut noſti,
Columba erat Spiritus Dei.

Columba autem ſic dicitur Germanis, quaſi mergus vel urinator, a verbo Angloſax. *duſian* immergere, ſicut optime obſervatum Fr. Junio, cui reſpondet noſtrum *tauffen*, quamvis ſenſu ſacro & a vulgari diſcreto. Ineſt enim columbis quidam pulchritudinis ſenſus, Plinio quoque memoratus, & hinc etiam lavandi ſtudium. Eadem poteſtas Latini vocabuli, a Gr. κολυμϐᾷν, urinare. Saxones alia utuntur voce, & columbam vocant *culſran*, Matth. III, 16. Luc. II, 24. ſicuti & quibusdam Anglis etiamnum *culver* nuncupatur, quæ Junio videntur ex Græco deſumpta.

TAUGEN, expedire, aptum & valentem eſſe ad bene agendum. Angloſax. & Francis *dugan*, & hinc Otfrido imperfectum *dohti*, aptus erat, Lib. III. cap. 20. verſ.

Digitized by Google

verſ. 130. & mox ab imperfecto adjectivum *dohtun* probi, idonei, ibid. verſ. 135.

Thie ubile iob thie dohtun
Sih gieinon thar ni mohtun.

Improbi atque probi
Se unire hic non poterant.

Kilianus habet *deughen*, *doghen*, *dooghen*, eodem quo Germani *taugen* ſignificatu. Verelius in Indice verbum cum tota familia Septemtrionali exhibet: *duga* ubique apud auctores juvare, auxilio eſſe, opem ferre, *dugr* virtus, valor, *dygd* valor, præſtantia, *dygdamadur* vir honeſtus, *dygdarlaus* ſine virtute, *dyggleiker* virtus. Quibus conſentit Sorabicum *ne doga* inutile eſt.

TAUSEND, mille, Gothis *thuſund*, Angloſax. *thuſend.* Marc. VIII, 9. Tatiano Franco paſſim *thuſunt* LXVII, 14. CLXXXV, 5. Idem quod decies centena. Prima ſyllaba decem ſignificat, quamvis ſolis Islandis, qui decem breviſſime & citra ullam compoſitionem *tiu* vel *tio* vocant, teſte Evangelio Island. & Verelio in Indice vocabulorum vetuſtiſſimorum Septemtrionis. Altera Syllaba depravata eſt ex *hund* quod in omnibus veterum Dialectis centum ſignificat, ſpiritu in ſibilum mutato.

TEUTSCHER, Germanus, *teutſche* Germani, *teutſch* Germanicus. De Germanici nominis origine alibi vidimus. Reſtat, ut nominis Theotiſci, quod Germanico antiquius, & Genti coævum, rationem inveſtigemus. Nam hoc nomine noſtri inprimis gloriantur, & hoc ſolo cupiunt inclareſcere, & ab aliis nationibus diſtingui, etiamſi rerum & cauſarum, unde hoc nomen oriatur, ignari. Fr. Junius videtur nominis Theotiſci uſum & inventum auctoribus Francis & Alamannis, tanquam proprium tribuere, ſed perperam. Nam nomen

nomen Theotiſcum jam a Servio literis proditum eſt in notis ad Virgilium Æn. VII. ubi, *Cataja*, inquit, *lingua Teutiſca haſtæ dicuntur.* Idem nomen reperire quoque licet, quamvis compoſite, in Evangelio Angloſaxonico Matth. XXVII, 7. ubi homines peregrini vocantur *el-theodiſce men.* Quæ cum ita ſint, originem nominis non a Francis aut Alamannis, ſed altius repetendam eſſe cenſeo. Unde vero niſi ex perantiqua Germanorum de origine Gentis ſuæ perſvaſione? Quam Tacitus memoriæ prodidit his verbis in libello de moribus Germanorum cap. XXXIX. *Per humum evolvuntur, eoque omnis ſuperſtitio reſpicit, tanquam inde initia Gentis.* Plura ejusdem Scriptoris teſtimonia vide ſupra in voce *Erde* primæ ſignificationis: Ubi ſimul demonſtravimus, Terram a Geolatris ſic dictam eſſe, quaſi *örde* principium. Quodſi omnis ſuperſtitio majorum noſtrorum eo reſpiciebat, ut ſe terrigenas ſive terra editos oſtenderent, veroſimile omnino eſt, commune quoq; nomen *Teutſch* eo reſpexiſſe. Supereſt, ut vocabulum rei oſtendam. Terra, ſive humus, quam pedibus calcamus, teſte Boxhornio in Vocabulario Antiquo-Britannico, Cambris dicitur *tud*, & alienigena *alltud*, ab *all* alius, & *tud* terra, & terra limitanea *marsdit*, a *mars* limes, & *dit* regio ſive terra. Armorici eodem ſenſu dicunt *tit*, *tud*, *teut*, teſte Pezronio in Celticis. Nec Armorici tantum, ſed etiam Saxones & Gothi. Eſt enim vox Celtica & pervetuſta, ab omnibus Dialectis Celticis antiquitus uſurpata, & verum atque proprium terræ vocabulum. Patet hoc imprimis ex quibusdam compoſitis. Hinc gens cujusvis terræ indigena Angloſaxonibus dicitur *theodafolc*, Matth. IV, 16. cujus Synonymum hodie *landvolk.* Et peregrini, qui ex alia terra vel agro ſunt, *eltheotiſce men* Matth. XXVII, 7. cujus ſynonymum in lingua Francica eſt *elilentero* apud Tatianum CXCIII. ab *eli* alius, & *lant* terra, compoſitum. Hinc porro regnum

Digitized by Google

gnum Gothis dicitur *thiudinaſſus* Matth. VI, 10. non a *thiuda* populus, ſed a *thiuda* terra. Regna enim ſunt territoria, & imperia in territoriis. Et hinc etiam Latinis vocantur *ditiones*, a Celtico *dit* terra. Germanis *diet* eodem ſenſu ſuperat in *Dietmarſen*, quod eſt nomen terræ limitaneæ in Holſatia, haud dubie inverſis ſyllabis factum ex Cambrico *marsdit*. Quemadmodum igitur a terra Latinis fit terrenus, ita a ſubſtantivo Celtico *tud*, *tit*, *teut*, *dit*, *theod*, *thiud*, terra, per terminationem regularem & omnibus veterum Dialectis uſitatam *iſc*, nata ſunt adjectiva *tudiſc*, *theotiſc*, & ſimilia pro varietate Dialectorum, idem prorſus ſignificantia, nempe terrenum, ſive qui e terra eſt. Neque enim adjectivum a ſubſtantivo oriundum alterius naturæ eſſe poteſt, quam a ſubſtantivo permittitur. Cujus rei teſtem habemus idioma Angloſaxonicum, ubi *theodiſc* eo ſenſu occurrit, qui notionem terræ involvit, uti vidimus. Hoc adjectivum ubi cœpit ſubſtantivari (cœpit autem diu ante fictum a Geolatris *Herthæ* vocabulum) tranſiit in nomen proprium. Primus hujus nominis, quem literæ commemorant, fuit Germanicæ Gentis Conditor. Hunc libri manuſcripti vocant *Tuiſtonem*. Conringius ſuſpicatur, legendum eſſe *Tuiſconem*: ſed & hoc vitioſum eſt. Nam ex dictis liquet, quod verum Viri iſtius nomen fuerit TUTISCO. Et huic ſoli reſpondet exacte interpretatio Taciti, nomini adjecta, *terra editus*. Verba Taciti hæc ſunt c. II. de M. G. *Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriæ & Annalium genus eſt) Tutiſconem Deum, terra editum, & filium Mannum, originem Gentis, conditoreſque.* Quæ quomodo intelligenda ſint, jam diximus in Præfatione. Atque hinc jam patet, unde & qua de cauſa Germani ab omni retro memoria vocati ſint *Teutſche*. Manifeſtum enim eſt ex antecedentibus, Germanos cum a conditore ſuo, cujus nomen terrigenam ſignificat, tum ab antiqua

de

Digitized by Google

de Gentis ſuæ ex terra ortu perſuaſione, ſic voluiſſe appellari, quaſi terra editos. Et hoc nomine Germani ob easdem cauſas nunquam caruiſſe conſendi ſunt, etiamſi ſero literis proditum ſit ab exteris. Eſt enim nomen antiquis carminibus celebratum, cujus uſum perennem ſatis teſtatur adjectivum *Theotiſcus*, Servio memoratum, quod ſubſtantivum neceſſario præſupponit. Cur Virgilius *Teutonico ritu* dixerit, cum eadem facilitate, & absque ulla vocis corruptela aut metri damno dicere potuiſſet *Teutiſco ritu*, divinare nequeo, niſi quod ſciam, vocabula Germanica ab ore & calamo Latino ſæpe depravari. Virgilium imitati ſunt tanquam dicendi artificem Propertius L. III. Eleg. III. & Juvenalis Satyra X. quos merito corrigit Servius, vocabulum Barbarum, ut par erat, Latine reddendo. Ex Francis latine ſcribentibus alii imitantur Virgilium, alii Servium, & hi quidem bene, illi vero male. Nam *Teutonorum* nomen, unde adjectivum *Teutonicus* Virgilio quæſitum, illo ævo nondum ſignificabat omnes Germanos, ſed Germanorum maritimos tantum, & inſularum maris Baltici incolas, quos Cimbri, quibus imperium maris illius ab antiquo, videntur appellaſſe vel plebem ſuam, quod eſſent eorum clientes & ſubjecti, vel fœderatos & belli ſocios, quod arma cum illis circumferrent. Utrumque enim *Teutones* ſignificare poſſunt: prius, ſi nomen derivetur a *theod* plebs, populus: poſterius, ſi a *theodan* jungere, ſociari. Quocunque ſenſu vox accipiatur *Teutonica*, ſemper differt a *Theotiſca*, & cum illa nihil prorſus commune habet. Unde mihi male videntur feciſſe, qui ſecutis temporibus Teutonorum nomen, ut Galli Alamannorum, toti Germaniæ impoſuerunt: & pejus, qui vitioſam nomenclaturam, vel prava abrepti temporum conſvetudine, vel intempeſtiva purioris Latinitatis affectatione inducti (utrumque autem vocabulum æque barbarum eſt) exemplo ſuo firmant, quam potius deberent

cor-

corrigere, & communi conſenſu abolere. Duo fortaſſe mihi objicient rerum Germanicarum periti, (nam a reliquis nullam objectionem exſpecto:) Primo, *Theotiſcum* denotare popularem, a *theod* populus, teſte Junio in Gloſſ. Goth. Secundo, etymon noſtrum non videri nobiliſſimæ Genti ſatis honorificum, quod Terræ filii vulgo dicantur homines vel obſcuro loco, vel incertis parentibus nati. Operæ pretium eſt, ad hæc duo parare reſponſionem. *Theod* ſignificat *terram* & *populum*, in omnibus veterum Dialectis, ſed prius *terram*, quam *populum*. *Populus* enim, ſic dicitur, ob *terram* quam incolit, ſenſu improprio & metonymico: Ipſa vero *terra* ſenſu proprio, principe, nec aliunde communicato. Res exemplo fiet manifeſtior. *Land* haud dubie eſt nomen terræ & ſoli natalis, in primo & proprio ſignificatu: & nihilominus tribuitur incolis per metonymiam, non ſolum in compoſitis *Lands-ſitten*, *Lands-brauch*, *Lands-ſprache*, & ſimilibus ſine numero, ſed etiam extra compoſitionem in vulgatis loquendi formulis, *das Land hats bewilliget*, *das Land hats beſchloſſen*, *das Land hat gehuldiget*. Quemadmodum autem unius poſitio non eſt alterius excluſio, ita facile largiar, *Theotiſcum* præter Germanum ſeu terrigenam ſignificare etiam poſſe popularem, & adjective vernaculum, modo is ſignificatus ex aliquo monumento doceri queat. Verum cum Junius aſſerti ſui nullum produxerit exemplum, nec ullum a me reperiri potuerit, liberum mihi erit credere, Concilia & Scriptores Eccleſiaſticos per linguam *Theotiſcam* intelligere Germanicam, & per homines *Theotiſcos* Germanos, donec probetur contrarium. Palthenio vero aſſerenti, Junium vocem *theotiſc* ex ingenio ſuo compoſuiſſe, tantum abeſt, ut adſentiri poſſim, ut etiam refragari cogar. Quomodo enim Junius potuit confingere vocem, tot monumentis veterum celebratam? Et qua nulla antiquior eſt in tota Lingua Germanica? Ad ſecundum

reſpon-

reſpondeo, Terræ filios non ſemper denotare homines obſcuros, aut incertis natalibus ortos, ſed ſæpe etiam Heroes & Semideos. Teſtis eſt Martianus Capella in Nuptiis Philologiæ & Philoſophiæ Lib. II. *A medietate aëris usque in montium terræque confinia Hemithoi Heroesque verſantur, qui ex eo quod Heram terram veteres dixerunt, Heroes nuncupati.* Puta, quaſi Terræ filii. Equidem Philoſophi plerique aliter de hac re ſentiunt. Hinc Antiſthenes apud Diog-Laertium Athenienſibus, quod indigenæ eſſent gloriantibus, reſpondiſſe fertur, *illos cochleis & locuſtis nihilo nobiliores eſſe.* Verum cum ſacris literis proditum ſit, primum hominem virtute & opificio Dei e terra formatum eſſe, idemque per omnes Gentes, ſaltim vetuſtiſſimas, traditum a majoribus videatur: Hinc veroſimile eſt, remotiſſimi temporis Germanos habuiſſe aliquam hujus divinæ & nobiliſſimæ originis notitiam, ſed poſtea ſive hominum oblivione ſive fingendi licentia obliteratam. Et quamvis propudioſum nobis videatur, originem ſuam ex humo repetere, aut nomine profiteri: Hoc tamen non ex rei vilitate, ſed ex opinione eorum, qui ejusmodi nomen ſibi impoſuerunt, æſtimandum & dijudicandum eſt, quod ſibi glorioſum eſſe, haud dubie arbitrati ſunt. Nam & Athenienſes ob eandem cauſam ſe dicebant *αὐτόχθονες* ſive ſponte natos. Nec Athenienſes ſolum, ſed etiam alii populi, eodem furore agitati, quos recenſere longum foret, & a præſenti inſtituto alienum. Galli terrigenas noſtros olim vocabant *Thiois*, voce primæva ob difficilem pronunciationem inſigniter corrupta, Itali hodie *todeſco*, quod Germanici nominis decus pulchre exprimit.

THIER, animal placidum & non placidum. Græcis θὴρ fera. Islandis *dyr* animal, *diur* lupus, urſus. Vi etimologiæ ſignificat animal cornutum, ut diximus in voce *ſtier*. Idem nomen, quamvis tauro proprium, ab

uſu.

Digitized by Google

uſu, dicendi magiſtro, traductum eſt ad animalia non cornuta & immanſueta quoque ſignificanda. Qui hæc faſtidiunt tanquam turbata & confuſa, cogitent, omnibus fere linguis ejusmodi confuſionem in nominibus animalium familiarem eſſe, & conferant dicta in ſubſtantivo *Bar* ſecundæ ſignificationis.

TRABEN, graviter & lente incedere. Inde derivata, *vortrab* copiæ, quæ Exercitum præcedunt (Gall. *avantgarde*), *nachtrab* copiæ, quæ Exercitum ſequuntur (Gall. *arrieregarde*), *vortraber* prodromus, anteambulo, qua voce utitur Lutherus Sap. XII, 8. Ab eodem verbo ſtipatores, qui Principem aut Ducem, ſive domi ſive in caſtris conſectantur, arbitror vocari *Trabanten*, quaſi gradivos, nomine a cognomine Martis quæſito. Mars enim GRADIVUS vocatur a gradu, quaſi graviter incedens, & inceſſu haſtam quatiens, qualis repræſentatur in numis Domitiani apud Rubenium Tab. 57. & paſſim alibi. Et conſentiunt plerique interpretes apud Servium in notis ad verba Virgilii:

Gradivumque Patrem Geticis qui præſidet arvis.

Alii vocem Germanicam derivant a *ſent* famulus, miniſter, ſed infelici partu, quoniam in ratione de priori compoſiti parte reddenda in medio niſu ſuccumbunt. Verbum ipſum a ſono pedum *trab, trab* per onomatopœiam fictum eſſe, haud male judicat Claubergius.

TÜCHTIG, idoneus, aptus, ad bene agendum. Originem habet Francicam ab obſoleto *dohti* aptitudo, facultas, habilitas, quo utitur Otfridus in Præfat. ad Epiſcop. Salomonem:

Ni thaz mino dohti
Giuuerkon thaz io mothi.

Non quod præſtantia mea
Efficere illud potuerit.

U Ipſum

Ipſum vero *dohti*, unde oriatur, jam diximus in voce *Taugen*.

TUGEND, virtus, valor, probitas. Angloſax. *duguth*, Willeramo *dugeth*, plur. *dugatha*, Island. *dygd*, Belg. *deugd*. Cuncta a verbo antiquo *dugan*, valere ad bene agendum, quod vide ſupra in *taugen*. Similiter Latinis virtus a viribus ſic dicitur. Nam ſecundum meliorem Philoſophorum ſententiam, virtus nihil aliud eſt, quam recte agendi potentia, ſive facultas mentis ex ductu rationis vivendi. Qui virtutem non in potentia animi, ſed in ſimplici actione collocant, errare cum populo mihi videntur. Virtus enim non ex actione (quæ plerumque æquivoca eſt) ſed ex animo agentis æſtimanda eſt, & ideo Keroni ſæpe dicitur *chraft*, & aliis Scriptoribus *megin*. De vocabulo virtutis frequentiori & uſitatiori apud Francos & Alamannos *kuſt* ſive *chuſt*, ejusque oppoſito *unkuſt*, egimus in notis ad Keronem voce *vitium*. Latini virtutem moralem & militarem, quarum illa cum vitiis tanquam cum beſtiis, hæc cum hominibus certat, una voce confundunt. Franci autem vocibus diſtingunt. Hinc virtus bellica Otfrido dicitur *theganheiti*, Lib. I. cap. III. moralis vero *kuſt*, Lib. IV. cap. 37. Vocabulum virtutis in Gothico idiomate deſideratur.

TÜK, dolus. Ab occultando ſic dictus, quod Stadenius Secretorum Linguæ noſtræ feliciſſimus rimator hinc colligit, quia Scriptoribus Parænetices Goldaſti *minne tögen* eſt celare amorem, *tögen ſagen* dicere arcana, *tögen gan* clam ire. Verum præter hæc multo antiquiora occurrunt, quæ cum hiſce & re ſignificanda conſentiunt. Gothis *thahan* eſt ſilere, cui reſpondet ſono & ſignificatu Latinum *tacere*. In Lexico Runico *thogn* exponitur ſilentium, & *thykkia* ira latens. Utrumque perfecte convenit ingeniis ſubdolis & ad fallendum natis, quæ plerumque ſunt taciturna & male affecta erga proximum.

ximum. Huc etiam ſpectant quædam Francica, cujusmodi eſt *tougola* clam, occulte, apud Tatianum V, 7. VIII, 4. & *tauganiſs* arcana, in Gloſſ. Boxhorn. Quid enim eſt dolus, niſi machinatio occulta, & ſecretorum praviſſimorum inventio & cuſtodia? Convenit & Cambricum *techu* latere, latitare. Latent enim plerumque doloſi, & conſpectum hominum fugiunt, & dolus non ſolum ſeipſum, ſed & magiſtrum ſuum ſæpe turpiter occultat.

TURTELTAUBEN, Hebræis *thor*, *thur*, Latinis *turtures*, Tatiano Franco *turtilutubun* VII, 3. Cuncta per Onomatopœiam a ſono *tur*, *tur*, naturali & luctuoſo iſtius volucris deſumta. Gothi easdem Columbas appellant *hraiwadubonos*, quaſi dolentes & gementes, voce pulcherrima, & Germanicæ linguæ reſtitui digna. Hodie dixeris *Reuwtauben*.

TYRANN, tyrannus. Vox Celtica, & omnibus quondam populis Celticis, ſed bono tantum ſenſu, qui malo longe antiquior eſt, uſurpata, cujus familia hodie ſuperat apud Cambros & Armoricos, quibus *tir* terra, territorium, & hinc *teyrn* rex, *teyrnas* regnum, *teyrnaſu* regnare, teſte Pezronio in Celticis. Poterat hæc vox omitti, & Britannis relinqui, niſi Angloſaxonibus quoque *tir*, *tire*, eſſet dominatus, imperium. Atque hinc jam patet, ad quam Linguam ſpectet vox Græca *τύραννος*? Et quid ſit *Turnus*, *Saturnus*, & ſimilia ſive Principum ſive Deorum nomina.

U. V.

UBERWINDEN, vincere, ſuperare. Vox per epentheſin corrupta. Antiqui enim non agnoſcunt literam D. in medio vocis, nec Angli hodie, nec Belgæ.

Digitized by Google

Kero: ſuperamus *uberuuinnamees.* Otfridus in Præfat. ad R. Ludovicum

Er mit thulti, ſo er bigan,
Al thie ſiantha uberuuan.

Conſtantia, ut cœperat,
Hoſtes omnes ſuperabat.

Componitur ab *uber* ſuper, & *uuinnan* certare, quod eo ſenſu frequenter occurrit apud Scriptores Francos & Alamannos. Tatianus CXCV, 4. *min rihhi niſt ſon theſemo mittilgarte, oba ſon theſemo mittilgarte uuari min rihhi, mine ambahti uuunnin,* regnum meum non eſt de hoc mundo, ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei decertarent. Hinc *ſtreit* & *geuuin* apud veteres erant Synonyma. Gloſſæ Pez. in conflictu *inſtrite, in geuuinne.* Gothis *winnan* eſt pati, Angloſaxonibus *winnan* laborare. Omnes iſtos ſignificatus hodie una voce complectimur. Nam ſuperare ſive patientia & labore, ſive certamine & conflictu Belgis dicitur *overwinnen,* Germanis *überwinden.*

VERDAMMEN, condemnare. Gothis *afdomjan,* Luc. VI, 37. Angloſax. *fordeman,* Francis & Alamannis *fortuomon* Tatianus XXXIX, 1. *ni curet tuomon, thaz ir ni ſit fartuomto, ſoſo ir in tuome tuoment, ſo uuerdet ir gituomte,* nolite judicare, ne ipſi condemnamini, in quo enim judicio judicabitis, in eo judicabimini. Origo eſt a ſimplici, in omnibus Dialectis uſitato. Nam judicare Gothis dicitur *domjan,* Angloſax. *deman,* Francis & Alamannis *tuomon.* Quod ubi jungitur cum particula præpoſitiva *for,* ſenſum intendit, & ſignificat valde judicare, id eſt, condemnare. A ſimplici oriuntur multa derivata & compoſita apud veteres. Hinc Angloſaxonibus *dema, demere, domere* judex, *demm* damnatio, *dom, dome* judicium, *domſetl* tribunal, *domboc* liber

liber judicialis, & plura alia, quæ legi poſſunt apud Somnerum. Hinc Franciſ *tuom* vel *duom* judicium, & *doma* judicia, in Gloſſis Lipſii, & *tuomo* judex, qui judicat populum Iſrael apud Tatianum VIII, 3. De foro criminali veterum Germanorum vide Tacitum in Germania cap. XII. Errant ergo, qui verbum noſtrum, quod omnino Celticum eſt, & Latinis communicatum, a Latino derivant, eosque merito ſibi refutandos propoſuit Cel. Vorſtius obſervat. in Ling. Vernacul. cap. XII. Aliter tamen ſentiendum de vocibus Otfridinis *firdamnon* & *firdamnot*. Lib. III. cap. XIII. Lib. V. cap. XVI. quæ ex affectatione Latiniſmi orta videntur. Alias Francis & Alamannis condemnare dicitur *nidarren*, *kenidaren*, *forniderenn*, nec illis tantum, ſed etiam Angloſaxonibus, Luc. VI, 37. a *nider* peſſum, quia damnati ſunt inferiores cauſa, & a judice quaſi dejecti & humiliati, ſicut diximus in obſervationibus ad Keronem voce *Damnamus*.

VERFÆRT, perterritus, ob ſubitum & inſperatum rei malæ occurſum. Participium verbi terrere, perterrefacere, quod Angloſaxonibus dicitur *færan*, *afæran*, Francis & Alam. *irferron*. Gloſſ. Lipſ. *irferron ſal* obſtupefacies. Epinic. R. Ludovic. *Kuning uuas ervirrit*, rex erat attonitus. Anglis *afraid* eſt perterritus, Gallis *affreux* terribilis, Græcis φρίξ horror. Cuncta ab eodem verbo. Ipſum vero verbum videtur originem cepiſſe ab adjectivo Angloſaxonico *fær* ſubitus, repentinus. Gothis *fraiſan* eſt tentare, periclitari, ex eodem opinor fonte. Quid enim eſt tentatio, niſi ſubita periculi oſtenſio, & neceſſitas ex duobus malis alterutrum eligendi? Certe tentatio hoc ſenſu videtur accipi Matth. VI, 12.

VERGANTEN, ſubhaſtare bona, per præconem vendere. Ita Svevi & Helvetii. Iisdem *gant* auctio publica, teſte Pictorio. Utrumque a ſimplici *anten* privare, alienare, quod vide ſuo loco. Litera G. neminem

debet morari. Nam G. ſæpe abſolute ponitur pro *ge*, ut diximus in Præfixis.

VERGESSEN, oblivіſci. Angloſaxonibus *forgytan*, Francis & Alam. *erkezzan*. Kero: obliviſcatur *ſi erkezzan*. Quid ſit oblivio, patet ex natura oppoſiti. Memoria habet ſuas acquiſitiones, ſed acquiſita non ſemper fideliter reddit. Quod ubi fit (fit autem ſæpiſſime) tunc dicimur obliviſci, id eſt, non amplius adipiſci, quæ olim memoriæ erant concredita. Adipiſci autem Angloſaxonibus dicitur *getan*, *gytan*, Anglis *to get*. Inde compoſitum *forgytan* obliviſci, id eſt, non adipiſci. Nam præfixum *for* hoc loco negandi vim habet, & ſenſum remittit, ut ſæpe alias. Vide Keronem noſtrum in voce *Reprobus*, & confer Prolegomena.

VERGEUDEN, diſſipare bona. A *giædi* res, opes, vocabulo ſcriptoribus Islandicis uſitato, teſte Verelio in Indice. Præfixum *ver* hoc loco eſt adverbium ordinis, quod ultimum terminum rei ſignificat. Plura ejusdem commatis compoſita vide in Prolegomenis. Vir quidam literis ornatiſſimus derivat a Latino *gaudium*, jocunde magis, quam vere, quamvis adhinniente populo, qui de homine, quem luxuria e divite pauperem fecit, dicere ſolet, *er iſt mit freuden arm worden*. Vox quæ B. Luthero in ſacra verſione haud ſemel placuit, hodie perennat apud Svevos. In reliqua Germania reperiuntur multi, qui rem experti vocem ignorant.

VERHÆNGNUSS, conſenſus, providentia, pro diverſitate originis. Si derivetur ab *hangen* pendére, tunc ſignificabit permiſſionem & conceſſionem, ob ſimilitudinem conſenſus cum actu pendendi. Quemadmodum enim omne pendulum inclinatur deorſum: ita conſentientes ſunt quaſi prono & propenſo animo erga eos, quibus adſentiuntur. Si vero derivetur ab *henken* ſuſpendere, facere ut pendeat vel dependeat, tunc aliquid amplius, nimirum non ſimplicem permiſſionem, ſed provi-

providentiam, & diſpoſitionem cauſarum denotabit. Hoc ſenſu dixit Seneca de providentia divina cap. V. *Cauſa pendet ex cauſa; privata ac publica longus ordo rerum trahit.* Prior tamen ſignificatus apud antiquos frequentior eſt. Hinc Otfrido *henge* eſt permittat, Lib. IV. cap. IV. Tatiano *gihengig* conſentiens, XXVII, 2. Keroni *zuakihenkit* adſentiatur, *kehenkames* conſentiamus, *kehenkantan* conſentientem, *kihenkit* conſenſerit, *kihenkida* conſenſus.

VERHERGEN, devaſtare, depopulari. Factum ab Angloſaxonico *herig*, *herg* exercitus. Vocem habet Lutherus III. Esdræ IV, 45.

VERKÜNDIGEN, annuntiare. Hujus verbi generatio ita procedit. A *kennen* noſſe (quod Gothis effertur *kunnan*, Angloſax. *cunnan*, Francis & Alam. *chunnan*, *chennan*) fit participium *kund* notum, cognitum, manifeſtum, in omnibus Dialectis. Ab hoc participio Franci & Alam. formarunt verbum *chundan*, *kechundan* notum facere, facere ut innoteſcat. Kero: indicat *kechundit*, indicet *chundit*, nuntiare *kechundan*, nuntiantur *ſint kechundit*. Quod poſteri transformarunt in frequentativum *kündigen*, *verkündigen*.

VERLEUMDEN, calumniari, diffamare. A *leumde* fama, & privatione famæ, quæ particula præpoſitiva *ver* ſubindicatur. Vide quæ ſupra notavimus ad vocem *Leumunt*.

VERLIEREN, jacturam facere. Gothis *fraliuſan*, Luc. XV, 8. 9. Angloſax. *forleaſan*, ibid. Francis & Alam. *farleoſan*, *farliuſan*. Kero: perdant *farleoſant*, perdiderit *farliuſit*. Anglis *to loſe*, Belg. *verlieſen*. Male hic Germani deſerunt antiquos. Nam *verliuren* proprie non eſt amittere, ſed deſtruere, exterminare ſaltim antiquis. Quod pluribus demonſtravi in Gloſſario Ala-

mannico voce *Perditionem*. Videntur autem noſtri imitati Latinos, & eadem licentia uſi, vocem deſtructioni propriam cuivis jacturæ communicando. Latinis enim *perdere* non ſolum eſt perniciem afferre, ſed etiam quocunque modo amittere. Malo hoc ſuſpicari, quam illos literam S. in R. transformaſſe.

VERLUST, jactura. Gothis *fraluſtei* perditio, jactura, *ſunus fraluſtais* filius perditionis, Joh. XVII, 12. a *fraliuſan* perdere, amittere. Sic redeunt Germani ad priſcos, quos ante deſeruerant.

VERNUNFT, ratio, intellectus, percipiendi & animadvertendi facultas. Nam rationes rerum tam divinarum quam humanarum ab intellectu humano non finguntur, ſed reperiuntur & animadvertuntur. Sunt enim ab alio factæ & excogitatæ. Et a quo, niſi a Deo? Kero intellectum interpretatur *farnuſſt*. Quod videtur mendoſum. Mallem legere *farnuſt*, ut conſentiat cum Belgis, quibus intellectus *vernuſt*, vel potius *farnumſt*, ut ſecum ipſe conſentiat. Quicquid enim derivatur a *niman*, terminari ſolet in *numſt*, ut diximus in Subfixo FT. Quocunque autem modo hoc rationis vocabulum efferatur, originem certe refert ad *farniman* percipere, animadvertere. Gloſſ. Pez. animadvertit *firnam*. Gothis *ganiman* eſt diſcere, cognato ſignificatu. Nam percipiendo diſcimus, & diſcendo percipimus. Utrumque compoſitum eſt a ſimplici *niman*, quod in omnibus veterum Dialectis capere ſignificat. Capit autem primo manus, & deinde mens ad ſimilitudinem manus. Res ipſa meliori & aptiori vocabulo inſigniri haud poterat. Nam quocunque modo fiat intellectio, mens intelligendo percipit, & percipiendo intelligit. Et hæc perceptio eſt quædam *comprehenſio, ſimilis iis rebus, quæ manu prenderentur*, ut ſapienter docet Zeno apud Ciceronem in Quæſt. Acad. Plura ejusmodi vocabula, ab officio manus deſumpta, in negotio intellectus

Digitized by Google

ctus uſurpantur a Germanis, cujusmodi ſunt *begreiffen* comprehendere, *begriff* comprehenſio, *behand* ſolers: Nec a Germanis tantum, ſed etiam a Gr. & Latinis, teſtibus vocabulis χανδάνω, *hendo*, *prehendo*, *comprehendo*, ex quibus Celtica vox *hand* manifeſto emicat. De vocabulo Germanico *vernunft* ſingularem & elegantem libellum edidit Claubergius Prof. Duisburgenſis, ex quo inprimis patet, vocabulorum Germanicorum ſæpe majorem probitatem eſſe, quam Græcorum aut Latinorum.

VERPRASSEN, decoquere commeſſando. A ſimplici *praſſen* coquere, quod hodie quidem obſoletum, olim vero viguit, & fortaſſe a Maſſilienſibus ad reliquos Gallos, & ab his ad Francos pervenit. Græcis enim ἀναβράσσω eſt fervefacio. Inde Gallis *braſſer de la biere* coquere cereviſiam, facere ut bulliat, & Latino-Barbaris *braxare* eodem ſenſu.

VERQUASEN, res ſuas heluando perdere aut imminuere. A Sorabico *kwaſs* compotatio, commeſſatio.

VERQUISTEN, diſſipare, profundere. Gothis *fraquiſtjan* duo inprimis ſignificat, perire Matth. VIII, 25. Luc. XV, 17. Joh. XVIII, 14. & perdere ſive facere ut pereat. Luc. IV, 34. IX, 56. Germani poſteriorem ſignificatum retinent, ſed ad profuſionem rei familiaris reſtrictum. Cl. Hickeſio *quiſton* ſignificat coquere in Gram. Angloſax. p. 155. Quo ſuppoſito *verquiſten* proprie erit decoquere. Et *cuiſine* erit culina, a coquendo ſic dicta.

VERSTEHEN, intelligere, *verſtand* intellectus. Kero in Gloſſis: intelligitur *iſt farſtandan*, advertitur *iſt farſtantan*, intellexiſti *farſtuanti*, intelligentes *farſtantanti*, intelligentia *farſtantida*. Utique a ſtare, quod in omnibus veterum Dialectis dicitur *ſtandan* vel *ſtantan*, hodie vero *ſtan* vel *ſtehen*. In Gothico & Angloſax. idiomate ſtationem ad intellectum transferre

ferre prorſus inſolens. Ex veteribus ſoli Franci & Alamanni, & cum illis omnes populi recentiores, qui Germanica Lingua utuntur, intellectum a ſtando denominant, Germani *verſtand*, Angli *unterſtanding*, Sveci *förſtand*, Belgæ *verſtandt*, etiamſi concipi haud ita facile poſſit, quid demum illud ſit, quod ſitus ille corporis cum actu intelligendi commune habeat, aut quæ ratio moverit Antiquos, ut Intellectum ſtatus vocabulo inſignirent. Verum ut pro Majoribus noſtris, (quorum ea fuit in verbis ſapientia, ut haud inepta rebus ſigna aptaſſe cenſendi ſint) aliquid hic dicam, conſideranti mihi naturam & indolem humani Intellectus, tres imprimis intelligendi modi occurrebant, qui cum ſitu illo corporis, unde nomen accepit Intellectus, ſimilitudinem habere videbantur. *Stare* dicitur in bivio conſtitutus, & quorſum progrediatur, & quo tramite, anceps & ignarus. Idem ſtatus mentis dubitantis. Suſtinet aſſenſum, ſicut ille gradum, uterque metu erroris. *Stare* dicitur, qui ad metam currendo pervenit. Similiter mens in agnita veritate ſubſiſtit, & quieſcit. *Stare* dicitur, cui non licet per impedimenta ulterius progredi. Idem ſæpe accidit in inquiſitione veritatis, quando mens nec principium rerum invenire poteſt, nec exitum. Tunc enim cogitur ſuccumbere, & in ſe ipſam recedere quaſi immobilis, hominis inſtar impediti, qui mallet quidem pergere, ſed non poteſt. Primus ſtatus mentis vocatur dubitatio, ſecundus aſſenſio, tertius ſcrutinium, ſed infelix & irritum, & docta potius ignorantia, quam ſapientia. Atque his tribus omnes mentis operationes abſolvuntur. Quæ cum manifeſta ſimilitudine ſitum illum corporis, qui a ſtando nomen habet, referant, recte & ſapienter vocantur *verſtehen*. Solent enim vocabula a ſenſibilibus ad intelligibilia traduci in omnibus linguis, quod peritis non poteſt eſſe ignotum.

VERWANTSCHAFT, cognatio, agnatio. Signi-

Significat proprie amicitiam, ſive fœdere, ſive conjugio, ſive mutua benevolentia initam. Gloſſ. Boxhorn. *winiſcaf* fœdus. Verelius in Indice: *vinatta* amicitia. Nomen habet ab amico, qui Antiquis dicitur *wine*. Delectatur inprimis hac voce Willeramus Abbas in Cantico Canticorum, ubi *wine* per omnes caſus hoc ſenſu occurrit:

Cap. V, 10. *min uuine iſt uuiz unde rot.*
amicus meus candidus eſt & rubicundus.

Cap. II, 8. *diu ſtimma mines uuines,*
vox dilecti mei.

Cap. VI, 10. *minemo uuine bin ih holt,*
diligo amicum meum.

Cap. III, 1. *minen uuine,*
amicum meum.

Cap. VIII, 14. *uuine min,*
amice mi.

Verelius in Indice exhibet vocem cum tota cognatione: *Vinur* amicus, *vinfaſtur* in amicitia conſtans, *vingaſt* amicitiam inire, *vingan* amicitia, *vinatta* idem. De nominibus propriis *Winfridus*, & *Lebuinus* videbimus in Onomaſtico. De vocibus Latinis *adfinis* & *adfinitas* ita cenſeo, eas e fonte Celtico petitas eſſe. Nam qui adfinem ſic dictum putant a finibus, quaſi confinalem & conterminum, videntur mihi frigida loqui. Video tamen virum quendam doctum Latinos imitari, dum conſanguineos Germanice *verwante* dictos putat, quaſi parieti proximos: ſed perperam. Nam ex dictis liquet, vocem noſtram inſigniter corruptam eſſe, adeo ut in Lingua hodierna videri poſſit ſignificare potius averſionem quam conjunctionem, niſi priſcas voces tanquam medelam adhibeas. Hoc dulciſſimum dilectionis & benevolentiæ vocabulum ad cognationes translatum eſt

more

more Germanis ſolito, qui etiamnum propinquos vocare ſolent *freunde*, id eſt, amicos, & totam eorum collectionem *freundſchaft*, i. e. amicitiam.

VERWEIS, reprehenſio, proprie objectio probri, alias exprobratio, opprobrium. Gothis *idweit*, Luc. I, 25. Angloſax. *edwit* vel *ædwit*, Francis & Alam. *ituuiz*. Kero: opprobrium *ituuiz*, opprobria *ituuize*. Idem Belgis *verwyt*.

VERWEISEN, exprobrare. Gothis *idweitjan* Matth. XI, 20, Angloſax. *edwitan*, Tatiano *itiuuizon* LXV, 1. *tho bigonda itiuuizon then burgin*, tunc cœpit exprobrare civitatibus. Id eſt, criminis eas poſtulare, arguere. Idem Anglis *to twit*, Belgis *wyten*, *verwyten*.

VERWESEN, corrumpi, carie aut putredine conſumi. Gothis *wiſan*, Angloſaxonibus *weſan* idem eſt quod Græcis ἔσεσθαι, Latinis *eſſe*. Francis autem & Alamannis *weſan* ſæpe idem quod *werdan*, fieri. Kero in Gloſſis: fieri *uueſan*. Hinc *verweſen* ſignificare poteſt, vel tranſire a ſtatu exiſtentiæ ad non-exiſtentiam, vel defieri (ut ſic loquar) id eſt, deſtrui, interire. Nam hunc ſenſum exigit hoc loco particula *ver*, quam vide in Prolegomenis. Hujus verbi Synonymum apud veteres eſt *faruuerdan*, quod hodie obſoletum.

VERWESEN, adminiſtrare, præeſſe. Kero: præeſſe (monaſterio) *forauueſan*. Idem Angloſaxonibus *forcuueſan*. Utrumque a Cambrico *gwas* ſervus, miniſter. Et hinc porro *verweſer* adminiſtrator bonorum.

VIEH, pecunia viva. Lex Salica habet *feisfecho*, Tit. IV, 3. quod interprete Cl. Eccardo idem eſt quod pecora pinguia. Gloſſæ Lipſii habent *fio* pecora, *quiccaſe* animalia. Fr. Junius derivat a πῶϋ grex, & hoc a πάω poſſideo. Stiernhiehnius a Svecico *fäo*, *fäda*, gignere, parere, ita ut *vieh* ſit omnis fœtus ſive partus vivens, quod tamen nimis generale eſt, & fœtum humanum

cum

cum pecuino confundit. Nos miſſa Etymologia, quæ nobis adhuc dubia & incerta videtur, hoc ſaltim obſervare jubemus, nomen pecoris poſt inventam pecuniam paulatim ad omnes poſſeſſiones tranſiiſſe, non ſolum apud Latinos, quos manifeſtum eſt a pecude *peculium* & *pecuniam* denominaſſe, ſed etiam apud populos Celticos ſaltim vetuſtiores, ut mox demonſtrabimus.

VIEH, pecunia mortua, in omnibus veterum Dialectis. In Evangelio Gothico quævis opes & poſſeſſiones vocantur *faihu*, Marc. X, 22. & avari *faihu-frikai* Luc. XVI, 14. quaſi cupidi poſſeſſionum, & divites *faihu-habands* Luc. XVI, 5. & pecunia Judæ proditori a Sacerdotibus promiſſa *faihu*, Marc. XIV, 11. Eadem pecunia interpreti Angloſaxonico vocatur *feoh*, ibid. & divites *the feoh habbath* Luc. XVIII, 24. & pecunia monetariorum *thara mynetera feoh* Joh. II, 15. In Legibus Angloſaxonicis a Clariſſ. Wilkins editis, bona Eccleſiæ vocantur *Godes feoh*, in Gloſſis Lipſii pecunia *fiu*. In Lingua Danica & Islandica (obſervante Fr. Junio) *fæ* & *fie* utrumque retinet ſignificatum, & illum pecoris & hunc pecuniæ, dum poſterior apud Germanos obſoleſcit. Qui Islandorum compoſita deſiderat, adeat Indicem Verelii. Atque hinc jam patet, quid ſit id, quod vulgo *Feudum* vocatur, nempe nihil aliud, quam peculium. Componitur enim, (ut mihi quidem videtur) a *feu* ſubſtantia, poſſeſſio, & terminatione *dum*, quæ poſſeſſioni jurisdictionem adjicit, ut diximus in obſervationibus ad Subfixum *Tum* primæ ſignificationis.

VIEH-HIRTE, bubulcus, olim theſaurarius. Verelius in Indice, *fehirdi* theſaurarius. Ab *hirda* cuſtodire.

UNGEFÆR, fortuitus, fortituto. Scribe *ungevær*, vel *ungewær*. Nam ſcriptura vulgaris vitioſa eſt, ut mox patebit. Kero in Gloſſis, fortuito caſu *unkiuuaro*. Fortuito, id eſt, inopinato, improviſo. Fortuitum enim eſt,

eſt, quod non cavetur, nec exſpectatur. Cujusmodi Anglis dicitur *unwary, unawares, unwarily*, quæ voces cum Gloſſa Keroniana ſono & ſignificatu conveniunt. Origo eſt a *war* cautus, qualis Angloſaxonibus dicitur *wær*, Islandis *var* in Indice Verelii, Anglis *wary*. Cautus autem eſt, non is ſolum qui cavet, ſed etiam qui cavetur. Hinc vulgo dicunt, lege cautum eſt, id eſt, proviſum.

UNGEFÆR, incautus. Angloſaxonibus *unwær*, Francis & Alam. *ungiuuarer*. Gloſſ. Pez. inconſideratus *ungiuuarer*. Gloſſ. Keron. improbus *unkauuarer*. Dubitari poteſt, an recte. Nam Otfridus Virgines ſtolidas, quæ certe non erant improbæ, ſed negligentes tantum, eodem nomine appellat, Lib. IV. cap. VII. *thie ungiuuare uuaren*, quæ erant incautæ. Utpote a ſomno oppreſſæ. Idem Anglis *unwary*. Præfixum *un* ſignificat eum, qui ſic dicitur, minime cautum eſſe, & debitam curam & attentionem non adhibere. Germanis vox periit. Iidem tamen ab obſoleto *ware* cautela, incautum vocant *warlos*, quaſi cautionis expertem, conſentientibus Islandis, quibus *varlaus* idem ſignificat, teſte Verelio in Indice.

UNGEFÆR, circa, circiter. Adverbium temporis, numeri & loci, quod per imitationem ex Franco-Gallico *environ* factum videtur. Nam hic vocis ſenſus in Germanicis idiomatibus nullum habet fontem, nec exemplum. Theſaurus L. Germ. interpretatur ſecure & absque periculo: ſed male, & uſu reclamante.

UNGEHEUR, monſtrum horrendum, ingens. Gloſſ. Pez. monſtra *ungahiure*. Videtur ab exceſſu juſtæ magnitudinis ſic dictum, formatumque ab adjectivo *har* altus, excelſus, mediante præfixo *un*, quod hoc loco vitium & errorem naturæ indicat. Hujus adjectivi veſtigia extant in Lexico Runico, ubi *her* exponitur altus: nec

Digitized by Google

nec non apud Islandos, quibus *har*, *hærre*, *hædſta* eſt altus, altior, altiſſimus, teſte Verelio in Indice.

UNGEHEUR, prægrandis, portentoſus. Adjectivum ab antecedente ſubſtantivo formatum. Gloſſ. Pez. portentoſe *ungehiuro*.

UNGEHEUR, inhoſpitalis. Forte a Belgico *heuren* locare. Solet enim tribui locis inhoſpitis & Lemurum apparitionibus infeſtis, quæ nec habitari, nec locari poſſunt. Hic ſenſus Miſnicis proprius eſt.

VOLCK, populus, multitudo hominum Principem ſuum qua pace qua bello ſequentium. Idem quod *gefolg* comitatus, a *folgen* ſequi, quod ab omnibus veterum Dialectis, excepta Gothica, agnoſcitur. Nam quilibet populus eſt ſectator Principis ſui, & quilibet Princeps populum quaſi nubem poſt ſe trahit. Conveniunt ſono & ſignificatu Gr. ὄχλος, Lat. *volgus* & *vulgus*. Antiquitatem vocis teſtantur Gloſſaria. Gloſſ. Boxhorn. *folch* caterva, *folches* agminis. Gloſſ. Pez. agmine *folche*, aciem *folche*, cohortis *vuolches*. A comitatu & multitudine, quæ Principes ſuos ſequi ſolet, ipſi Principes olim dicebantur *Volker*, *Filker*, ut Tribuni a tribu. Verelius in Indice: *fylki* dux agminis, *fylkir* rex, dux exercitus, *filga* ſequi, comitari.

VORFAREN, majores, proprie præteriti, qui ante nos fuerunt, nunc autem deceſſerunt, a *furifaren* præterire, quod vide apud Keronem in Tranſeat. Eosdem Franci appellabant *foralidon*, a *lidon* diſcedere. Gloſſ. Boxhorn. *foralidon* anteceſſores.

VORFAREN, progenitores, non a *faran* tranſire, ut antecedens, ſed a *faran* generare, cujus nonnulla ſuperſunt veſtigia, præſertim in Lingua Longobardica. Paulus Warnefridus Lib. II. cap. IX. *faras Longobardorum* interpretatur generationes vel lineas. Et lex Longobardica Tit. XIV. videtur per *faram* intelligere cujusvis liberi hominis familiam & progeniem. Francis *fa-*

ra

Digitized by Google

ra aliud denotat nempe expeditionem aut profectionem, a *faran* proficiſci, ut patet ex verbis Otfridi Lib. IV. cap. XVI. ubi Judas proditor dicitur dux *thera armilichun ſara*, miſeræ iſtius expeditionis contra Dominum ſuſceptæ. Iisdem tamen *fuara* generationem ſignificaſſe, vel hinc colligere licet, quia vocem a ſobole ad domicilium & univerſum familiæ comitatum traduxerunt. Otfridus Lib. I. cap. IV.

Fuar er ouh tho ſare
Zi ſinemo gifuare,
Ibat tunc confeſtim
Ad domum & familiam ſuam.

Idem Lib. IV. cap. XVIII.

Thu biſt rehto in uuara
Theſſes mannes fuara.
Tu equidem vere es
De comitatu iſtius viri.

VORMUND, tutor, defenſor pupilli. Olim non ſolum tutoribus pupillorum, ſed omnibus univerſe cauſarum patronis tribuebatur. Gloſſ. Pez. advocati *foramundun*. Prior pars compoſiti defenſionem ſignificat, altera virum, ut vidimus ſupra in voce *Man*. Plane enim aſſentior Doctiſſ. Friſchio, cui *vormund* nil aliud eſt quam *vorman*, id eſt, homo alterius defenſioni præpoſitus. Quamvis enim *mund* plures ſenſus admittat, quatenus Gothis, Francis & Alam. *os*, Angloſaxonibus vero & Latino-Barbaris *tutelam* ſignificat, alieni tamen omnes a præſenti compoſitione videntur. Durum enim eſt, hominem pro alio verba facientem, vocare *os* autem *tutelam* ejus, etiamſi alter tutelæ ejus commiſſus ſit, nec ullum ejus denominationis exemplum extat. Et tametſi *münder* uſu receptum eſſet, non poſſet tamen in præſenti compoſito denotare defenſorem, quoniam tulela in Præfixo *vor* jam eſt comprehenſa. Si quis tamen

tamen malit ſenſum redundantem, quem Græci pleonaſmum vocant, in voce admittere, quam noſtram ſequi interpretationem, per nos licebit. Svevi tutorem pupilli vocant *træger*, quaſi bajulatorem, a *tragen* portare, quia tutela pro onere habetur. Hinc tutela pupilli Scriptoribus medii Ævi vocatur *bajulatio*, & tutela Regis Francorum *mundeburde*, quaſi bajulatio oris, a *beran* ferre, quoniam is, qui in verbo Regis poſitus eſt, ab ore Regis quaſi portatur.

W.

WAGEN, currus. Francis *uuagan*, plur. *uuagana*. Gloſſ. Pez. ferrata carpenta *mit iſarna pelegita uuagana*. Gloſſ. Lipſii, *radiuuagon* currus. Verel. in Indice *vagn*. Procop. *waghen*, Gr. ὄχος, Lat. *vehes*. Quemadmodum Latinis currus a curſu, ſic populis Germanicis *wagen* a motu & agitatione dicitur, quaſi machina mobilis. Nam movere Gothis dicitur *wagjan*, Angloſax. *wagan*, *wægan*, *wegan*, *wagian*, Fr. & Alam. *uuagon*, *uuechan*. Gloſſ. Pez. moti ſunt *uuagoton*. Gloſſ. Keron. promovere *foraeruuechan*. Idem Germanis *wegen*, & compoſite *bewegen*, Gr. ἄγειν, Lat. *agere*, *vehere*. Ab hoc verbo denominationem accipit apud veteres non ſolum motus ipſe, qui Gothis dicitur *wegs* Matth. VIII, 24. *wegs mikils warth in marein*, motus magnus factus eſt in mari: ſed etiam quicquid a cauſis externis violenter movetur, ut fluctus maris a vento agitati, imo mare ipſum. Hinc Lacus Genezareth Tatiano vocatur *wage*, XIX, 4. & fluctus maris Ulfilæ *wegos* Marc. IV. 37. Germanis hodie *wogen*, & compoſite *waſſerwogen*. Unde Gallis remanſit *vague* & Italis *voga*.

WAGEN, urſa major. Francis *uuagan*. Gloſſ. Boxhorn. *uuagan* arcturus. Gloſſ. R. Mauri, arctus,

daz iſt der uuagan in himile. Otfridus Lib. V. cap. XVII. de adſcenſu domini in Cœlum:

Ubar thaz ſibunſtirri
Joh ther uuagono giſtelli,
Tranſcendit ſeptem Plejades
Et plauſtrorum compagines.

In Bibliis Germ. Antiq. habetur *wagenſtern,* Amos V, 8. obſervante R. D. Diecmanno. Idem Sidus Heſiodo vocatur ἄγαννα, quæ vox ex SPHÆRA BARBARICA videtur deſumta. Nulla enim ratio erat, cur homini Græco Sidus illud, quod lentiſſime movetur, præ cæteris aſtris dicatur ἄγαννα ab ἄγειν. Hinc ſuſpicor, vocem ἄγαννα Phrygiam eſſe, Phrygesque Sidus illud ob ſimilitudinem cum plauſtro ſic appellaſſe, eamque appellationem una cum Scientia Siderali vetuſtiſſimis Græcorum tradidiſſe. Nam primus, qui notitiam cœli mortalibus oſtendit, fuit URANUS, teſte Diodoro Lib. III. cap. 56. Hunc autem Phrygem fuiſſe, non Phœnicem, in Diſſert. *De Origine Gentis & Linguæ Germanicæ* demonſtrabimus. De Sphæra Barbarica omnium prima & vetuſtiſſima quædam promiſitPezronius inPræfatione ad Antiquitates Celticas, nec non in Tabula Vocabulorum voce *Sucula,* quæ utinam in lucem prodirent, ſi literis ſunt conſignata, aut nunquam eſſent promiſſa, adeo ſalivam movent.

WALFISCH, cetus, bellua marina. Angloſax. *hwæl,* & venter ceti *hwæles innothe* Matth. XII, 40. Tatiano Franco *wels* & *weles wamba,* LVII, 3. qua voce hodie amia deſignatur, Islandis *hualur* apud Verelium in Indice. Significat proprie piſcem abyſſi, ſicut optime obſervatum Palthenio. Nam abyſſus Angloſaxonibus dicitur *wæl,* & Francis in Gloſſ. Lipſii *wala.* Quæ vox haud dubie Celtica eſt, cum eodem ſenſu reperiatur apud Græcos in βάλαινα & φάλαινα, & Latinos in *ba-*

læna

lana, quod cuivis Græca & Latina conſideranti poteſt eſſe manifeſtum. Nam hoc conceſſo ſenſum habent & venuſtatem, negato vero, nec ſenſum habere poſſunt intelligibilem, nec linguis ſuis accommodari.

WALROSS, hippopotamus, proprie equus abyſſi, quod dorſo, juba, & hinnitu equo ſimilis ſit, referente Plinio. Nam hunc ſignificatum exigit prior pars compoſiti, ut diximus ſupra in *Walfiſch*.

WALSTAT, locus in bello occumbentium, Anglosaxonibus *wælſtow*, *wælſtole*, *wælfeld*, *wælfil*. Hodie dixeris *todten-feld*, campus cladis, ubi cadavera hominum & equorum adhuc inſepulta jacent, qualis erat ille apud ultimos Bructerorum haud procul Teutoburgenſi ſaltu, clade Variana celebris, & Tacito deſcriptus Annal. I, 61. quem hodie vocant *winnefeld*, non a victoria, ſed a certamine, vocabulo modeſtiſſimo, & a majoribus accepto. Differunt autem *walſtat* & *winnefeld* non ſono tantum, ſed etiam ſignificatu. Nam *wal* proprie cadaver ſignificat, obſervante Lindenbrogio in Gloſſario. Hinc Spoliatio tumulati vel tumulandi in LL. Æthelredi vocatur *weilref* vel *wealreaf*, & veſtitus mortuorum in LL. Bojorum Tit. XVIII. cap. 3. art. 1. *walaraupa*. Quæ imperitis videri poſſunt contraria, ſed non ſunt. Nam priſcis eadem vox togam & prædam ſignificat. Certe Anglosaxonibus *reaf* eſt veſtimentum. Matth. VI, 25. & alibi ſpolium, & hinc *bereaſian* ſpoliare Marc. III, 27. Similiter & *raupa* ſive *rauba*, quod non ſolum Boiis, ſed etiam Alamannis in LL. Tit. XLIX. eſt veſtimentum, alibi exponitur ſpolium. Gloſſ. Pez. manubiæ *giroabi*. Hodie Armoricis *rob* præda, Gallis vero *robe* toga. Hiſce conſentiunt quædam Vereliana in Indice: *valur* ſtrages, cæſorum cadavera, *valblyſtr* lituus bellicus, *valruf* hominis occiſi ſpoliatio.

WALSTAT, in hodierno idiomate ſignificare poteſt locum pugnæ delectum. Morem tangit Tacitus

Digitized by Google

Annal. II, 12. *Delectus ab Arminio locus pugnæ.* Sed hic ſignificatus nullum habet apud priſcos exemplum, etiamſi rem vocabulo caruiſſe, haud veroſimile ſit.

WANGEN, genæ. Angloſax. *geweng*, Francis *uuanga*. Gloſſ. Pez. maxilla *uuanga*. Epinic. R. Ludov.

Bluot skein in uuangon
Spilodun der Vrankon.
Sanguis apparuit in genis
Exultantium Francorum.

Verelio in Indice, *vange* gena.

WANGEN, campus paſcuus inter nemora, lætus & viridis, ſed ſepimento cinctus. Hoc ſenſu Gothis paſcuum dicitur *winja* Joh. X, 9. ubi per oſtium ingredi & egredi licet, & paradiſus Angloſaxonibus *wang*, *wong*, obſervante Junio, & campi nemorei *holzuuanga* in Gloſſ. Pezii, & ager ſeptus *vang* in Indice Verelii. Ab ejusmodi campis & paſcuis haud dubie urbes *Wangen* & *Dünkelvingen* nomina ſua acceperunt. Idem fere ſignificatus vocis *anger*. Utramque Stilerus in Theſauro L. Germ. ſilentio præteriit.

WAR, verus. Keroni verum *uuar*, Cambris *anwir* minus verum *cywir* verus, fidelis, rectus. Vox de Latinitate ſuſpecta, cum eo ſenſu neque in Gothico, neque in Saxonico Idiomate reperiatur. Nam verus Gothis dicitur *ſunjei*, Joh. VIII, 14. Veritas *ſunja* Joh. XIV, 6. veridicus ſive verax *ſunjeins* Marc. XII, 14. vere *biſunjai*, Matth. XXVI, 72. & paſſim alibi. Et in iisdem Evangeliorum locis verus Angloſaxonibus *ſoth*, veritas *ſothfæſtnys*, verax *ſothfæſt*, vere *ſothlice*. Imo ne recentiores quidem Dialecti (ſi Belgicam excipias) vocem Francicam agnoſcunt. Nam verus Islandis dicitur *ſannur*, Danis *ſand*, Svecis *ſann*: verax Islandis *ſannſögull*, *ſannordur*, Dan. *ſandſager*, Svec. *ſanfärdig*: veritas Island.

ſann-

ſannleikur. Dan, *ſandhed*, Svec. *ſanning*, & vere Anglis *in ſooth*. Non defuit autem Francis & Alam. vocabulum in patrio ſermone ad verum ſignificandum. Nam verum quid eſt niſi certum? Hoc autem illis dicitur *keuuiſſo*. Et certum quid eſt niſi evidens? Hoc autem illis dicitur *liutpar*.

WARUM, quare, quamobrem. Veteres aliis utebantur vocibus ad hanc interrogationem formandam. Gloſſ. Lipſii *biwie* quare; *umb-waht* quare. Noſtra autem vox ita concepta eſt, ac ſi ſignificaret ubinam, aut circa quem locum? Nam *hwar* Gothis, Francis, Alamannis, & hodie Belgis ac Svecis ſignificat ubi. Idem Angloſaxonibus *hwær*. Hinc ſuſpicor vocem noſtram depravatam eſſe ex *umb-waht*, ordine Syllabarum inverſo, & elemento T. in R. mutato.

WASCHEN, lavare. Vox Alamannis propria, nobisque ab illis relicta. Kero in Gloſſis: lavent *uuasken*, lavare *uuazkan*, diluere *uuaskan*, lota *kauuaskano*. Unde, niſi ab *aſche* aqua, per proſtheſin noſtris in derivando admodum familiarem. Sic ab *al* ſive *el* alienus, peregrinus, quo omnes Antiqui uſi ſunt, noſtris fit *wale*, & compoſite *wæliſch*, *welſch* exoticus, extraneus: ab ὕδωρ *water* aqua: ab οἶνος *wein* vinum: ab *iterum widerum*: ab *idua witwe*. Gothis lavare eſt *thwahan*, Angloſax. *thwean*, *thweban*, Island. *thua*, quæ inter ſe quidem conveniunt, ſed a noſtra voce diſcrepant. Svevi tamen inde habent *zwagen* lavare caput lixivio, & reliqui Germani quoque *zwele* manutergium.

WASSER, aqua. Gothis *wate*, Angloſax. *wæter*, Francis & Alam. *uuazzar*, Belgis *water*, Lat. *udor*, Armor. *dour*, Gallis & Britannis antiquis *dur*, ut patet ex *Batavodurum*, *Durobrivæ*, aliisque nominibus urbium Gallicarum & Britannicarum fluminibus adjacentium. Cuncta ex Phrygio fonte. Nam ab ὕδωρ aqua, quam vocem Græcos a Phrygibus accepiſſe teſtatur Plato in

 Cratylo,

Cratylo, prodiit per proſtheſin *water*, per liquationem *waſſer*, & per aphæreſin *dur*. Soli Latini tenuerunt vocem Phrygiam incorrupte in *udor*, quamvis alterato paulum ſignificatu. Falſi iterum ſunt Grammatici, qui ὕδωρ ab ὕω pluo deducunt, cum ea vox Græcis non ſit domi nata, ſed a Phrygibus tradita, ut aliæ plures, teſte Platone, & fortaſſe innumeræ. Operæ pretium eſt, verba Platonis hic ſiſtere, cum quia ſæpe ad illa provocavimus, tum quia video Pezronium ὕδωρ ab Armorico *dour* deducere. *Scis*, inquit in Cratylo pag. 281. *qua ratione ignis* πῦρ *nominatur? Vide quid de hoc ſuſpicer: REOR MULTA NOMINA GRÆCOS A BARBARIS, eos præſertim qui ſub Barbaris ſunt, ACCEPISSE - - Vide igitur, ne hoc nomen* πῦρ *BARBARICUM ſit: Neque enim facile eſt iſtud Græcæ Linguæ accommodare, conſtatque hoc PHRYGES nominare, parum quid declinantes, ut* ὕδωρ *&* κύνας, *ALIAQUE PERMULTA. Veræ hæc ſunt &c.* Scripſit & Ariſtoteles Librum de *Nominibus Barbaricis*, qui ſi adhuc ſupereſſet (periit autem maximo Reip. Literariæ damno) haud dubie multa vocabulorum ſecreta nobis panderet.

WEIB, mulier, ſive virum paſſa, ſive non. Anglosax. *wif*, Joh. II, 4. Tatiano *uuib* XLV, 2. Gloſſ. Boxh. *uuip*, mulier. Quidam hanc vocem deducunt ab *Eva*, omnium mulierum prima, hoc interim ſuppoſito, nominis ſcilicet inventores de Eva auditum habuiſſe, quod judice Somnero incertum. Alii a Græco οἴφειν coire, quod tamen proprie virorum eſt, non mulierum, obſervante Budæo. Nos exiſtimamus, origines, quæ domi haberi poſſunt, fruſtra ex Græcia aut Paleſtina arceſſiri. Vide ergo annon appellatio a texendi negotio fuerit deſumta. Nam texere Angloſaxonibus dicitur *weoſian*, *wefan*, Francis & Alam. *uuepan*. Gloſſ. Pez. texentes *uuepente*. Cambris *gwe* tela, *gwau*, *gweu* texere, *anwau* retexere.

Digitized by Google

retexere. Quibus conſentiunt Græca ὑφὴ textura, ὑφάω texo. Suggerit hanc Etymologiam EDDA Islandorum, ante quingentos annos conſcripta, Parte II. in mulierum appellationibus: *Kona*, wyff, *aff* weffnandi, id eſt, mulier dicitur wyff a texendo. Favet huic derivationi, quod res textoria antiquiſſimis temporibus videtur fuiſſe proprium & domeſticum opus ſexus muliebris, quod ne principes quidem fœminæ refugiebant, teſte Salomone in Prov. XXXI, 13. & quod Plinius & Tacitus ſupra citati in voce *Leinwat*, videntur fœminis Germanorum texendi negotium, & textilia tingendi tribuere. Verum quia neque natura derivationis,neque genius linguæ permittit, ut textrix ſimpliciter dicatur *wip* vel *wif*, quod potius ipſius telæ nomen eſt: hinc ſuſpicor, eam vocem olim cum alia fuiſſe conjunctam, poſtea vero apocopatam. Poterat autem commodiſſime conjungi cum *man*, voce utrique ſexui communi. Quemadmodum igitur opifex vocatur *werkman*, a *werk* opus, ita mulier videtur ab initio dicta *wipman*, a *wip* tela, vel *wimman* quaſi *wifman*, elemento F. a ſubſequenti M. abſorpto, qua voce utuntur Angloſaxones Marc. X, 6. Angli certe in hodiernum usque diem mulierem vocant *woman*, quæ vox mihi quidem compoſita videtur a *man* homo, & antiquo-Britannico *wau* tela. Eandem originem auſim tribuere Latino *fœmina*. Denique in Gloſſis Pezianis *uueppi* paſſim exponitur tela, & textricum *uueppeo:* manifeſto indicio, *wip* extra ſodalitium cum alia voce, & ſolitarie poſitum, non poſſe denotare mulierem. Itaque nomen mulieris, quatenus a texendi negotio derivatur, absque ulla hæſitatione ad voces apocopatas referendum eſſe cenſeo, quales jam ſæpe obſervavimus. Spectat autem ad ſexum in genere, uti diximus. Hinc Sexus in Gloſſ. Pezianis exponitur *uuipheit*. Quod hodie obſoletum. Gothis mulier & quælibet de ſexu vocatur *quino*, etiam Eva recens

Digitized by Google

condita, Marc. X, 6. quaſi prolifica aut fœturæ apta, a *cennan* generare, quod idiomati Angloſaxonico proprium. Claudianus:

Naſcitur ad fructum mulier prolemque futuram.

WEIB, materfamilias, mulier viro juncta. Otfrido mater Cananæa dicitur *uuib* Lib. III. cap. X. & alibi uxor *quena*, Lib. V. cap. XIX. Utramque vocem cuſtodiunt Angli & Islandi: Germani vero priorem tantum. R. Tyrolis in Parænesi ad filium Stropha XXII. *die Juden jahen ſi wer ein wib*, Judæi dicunt quod ſit mulier virum paſſa. Winsbekia ad Filiam Stropha I. *ein wiblich wib mit zuhten ſprach.* Ubi loquendi formula *ein wiblich wib* meretur notari. Cambri delectantur compoſito *hwswi.*

WEIB, mulier fatidica, & vaticinandi perita. Si derivetur a Græco Φοιβὰς. Tales enim erant, aut certe vulgo habebantur, Germanorum veterum mulieres, neſcio qua ſexus prærogativa futuri magis quam cæteri homines providæ. Nec ulli rei major fides, non ſolum apud plebem, ſed etiam apud proceres, & exteros quoque, quam conſilia & reſponſa harum Sibyllarum. Talis erat AURINIA, omnium quæ nominantur vetuſtiſſima, & numinis inſtar culta. Talis VELLEDA apud Bructeros, imperante Veſpaſiano, GANNA apud Svevos, imperante Domitiano. Vide Tacitum de Moribus Germ. Cap. VIII. & qui Tacitum notis ſuis eruditis illuſtravit Clariſſ. Dithmarum, & ante omnes ſæpe laudatum D. Maſcovium Libro II. Hiſtoriæ Germ. §. 36. Lib. IV. §. 47. Lib. V. §. 3.

WEICHBILD, jus civitatis, proprie (ut mihi quidem videtur) forma Reipubl. conſtitutæ aut conſtituendæ, ſive parvæ ſive magnæ. Prior compoſiti pars nullam habet difficultatem. Quamvis enim minores tantum civitates, quales ſunt vici & caſtelli, Gothis vocantur *weihs*, Angloſaxonibus *wic* Marc. VIII, 23. dum Hiero-

Digitized by Google

Hieroſolyma vocantur *baurg* & *ceaſtre*, Luc. XIX, 41. nihil tamen obſtat, quo minus vocis ſignificatus magnis quoque urbibus urbiumque tractibus communicetur. Altera compoſiti pars ſignificat formam & exemplar. Gloſſ. Keron. formam *bilidi*, exempla *pilidi*. Idem Angloſaxonibus *bilith*. Ipſum compoſitum apud Antiquos non occurrit, quod manifeſtum novitatis indicium eſt. Alii alias adhibent explicationes (ſolent enim voces recentioris ævi ingenia ſæpe magis torquere quam remotiſſimæ antiquitatis) quas libero cujusvis ſcrutinio relinquimus.

WEIDE, paſcuum. Quamvis paſci proprie ſit pecudum, veſci vero hominum apud Latinos, noſtra tamen vox videtur a cibo hominum ad paſtum animalium traducta, & formata (ni fallor) ab Angloſaxonico *bitan* manducare, litera B. in W. (quod ſæpe fit) transeunte. Armoriri tamen & Cambri utramque literam cuſtodiunt. Hinc edere, comedere, manducare Armoricis dicitur *bwytta*, cibus, edulium *bwyd*, & Cambris eſca *abwyd*.

WEIDE, ſalix. Angloſax. *withig*, Francis & Alam. *uuida*. Gloſſ. Pez. ſalix *uuida*. Idem Anglis *withie*, Gr. *ἰτέα*, quia Græci non habent W. Ab uſu, quem arbor officioſa præbet colonis & hortulanis in jungendis & alligandis rebus. Nam quot rami, tot vincula, & inde nomen a verbo obſoleto *withan* copulare, conjungere, quod ſuperat Gothis in imperfecto *gawath* conjunxit. Marc. X, 9. & Francis in *uuatun*. Gloſſ. Pez. conjunxerunt *uuatun*. Hinc ſuſpicor nomen arboris apocopatum eſſe ex vetuſtiori *widapaum*, vel *widatreo*, arbor vinculorum. Nam *wida* ſimpliciter & ſolitarie poſitum, vinculum ſignificat, prætereaque nihil. Gloſſ. Pez. vinculum plauſtri *languuid*. Danis *vidde* copula viminea. Hinc arbor illa viminum ferax Angloſaxonibus non dicitur ſimpliciter *with*, ſed *withig*, quaſi vimina habens.

Cum ſuperioribus conveniunt quædam Cambrica, cujusmodi ſunt, *dyweddi* conjugium, *dyweddio* jugare, conjugare, *gwedd* jugum. Cuncta copulandi ſignificatu, quod noſtris eſt *withan* vel *widan*.

WEIDE, venatio. Gloſſ. Pez. venatione *uueido*. Verelius in Indice: *veida* venari, *veidi* venatio, *veidimadur* venator. Videtur Germanis ſuperare in *weidmeſſer* culter venatorius, niſi forte ab eviſcerando nomen habeat.

WEIDLICH, gnaviter. Angloſaxonibus *hwætlice*, a *hwæt* vel *hwate* acer, alacris, quod Francis & Alamann. effertur *huuaſſo*, Island. *hvatur*. De origine hujus vocis mira proferunt literati, & præter neceſſitatem longe petita, præſertim Arnoldus in Epiſtolis Richterianis pag. 508. ubi vocem a *Wodano* usque repetit.

WEIHE, milvus, ex accipitrum genere, Legi Salicæ *weiano* Tit. VII. ſic dictus, quod ſanctum quid illi ineſſe Majoribus noſtris ab Auguriorum magiſtris eſſet perſuaſum. *Notatum in Milvis*, inquit Plinius, *rapaciſſimam & famelicam ſemper alitem, nihil eſculenti capere unquam ex funerum ferculis, nec Olympiæ ex ara.* Ab hac igitur a ſacrificiis abſtinentia, mira in tam famelica ave naturæ proprietate, nomen accepiſſe videtur ſancti, & quaſi religionis intellectum habentis, a *wihe* ſacer, vocabulo Gothis, Alam. & Francis uſitato. Plane ut quidam accipiter a Græcis vocatur ἱέραξ ab ἱερὸς ſanctus, ſive ex Augurum diſciplina, ſive ex Ægyptiorum inſtituto, quibus accipitres inter animalia ſacra colebantur, ut prodit Diodorus. De cultu avium apud Francos vide Gregorium Turonenſem Lib. II. cap. X. *Weihe* pro ſacro ſuperat Germanis in multis compoſitis, cujusmodi ſunt, *weihenacht* nox ſacra, *weihwaſſer* aqua luſtralis, *weihrauch* ſuffimentum ſacrum.

WELT, ſæculum, ævum. Vox ex vetuſtiori *weralt* vel *werolt* nimia contractione vitiata. Kero in Gloſſis: Sæculum

Sæculum *uuerolt*, ſæculo *uuerolti*, ſæcularibus *uuerultlihchem*. Gloſſæ Boxhorn. *uueralti* ævum. Idem Anglosax. *werold*, & Belgis *werelt*. Isque primus & proprius vocis ſignificatus eſt, non confundendus cum Mundo. Sæculum, quod eſt certus annorum ambitus, aliud eſt civile, aliud naturale. Civile eſt tempus centum annorum: Naturale, ſpatium vitæ humanæ longiſſimum, partu & morte definitum, ſecundum Cenſorinum de die Natali cap. XVII. Atque hinc jam patet, quid proprie ſit *uueralt* ſecundum antiquos, nempe nihil aliud, quam ſæculum naturale, ſive *ætas viri*. Prior compoſiti pars virum, altera ætatem ſignificat. Nam vir Gothis dicitur *wair*. Luc. VIII, 27. Angloſaxonibus *wer*. Luc. I, 27. 34. & paſſim alibi. Idem Germanis *wer* in compoſito *wer-wolf* lycanthropos, homo-lupus, *wer-gelt* pretium hominis. Ætas vero ſive ſenecta Angloſaxonibus vocatur *ylde*, Francis in Gloſſ. Lipſii *eldi*, Islandis *olld*, Germ. *alte*. Ex his duobus exiſtit totum compoſitum *weralti* ſive *werolti*, eo ſignificatu, quo diximus, quod opinor omnibus manifeſtum eſſe. Hodie dixeris *manns-ælte*, vel *menſchen-alter*. Torſit hæc vox multorum ingenia, & inprimis illuſt. Leibnitii & G. Meieri Theologi Bremenſis, ſed nullo veritatis fructu. Vide, ſi juvat, Collectanea Etymologica Leibnitiana pag. 250. ſeq.

WELT, mores ſæculi. Tatianus CLXIX, 3. *ob ir ſon therru uueralti uuarit, thiſu uueralt thas ira uuas minnote, bithiu uuanta ir ſon uueralti ni birut, ob ih ercos jûuuih ſon uueralti, bazzet jûuuih uueralt*, ſi de Sæculo fuiſſetis, ſæculum quod ſuum erat diligeret, quia vero de ſæculo non eſtis, ſed ego elegi vos de ſæculo, propterea odit vos ſæculum. Eundem vocis *ſæculi* ſenſum agnoſcunt quoque Latini. Tacitus de Germ. cap. XIX. *Nemo illic vitia ridet, nec corrumpere & corrumpi SÆCULUM vocatur.* Ex quo loco ſimul patet, rem

& no-

& nomen rei Taciti ævo Germanis nondum fuiſſe cognita, nosque hunc vocis ſenſum non a primis temporibus, ſed a ſequiore & nequiore ætate accepiſſe.

WELT, machina mundi. Otfridus Lib. II. cap. 1.

Er allen uuorolt kreſtin
Joh engilo giſceſtin,
So rumo ouh ſo in ahton
Man ni maggidrahton,
Er ſe joh himel uuurti,
Joh erda ouh ſo herti,
Ouh uuiht in thiu giſuarit,
Thaz ſiu ellu thriu ruarit,
So uuas io uuort uuonanti,
Er allen Zitin uuorolti.

Id eſt:

Ante omnes mundi vires,
Et Angelos creatos,
Et quæ latiſſime proſequendo
Recogitari poſſunt,
Priusquam mare & cœlum factum eſſet,
Et terra quoque horrida,
Aut quicquam in illis introductum,
Quod cieret omne trinum,
Verbum jam erat permanens
Præ omnibus Mundi ſæculis.

Hoc ſenſu *uuorolt* ſæpiſſime dicitur Otfrido in hoc & ſequenti capite: Gothis vero & Angloſaxonibus nunquam. Nam Gothis orbis hic habitabilis vocatur *midjungard*, quaſi locus in univerſo medius Luc. II, 1. & *manaſeths*,

naſeths, quod terra ſit ſedes hominum, ſicut cœlum Deorum aut Angelorum, Joh. XVI, 20. Angloſaxonibus *ymbhwyrſt* quaſi circumferentia orbis, Luc. II, 1. XXI, 26. & *middaneard*, quaſi media habitatio. Joh. I, 9. 10. Imo ipſi Franci obſtinent ſæpe ab hoc ſignificatu, tanquam duro & incongruo. Hinc interpres Tatiani orbem terrarum nunquam vocat *uuerolt*, ſed vel *umbiuuerſt*, ut cap. V, 11. vel *mittiligart*, ut cap. XVI, 1. & paſſim alibi.

WESTERHEMD, velamen luſtrale. De poſteriore compoſiti parte, etiamſi forte habeat difficultatem, haud magnopere laborabimus. Sufficiat meminiſſe, illam commodiſſime derivari ab *hæmma* tegere, verbo Septemtrionalibus uſitato, teſte Stiernhielmio in Gloſſario Ulfila-Gothico voce *Himins*. Et vi hujus originationis *hemd* proprie erit tegmen, prout eſt, ipſius rei teſtimonio. Prior compoſiti pars a multis quidem tentata eſt, ſed ſucceſſu parum proſpero, adeo ut ſubductis omnibus rationibus in priſtina obſcuritate relicta potius, quam explicata videri poſſit. Quemadmodum autem Philoſophi, & inprimis Geometræ, non ſolent omnia ſubito docere, ſed quædam poſtulare, ut ſibi concedantur, quo facilius, quæ velint, efficiant: ita mihi quoque neceſſarium eſſe video, quædam ex R. Mauro & Verelio præmittere, & conjecturæ quaſi ſubſternere. R. Maurus in Gloſſis a R. D. Diecmanno editis: Neophitus *uueſtparn*. Verelius in Indice vocum Septemtrionalium: *væſter* madidus. Hæc Gloſſa adjective poſita eſt, & ſupponit ſubſtantivum *væſt*, quod in priori Gloſſa continetur, & vix alium quam aquæ ſignificatum habere poteſt. Quid autem ſit *parn*, nemo ignorare poteſt, qui Literaturam Antiquo-Germanicam vel in limine tantum ſalutavit. Nam *parn* ſignificat filium in omnibus veterum Dialectis. Kero in Gloſſis: filios *parn*, ſuper filios hominum *ubar parn manno*. Idem Gothis *barn*, Anglo-

Digitized by Google

Angloſaxonibus *bearn*, Island. *barn*. A *bæran* gignere, ut Stiernhielmio videtur. Hoc ſuppoſito *uueſtparn* ſignificabit filium, vel filiam ſacri fontis, ſive aquæ. Eundem ſenſum ſubminiſtrat vox Græca. Græcis enim *νεόφυτος* eſt recens natus, nuper genitus. Tales autem cenſentur recens baptizati, nempe regeniti. Et hoc nomine afficiebantur non ſolum baptizati, ſed etiam baptizandi, quotquot in tempore Baptiſmi (tria autem erant antiquitus Baptiſmi tempora, Feſtum nativitatis Chriſti, quo die baptizatus eſt Chlodoveus, Paſchatis, & Pentecoſtes) albis veſtibus comparebant, ſacrum fontem petituri, ſive pueri eſſent ſive ſenes. Videntur autem priſci duas habuiſſe voces Neophytis denominandis, unam compoſitam, nempe *uueſtbarn*, alteram ſimplicem, nempe *uueſter*, vel apocopatam ex priori, vel derivatam, vel ſenſu Vereliano adhibitam. Et hoc conceſſo panditur nobis via ad vocem *weſterhemd* intelligendam, quæ ſane ſecundum præmiſſa vix aliud ſignificare poteſt, quam *velamen Neophiti*, ſive ſacro fonte jam initiatus ſit, ſive mox initiandus. Nam cingendus habetur pro cincto, tingendus pro tincto. Cæterum *weſter* videtur eſſe nomen antiquiſſimum, & denotaſſe olim non ſolum madidum, ſed etiam aquaticum. Nam hoc ſenſu probabiliter occurrit in nomine Regis Alamannici VESTRALPUS apud Marcellinum Lib. XVI. cap. XII. Quod ut efficiam, obſervare jubeo, majores noſtros ante Chriſtiana tempora omnibus locis quosdam Genios præfeciſſe, ut demonſtravimus ſupra in voce *Alp*. Nam hinc commodam capit interpretationem nomen Regis *Weſteralp*, quod vi utriusque vocis ſignificare poſeſt Genium aquaticum, plane ut Angloſaxonibus *Wæter-ælf*. Pulchrum autem videtur imperantium nomina a Geniorum nominibus repetere, quod ſicut Genii locis & fluminibus, ita illi populis regionum ſint præfecti. Inde eſt, quod GENIUS ſæpe occurrit in nummis Imperato-

rum

Digitized by Google

rum adulandi cauſa. Inprimis vero Magnates Borealium delectabantur nomine ALF, teſte Olao Wormio in Monumentis Danicis pag. 194. ubi ſimul quædam loca ex Saxone Grammatico de Alfis claris in Septemtrione ſiſtit. Ipſius vero nominis nullam eſſe rationem aut ſignificationem exiſtimat. Qua in re videtur mihi falli Vir doctiſſimus. Nihil enim certius, quam omnia nomina propria ab initio fuiſſe appellativa, nullumque eorum reperiri, quod ſignificationis prorſus expers ſit.

WILD, ferus, indomitus, ſilveſtris, incultus. Anglosaxonibus *wild*, *wyld* ferus, & inde *wild-deor* fera, apud Benſon. in Additam. Francis *uuilder* agreſtis in Gloſſis Boxhornianis. Cambris *gwyllt* idem per omnes ſignificatus. Cuncta a ſubſt. *wald*, quod ubi tranſit in adjectivum, pronunciatur *wild*. Reapſe vero idem nomen eſt, quod ſubſtantive ſilvam, adjective ſilveſtrem denotat. Et horum vocabulorum, quæ utroque pollent ſignificatu, in omnibus Dialectis tam recentibus quam antiquis, occurſus haud infrequens eſt.

WILDPRÆT, ferina, ſive præda ſive caro. Utrumque enim ſignificare poteſt. Prius, ſi *præt* idem ſit quod Cambris *praidd* præda. Eſt quippe aliquod inter homines & feras bellum, unde feræ ipſæ venantibus recte vocantur præda ſilveſtris. Latini certe feras ſive captas ſive capiendas ſæpe abſolute vocant *prædam*, nomine, ut videtur, a Celtis accepto. Virgilius Æn. I, 214.

Illi ſe PRÆDÆ accingunt, dapibusque futuris
Tergora deripiunt coſtis, & viſcera nudant,
Pars in fruſta ſecant, veribusque trementia figunt.

Plinius Hiſt. Nat. XIII, 4. *Venatibus indulgent, nec tamen plebejas agunt PRÆDAS.* Poſterius, ſi *præt* idem ſit, quod Francis & Alamannis *prod* caro. Gloſſ.

Pez.

Pez. carnem *prodi.* Hodie *prat* de carne conciſa animalium domeſticorum dicitur Auguſtæ Vind. Memmingæ, & ubique in Algovia.

WISSEN, cernere, oculis uſurpare. Gothis *witan* Matth. IX, 4. Conveniunt ſono & ſignificatu Gr. εἴδω, Lat. *video*, Sclavon. *wedeti*, *wideti*, *woditi*, *weſti*, cuncta cernendi ſignificatu, teſte Clariſſ. Friſchio in Additamentis ad Bödikerum pag. 269. Præmittendus erat hic ſignificatus, quamvis Germanis dudum deſuetus, propter ea, quæ ſequuntur.

WISSEN, ſcire. Gothis & Angloſaxonibus *witan* Keroni *uuizzan.* Idem Gr. εἴδω, Sclav. *wedeti* & reliqua. Senſus ab oculis corporeis ad oculum mentis traductus, quoniam ea, quæ ſcimus aut mente intelligimus, videmur quaſi coram intueri, non Germanis ſolum, ſed omnibus fere populis idem judicantibus. Habet enim Mens quoque oculum rebus diſcernendis, ſicut habet manum comprehendendis, & guſtum dijudicandis, unde ſapientiæ nomen a guſtu, comprehenſioni a manu, & contemplationi a viſu nomen inventum eſt. Et quemadmodum oculus alia quidem clare, alia diſtincte, alia confuſe & obſcure tantum videt: ita etiam Mens. Lucretius Lib. IV. verſ. 760. de mente:

- - - videt æque,
Nec minus atque oculi, niſi quod mage tenuia cernit.

Et hinc Latini eum, quem non facile aliquid fugit, recte vocant oculatum. Scire igitur eſt videre, & ſcientia eſt earum rerum, quas cernimus, reliqua ſunt ignorantiæ. Optime Ovidius de Pythagora Lib. XV. Metamorph. verſ. 63.

Mente Deos adiit, & quæ natura negabat
Viſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit.

WISSEN,

WISSEN, obſervare, revereri. Gothis *witan*. Senſus ab oculo mentis ad oculum animi traductus, quoniam ſolemus eos, quos ob ſingularem virtutem aut honorem virtutibus partum reveremur, quaſi contemplantes adſpicere. Hinc obſervantia Lat. dicitur *reſpectus*, Gallis *egard*, Germ. *anſehen*, ab intuitu animi reverentis & æſtimantis. Hunc ſignificatum uſus a conſuetudine abduxit. Operæ tamen pretium erat, hos gradus oſtendere, ut Sapientiam quæ in veteri Lingua eſt, contemtores perſpicerent: ipſi interim contemtu digni, dum neque vetera ſciunt, neque nova.

WITWE, vidua. Gothis *widuwo*, Angloſax. *wudewe*, in Evangelio utriusque gentis Luc. II, 37. Tatiano *uuituua* VII. 9. Cambris *guith* divortium, *gweddw*, viduus. Cuncta a verbo Hetruſco *iduare*, dividere, ſeparare. Macrobius Saturnal. Lib. I. cap. 15. *Iduare Etruſca Lingua dividere eſt. Inde vidua quaſi valde idua, id eſt, valde diviſa.* Gr. ἰδιάζω eſt ſeorſim & privatim dego, nonnulla cum verbo Hetruſco ſignificatus cognatione. Unde dubium non eſt, utrumque verbum (addo & latinum *videre* pro ſeparare) a communi fonte profluxiſſe, nempe ab ἰδία, quod Græcis privatim, ſeorſim, & diviſim ſignificat. Ipſum vero ἰδία origine Celticum videtur, & a particula ſegregandi *ut* (quam vide in Præfixo AUS) ortum, qua ſæpe divortium rerum a rebus, & perſonarum a perſonis denotatur, quod inprimis patet ex derivato *itis*, vel *idis* mulier ſolitaria & a conſortio utriusque ſexus ſeparata, quales olim erant fœminæ Eſſæorum, & hodie ſunt Virgines moniales. Tribuit hanc vocem vetuſtas præprimis Eliſabethæ matri Johannis, Annæ Prophetiſſæ, & B. Virgini Mariæ, aliisque Matronis, virginibus, & puellis, obſervante Hickeſio ex Scriptis Angloſaxonicis. Idem obſervare licet ex Scriptis Francorum, & præcipue Otfridi Lib. I. cap. V. ubi adventum Angeli de cœlo ad ſalutandam Mariam

graphice deſcribit his rhythmis, quos caſtigatiſſime exhibet Clariſſ. Scherzius in Theſauro Schilteriano:

Floug er ſunnun pad
Sterrono ſtraza,
Uuega uuolkono
Zi theru ITIS frono,
Zi ediles frouuon
Selbun ſancta Marion.

Volitabat per Solis meatus,
Stellarum vias,
Itinera nubium,
Ad Solitariam illuſtrem,
Ad nobilem fœminam,
Ipſam ſanctam Mariam.

Priſci ab *itis* mulier, formarunt adjectivum *itislih* matronalis, quod extat in Gloſſis R. P. Pezii. Quemadmodum autem W. facile tranſit in B. ita nomen viduæ a quibusdam cœpit ſcribi *witbe*, & mox ab aliis inverſo literarum ordine *witib*, utrumque vitioſe.

WOLF, lupus. Gothis *wulfs*, Angloſax. *wulf*, in Evangelio utriusque gentis Joh. X, 12. Tatiano *uuolu* XLIV, 11. *ih ſentu iuuih ſama ſo ſcaf in mitte uuolva*, mitto vos ſicut oves in medio luporum. Idem Islandis *ulf* per aphæreſin. Qui Codicem Argenteum, a Fr. Junio publicatum perlegit, facile adſentietur Stiernhielmio, nomen rapaciſſimæ beſtiæ a verbo Gothico *wilwan* rapere, quod in eodem Codice Joh. X, 12. de lupo dicitur, deducenti. Junius vocem Latinam derivat a Græca λύκος, ſed partu nimis difficili, cum e contrario *lupus* ex *wulf* nullo negotio fiat per metatheſin. Ejusdem verbi *wilwan* progenies eſt *vulpes*, quæ non aliunde rectius & concinnius quam a rapacitate deducitur. Vivunt enim rapto hæc animalia ſicut prædones, lupus inſidiando ſta-

bulis

Digitized by Google

bulis, vulpecula gallinariis. Neque eſt, cur ſpecierum confuſionem inde pertimeſcamus, ſi idem nomen diverſis animalibus tribuatur. Nihil enim hac confuſione frequentius apud veteres, ut diximus in *Bar* & *Thier*.

Z.

ZAUBEREN, artes infernales exercere, quales ſunt Dæmonum evocationes, colloquia cum Spiritibus aut defunctis, commercia cum Nymphis, incantationes, faſcinationes, præſtigiæ, veneficia, aliaque maleficia & portenta, *zauberer* talis artifex, *zauberei* talis ars ſive Magia Diabolica. Gloſſ. Pez. faſcinavit *pizouprota*, ariolatus eſt *zouprota*, divinis *zouprarun*, ariolus *zouprari*. Gloſſ. Lipſ. *touferes* venefici. Verelius in Indice: *tofur* magia, *tofra, nornir* numina magorum. Ill. Leibnitius in not. ad Archæologum Mylii voce *zouber* deducit a *toven* vel *toben* furere, quod incantatores furioſorum in modum agant, ut nunc quoque faciunt *Jonglatores* quos vocant in America Septemtrionali. Peiskerus a ζοφερὸς ater, niger, tenebroſus, quod malefici lucem fugiant, & plerumque in locis obſcuris ſemperque in intempeſtæ noctis tenebris conventus ſuos agant. Gallis totum inſtitutum vocatur *Diablerie*, ab auctore Diabolo. Hunc Scriptores Eccleſiaſtici ſæpe vocant *zabulum*. Lactantius de mortibus perſecutorum cap. XVI. *Novem præliis zabulum cum ſatellitibus ſuis debellaſti*. Plura teſtimonia, qui deſiderat, apud Cangium in Gloſſario inveniet. Sic autem vocabant Diabolum, quod Dorice ζαβάλλειν idem eſſet quod διαβάλλειν. Hanc vocem Diabolo propriam apud noſtros quoque reperire licet. Goldaſtus in not. ad Script. Parænet. pag. 454. *Runzabel* pythoniſſa, *Zabel* diabolus. Vide ergo annon turba illa vocabulorum ab infernali numine *zabulo*, quod a nefariæ artis magi-

Digitized by Google

ſtris creditur adorari, potuerit eſſe deſumta, quamvis litera L. contumaciter repugnante? Nam hæc litera ſæpe mutatur in R. & vice verſa. Sic ex *kilch* eccleſia, factum eſt *kirch*, ex *brocks-berg* melibocus, *bloksberg*. Ante Chriſtiana tempora, cum nomen *zabuli* Germanis auribus nondum eſſet auditum, aliis utebantur vocabulis. Hinc incantare Angloſaxonibus dicitur *runen*, quaſi muſſitare verba ſecreta, incantatio *runſtab*, quaſi characteres ſecreti, quod tunc incantamenta ſolis literis Runicis peragebantur, quæ res poſtea excidio harum literarum inter Germanos occaſionem præbuit, ut alibi diximus. Et hinc quoque lucem accipit cæteriſque vocabulis ſubminiſtrat, nomen a Goldaſto adductum *runzabel* pythoniſſa, quod ex veteri & novo dicendi genere compoſitum eſt.

ZUCKER, ſaccharum. Originem refert non ad adjectivum Germanicum *ſüſs* dulcis, ut quidam opinatur, ſed ad vocabulum Indicum *ſacar*, quo dulcis ille ſuccus, quem arundo *Mambu* foras protrudit, quique vi Solis inſtar pumicis albi dureſcit, ab Indis denominatur. Et hoc nomen poſtea ad ſuccum illum calaminum, qui arte humana e cannis ſacchariferis exprimitur, coquitur, & coagulatur, ob ſimilitudinem naturæ translatum eſt. Germanis enim nullum naſcitur ſaccharum. Et hinc Germanos earum rerum, quibus ipſi ab initio caruerunt, appellationes ab exteris cum ipſis rebus accepiſſe, prorſus credibile eſt, & ab Hiſtoria novi Orbis ſatis teſtatum. Salmaſius Exercit. Plinian. pag. 1313. *Indi Saccharum in genere appellant SACAR.* Carolus Cluſius Hiſt. Arom. Lib. I. cap. 12. *Vocantur autem ab Indigenis SACAR MAMBU, quaſi dicas SACCHARUM MAMBU, quoniam Indi arundines ſive ramos arboris illud proferentes MAMBU vocant.* Gulielm. Piſo in Mantiſſa Aromatica cap. 10. *Diſſolvendus nodus circa nomen, quod ipſi Indi SACAR linguæ verna-*

Digitized by Google

vernacula indigitant, idque non reſpectu alicujus dulcedinis, ſed quod a multis ſeculis apud Indigenas humor hic in nodis antiquarum cannarum (ipſius Mambu) *concretus nomen SACAR obtinuit: poſtea autem, cum liquor vel mel cannæ ſacchariferæ hodiernæ vi expreſſus, & igne coctus, in ſubſtantiam duram, ſiccam & albam migraverit, videtur ad imitationem externæ figuræ & nominis SACAR, nunc nomen ſacchari impoſitum eſſe.* Ab hoc igitur vocabulo Indico & perantiquo promanavit haud dubie Arabum *zuchar*, Græcorum σάϱχαϱ, Latinorum *Saccharum*, Belgarum *ſuycker*, Anglorum *ſugar*, Suecorum *ſoker*, Gallorum *ſucre*, Germanorum *zucker*. Et quamvis non idem ſit ſaccharum vetus & novum, aut ſaccharum Mambu & noſtrum, in multis tamen conveniunt, ſi originem, dulcedinem, candorem, & duritiem ſpectes, quod ad communem appellationem ſufficit. Quid enim ſaccharum noſtrum aliud eſt, quam ſuccus arundinis, dulcis & candidus, & in ſubſtantiam duram concretus? Vide quæ de Sacchari hodierni origine & conficiendi modo literis prodiderunt præter alios Nardus Anton. Recchus in Theſauro Rerum medicarum novæ Hiſpaniæ Lib. IV. cap. 14. & Piſo ſupra laudatus in Hiſtoria naturali & medica utriusque Indiæ Lib. IV. cap. I.

ZUNDER, fomes, pharetra ignis. Angloſaxonibus *tynder*, Alamannis & Francis *zuntrun*. Gloſſ. Boxhorn. fomes *zuntrun*. Gloſſ. Keron. fomitem *zuntrun*. Lexico Run. *tundur*, Anglis *tinder*, Belg. *tintel*. Nomen habet a qualitate, quod facile concipiat ignem, conceptumque aliis rebus communicet. Nam facere, ut res aliqua exardeſcat, Gothis dicitur *tandjan*, Angloſaxon. *tendan*, Francis & Alam. *zentan*, Cambris *cynne, cynneu*, Verelio in Indice *tenda*, *tenda upp*, Germanis olim *zünden*, nunc compoſite *anzünden*. Quibus omnibus reſpondet ſono & ſignificatu Latinum

Digitized by Google

accendere. Cuncta a communi origine, nempe ab elemento ignis, quod Celtis olim omnibus dicebatur *Tan*, hodie ſolis Armoricis, quos lingua Celtica uti, jam ſæpe diximus. Cambri agnoſcunt compoſita *tanbaidd* ignitus, *tanllwyth* incendium, Germani *tannebaum* pinus, tæda, quæ procul dubio ſic dicta eſt, quod facile ignem concipiat, quaſi *feur-baum* arbor ignis, per apocopen *tanne*. Angloſaxonibus *tan* ſortem ſignificat, & ſortilegus *tanhlyta, tanhlytere*, ab uſu (ut videtur) ignis in ſortibus. Eſt enim quoddam ſortilegium quod Pyromantia vocatur. Germanos ignem coluiſſe Cæſar memoriæ prodidit Lib. VI. de Bello Gall. cap. XXI. Colebant autem ignem primo quidem privatim, in ædibus quisque ſuis, quod ope ejus aperte juvarentur, & hi ſunt illi *Penates Germanorum*, quos Tacitus obiter tangit cap. XV. XXV. & XXXII. Deinde etiam publice. Cujus rei teſtem habemus haud obſcurum celeberrimum Templum apud Marſos, a Germanico deſtructum, & Tacito memoratum Annal. Lib. I, 51. quod TANFANÆ vocabant, hoc eſt, *ignis Domini* (nam *fan* Gothis Dominum ſignificat) a communi opinor ſacrificantium formula, quam Maximus Tyrius ſcriptis conſignavit: *πῦρ δέσποτα ἔσθιε, accipe IGNIS DOMINE.* Diſſertat. XXXVIII.

INDEX

B... Staats... Mün...

Digitized by Google

INDEX VERBORUM.

Numerus Romanus *paragraphum Præfationis*, Arabicus *paginam Gloſſarii* indicat.

ÆGYPTIA.

ALmenachica 47
Abar, baris 94. 25
manoſch 38. 238
muth V
theut III

ALAMANNICA v. FRANCICA. ANGLICA.

Adeling 28
afraid 309
bacon 88
banner 92
barely 11
bearing 149
briht 77
to call 241
chippe 107
culver 298
to dare 65
to earne 81
ere 20
fot XVII
to get 310
a halt, to halt 173
harneſs 176
hawk 169
high V
to hoard 191
a hoarder 191
hog XVII. XXII
horſe 270
to hunt 192
hunter 191
late 219
to leave 126
like, to like 164
liſten 210
loe, look 221
to loſe 311
maid, maiden XVII
man 227
to mean 236
meat 293
orchard 148
out 8. 123
plower, plowman 19
preoſt 252
quen 328
quick 255
quoth 255
rather 258
to riſe 266

 rope

rope 263
ſcorn 282
sherif 283
ſole 101
ſparrow 32. 294
ſteer 296
ſundry, aſunder 289
tinder 341
to twit 316
unawares, unwary, unwarily 314
underſtænding 314
usk 84
wary. 318
withie 329
wodens-day 143. 261
woman 227. 327
to write 295

ANGLO-SAXONICA.

Aberian 95
ac 121
acwern 121
æ 120. 118
æſen 65
æ|c. 193
ælf 74
ær 20. 50. 51
æryſte 40
æſc 84
æthel 15. 119
ætheling 28
æx 87
after 73
afæran 150. 309
agan 26
aldor 253
aldormen 229
and 5. 16
anda, andian 77
andſacan 68
andwlite 80
andwyrd 81
anlyf 125
anſyne 80
appa 71
ar 176
arædan 259
ariſan 266
aſſen 132
aweg 56
aweged 162
axa 84
bac, bæcc 88
bar 93
bara 94
bat, batt 96
bæran XVII. 10. 89
bære 94
bærlice 11
bæth 88
bearn 89. 334
beatan, beoton XII. 96
bend XVII
beorg, beorgan 99
beorth 77
beran 10. 89
bereaſian 323
berian 95
betere XVII. 286
bilith 329
bitan 329
blotan 245
boc-hord 190
brenning 138
brother XVII. 41
bryd 104
brydguma 105
bryne 138
bucca 103
butere 106
byan 102
bygan, bugan 103
byrgan 99
byrnan 100. 138
camb 195
caru 197
ceaf XVII
ceaſtre 329
cempan 196
cennen XXXII. 13. 200. 242
cenned XXXII. 13. 61. 200
cildhama 179
cind 247
cloſen 202
cneoht, cniht 203
cu 206
cuce 255
culfran 298
cund 23
cunnan 311
cuth 311
cwearn 121
cwethan 255
cwic 255
cwiſton 313
cwithe, cwitheleas 256
cyſeſe 198
cylda-hirde 189
cync-helm 185
cynne XXXII. 24. 200. 205

cyric,

cynig, cyning, cyng 28. 204.
cyric, circ 200
dema, deman, demere 308
dolg 202
dom, dome, dom boc 41. 308
domere 308
domſetl 308
dry, drymen 254
duſian 298
dugan 298
duguth 306
dun-ælf 74. 116
dun-ſetar 116
dymme 110
dyrran 65
dyrſtig 118
eac 210
ead 111
eadig 26
eadmod 111
eardian, eardigan 130
earm 83
earn 81
eaſt XXXIX. 249
eaſter 249
ecg, ecge 15. 87. 120. 193
edwit, edwitan 316
ehtan 36. 68
ehtere 68
ehtnyſſe 68
ellen 34
ellen- wodneſſe 34
el-theodig XXXII. 124
el-theodiſc 124
el-theodiſce men 300
end, ende 127
endian 127
eoldormen 229
eorthcund 23
eorthe 51. 129
ermth 53
ethel 119
fadian 105
fæder VI
fær 309
færan 150. 309
færh 104. 133
fæſtnian XVII
fearras 134
fell 137
feoh 156. 317
feond 13
feorh 142
feower 57
feowurtig 57
fir 138
firſt 145
flæx 34
fœm 134
folc-frea 140
folgian 319
for 50
fordeman 308
foreweſan 316
forgytan 310
forleaſan 311
frea 140
freah, freoh 142
freo XIX
freond 13. 143
frig XIX
frige 143
frige-dæg 143
full 34
fullneſſe 34
fynd 13
fyſt 96. 135
gale, galian 241
gaſt 153
gat, gæt 153
gearnian 81
gebære 149
gecorennyſſe 108
gefera 160. 167
gegearcung-tæg 108
geldan 155
geleaſan, gelyſan 163
gelic 32. 164
gemæcca 156. 222
gerad 158. 259
gereda 158
geredian 158. 259
gerefa 165
gerynu 151. 260
geſælig 286
geſamnunge 48
geſceaft 38
geſibſum 37
geſith 160. 167
geſt 148
getan 310
getheode 111
getheon 150
geweng 324
gildan 155. 162
glære 100
glæs 100
glitinian 101
god XVII
godes feoh 317
gold - hord, gold-hordian 190
gripan XVII
guma 105
gyf 154
gyt 154
gytan 310
gytſere gytſung 154

 gyt-

gytſian 153. 154
habban, hæbban 22. 169. 175
hæfd 177
hæft 23
hælend 6
hærg 201
haldan, healdan, heoldan 172
ham, hama 179. ſeq.
hamora 180
hamſithian 183
hana 174
hand, hond 175
heaſian 40. 177
heah V.
healf 171
healte 173
hearge 201
hearra 185
helm 185
helpan, hylpan. 184
helpe, hylf 184
heofod 177
heord 191
heretoga 186
herig, herg 311
hiwe 29. 187
hiwiſc 29
hlud 30
hlyſt, hlyſtan 210
hord, hordere 190
hors 269
hrathe 258
hryſan 102. 267
hund 191
hund 299
hunta, huntian 191
hus 178
husl, huslian, huſel-gang XXXII. 245
hwæl 322
hwæt, hwate 330
hwætlice 330
hwar, hwær 55. 325
hyran 151
hyrde, hyrdan 190. 191
idel 123
inna, innan 34. 121
innothas 34. 121
ioc XVII
iren 176
læſſa 219
læt 219
læwan 62
laf 126
laga 246
land-ælf 74
landſcype 38
Langſum 37
leccan 215
leg 102
leorning-cniht 194. 203
lic 31. 164. 210. ſeq.
lican, gelican 164
liccan, liccian 210
lichama 211
lif-frea 140
linwæda 214
locan 220
lytel 15
mædan-man XVII. 227
mæl 224
mæte XXXII. 293
magan 40. 228
magas 126. 221
mala 227
man XXXII. 235
man, mann 227
man-ath, man-æth 235
manian 240
manlica 32. 231
meder VI
meldian 237
mele 224
menniſc 37. 237.
mere XIV
middaneard 333
middangeard 147
miht 40
mod, mode 157
modor VI
mon, monn 227
mona 239
monath 7
næfre 33
nan 199
nawiht. 25
nihtegale 241
niman 312
niun XVII
not. niotan. nyttian 248
of 3
ofen 244
olivetes-dune 116
on 4
onhlinian 79
onweg 56
orceard, orcyrd 148
ord 51. 129. 245
orleg 246
ortgeard 148
penig, pening 128
preoſt 252
prutian 104
pryde 104
race 262
raedels 258
rap 263
reaf 263. 323
reccan 262. 264

rede-

redelaes 262
redlic 262
reſte-dæg 273
rice. rica 264
ricedome 41. 264
ricſian 264
rim-cræft 266
riſan 62. 266. 268.
ruh, rug 269
run, rune 260
runcræftig 260
runen 340
runian 260
runſtab 340
ryſan 40
ſac, ſaca 68
ſæl. 286
ſælig 286
ſælth 271
ſæter-dæg 273
ſæternes-dæg 373
ſame 272
ſamnian 272
ſcame, ſceamu 279
ſcamleas 279
ſceal 277
ſcealc 29. 277
ſceamath me 279
ſcearan 282
ſceppend 6
ſcin 281
ſcinan 281
ſcippan 38
ſel 286
ſeld 12. 171
ſeloſt 286
ſeoc. ſeocneſſe 34
ſeofunſithon 21
ſetl 31. 122. 274
ſibſum 37
ſigan 267
ſith 160. 167. 183.
ſithon 20
ſoth ſothfæſt 324
ſothlice 324
ſpæcan 292
ſpana 68
ſpeara, ſpearva 32
294
ſpræce, ſpræcan 225
ſtæf. ſtæfen. ſtæf-
cræft 294
ſtandan 313
ſteor. ſteorra. ſteo-
ran 296
ſteorfan XVII
ſtrang 297
ſtyran 296
ſunder 289
ſunne 289
ſylian 101
ſyndrian, aſyndri-
an 290
ſyndrig. 289
tam-bar 93
tan 342
tanhlyta, tanhlyte-
re 342
tellan, tællan 262
tendan 341
teon 57
thean, theon 150
thearf. thearfan 117
thegen 110
then. thenian 110. 112
theod 111. 303
theoda-folc 300
theof 111
theofde 13. 112
theow XXXII. 24. 11
thurſt, thyrſt 117
thuſend 299
thwean, thwehan
325
thyrnenne helm 185
trew, treow, tryw
XXXII. 93
twa XVII
tynder 341
tywes-dæg 113
ulph 184
umbe 44
un 16
under 48
unnan 59. 165
up 7. 177.
ut 8. 123
wadan 88
wæl 322
wælfeld, wælfil,
wælſtole, wæl-
ſtow 323
wær 318
wære 161
wæter 325
wæter-alf 74
wagian 162 321
wan, wana 53
wang, wong 324
weal-reaf 323
weſan, weoſian 326
welig 265
weofod 74
wer XII. 19. 92. 97.
331
wered, werod
XXXII. 34
werold 331
weſan 316
wic 328
wif 326
wig. wiga. wig-
cræft 206
wiht 25
wild, wyld 335
wild-deor 335

wilde-

wilde-bar 93. 118
wimman 327
winnan 308
witan 336
withig 329
wlitan 80
wodnes-dæg 143
writan 295
wudewe 337
wulf 338
wunian XXXVII
yfel 104
ylde 126. 331
ylp 183. ſeq.
ymbhwyrſt 333
yrmth 58

A R M E N I C A.

ἀιῤ XII
δζυῤ XXI
χῦζ XXII

AREMORICA. v. CAMBRICA.

B E L G I C A.

aben, avən., 65. 118
achter 75
adelaer 70
afzonderen 290
arend 81
aſch, eſch 84
avergheloove 67
baerd 249
beduyden 111
beter XVII
bros 105
deud 306
deughen, doghen 299
deur XVII
duyn 116
eer 20
elk 193
fray 143
geborgen 99
god XVII
hart 189
heuren 319
heymen, heymelen 181
hoog V
hwar 325
jock XVII
kappen 107
kebſen, keveſen 198
laet 219
landſchap 38
luyſteren 210
mael 224
maen XVII
meenen 236
ode 243
ont 16
oodmoed 111
op 7. 35.
orlog 246
overgheloove 67
piken 292
quic-vee 255
quik-ſtaert 88
redelyk dier 262
reep 269
reiſen 21
ſchipman, ſchipper 19
ſes XVII
ſpieden 290
ſterre 296
ſtier 296
ſuycker 341
tand XVII
tintel 341
tonder XVII. 114
verlieſen 311
vernuft 312
verſtandt 314
verwyt, verwyten 316
volgen 319
vrouw 141
uyt 8. 123
water 325
werelt 331
wœns-dag 143. 261

B O J O A R I C A.

Anethapich 169. 128
gans-hapich 169
marach 231
walaraupa 323

BRI-

Digitized by Google

INDEX VERBORUM

BRITANNICA ANTIQ. v. CELTICA ANTIQUA. BURGUNDICA.

Battalia 97
caupulus XLIII
exarta XLIII
hendinus XLIII. 205. 253
finiſtus 253
veltraus XLIII
wittemon XLIII

CAMBRICA & ARMORICA.

Aball XLV
aber 65
aberth 244
abwyd 329
aches XXXII
afal 81
alb, alp 74
all XXXII. 124. 300
attlud XXXII. 124. 300
allwlad 124
am 76. 179. 188
angen 78
anhuddo 178
antur 65
anwau 326. ſeq.
anwir 324
ap 71
ar 17. 50
arallu 124
aren XXXII
armm 83
aſen 132
baccwn 88
baeddu XII. 97
bait 88
banniar 92
bard 94
barf, barv XVII. 96
berth XXXII. 77
berwy XXXII
bicq 103
biere 94
bouch 103
braich, brech 83
bro 41
bru 41
bu 105. 168
bu-al 105
bugad. bugail. bugeilffon 206
buwch 206
bwch 103
bwyd. bwytta 329
cabon 107
cader 149
camp, campu 195
campa 196
can 35. 145
caws 196
cenedl, cenedlu XXXII
ceubal, ceubol XLIII.
chom XXXII. 180
ci, cun 192
cil, ciliad, cylidd XXVI
cippyl 288
cluſt 210
cog 168
cri XVII. XXXII.
crio. criwr XXXII
cudd. cuddio 178
cur 197
cwtt 178
cymmar XXXII
cynne, cynneu 100. 341
cyrch 205
cywir 162. 324
cywiro 162
daer XXXII. 129
dagr, dager 110
dant XVII
dar XXXII
dau XVII
derw XXXII. 93
derwyddon XXXII. 254
dewr 65
didref 115
dit 300. 301
dol 14
dour 325
draen XXXII
draenog 193
drud 115
du 114. 116
duedd 114

du-fel

du-fel 136
dun 116
dyn 205
dyweddi dyweddio XLIII. 330
egryn XXXII
ellmyn 124. 227
eppa 71
eryr 81
ffaig 21
ffelaig 136
frau, ffrauw 142. 143
ganz 146
gardd 147
geni XXXII
gildio 163
gitten 153
glin 79
goaz 146
grai XV. 167
guith 337
gwar 161
gwas 161. III. 316
gwau, gweu 326
gwe 326
gwedd 330
gweddw 337
gwener XXXII
gwerin XXXII
gweſin 161
gweſtai, gweſtwr 148
gwr XXXII. 92
gwyllt 335
haiarn 176
hear XLIII
hebog 169
helm 185
help 184
hen 205
herod 131
hir XL
honſel XXXII. 245
houch XXII
hwch XXII
hwſmon 227
hwſwy 328
ing 78
lagad, llygad 221
lanca 209
llaid. llaith 18
llaw 163
llechu XXXII
llenn, lliain 214
llew, llewa 218
locc. lloches XXXII
mab 221
maer 234
maes 137
maeth XXXII
mam VI
man, mon, myn 227
man. adject. XLV
march 231
marchwr 231
mars 300
marsdit 300
marw XIV
marwſis XIV
medi 68
meiriones 234
menn XL. XLV
monothen 121
mor XIV. 18
mu 151
naf XXXII
nam XXXII
naou XVII
nith XXXII
ordrevi 245
pais XXXII
pedwar XXXII. 257
pemp XVII
pen 26. 91. 115
pentref 115
penwn 134
petoar 257
pigo 292
pil 137
porch 104
praidd 235
priod. priodas 105
pump XVII
rat 257
rhaff 263
rhedec, rheden 257
rhin XXXII. 260
rhiniau XXXII
rhod 257
rhyfel 135
rhyfela, rhyfelu 135
rhyfelwr 135
rhyſwr 268
rob 323
ſadell 274
ſam XXXII. 274
ſer, ſeren 296
ſin 253
ſpi, ſpu XIII. 291
ſter, ſteren 296
ſych. ſyched 117
ſyr 296
tad XXXII. 71
tair XXXII
tan 296. 342
tanbaidd 342
tanllwyth 342
taran 114
taro, taru 296
tarw 296
techu 307
teud III. 300
teyrn. teyrnas. teyrnaſu 307
tir 129. 307
tit 300

tonn

tonn. XXXII. XLV
torf 115
trafael, trafod. 82
tref 114
tud XXXII. 111. 300
ty 111
tyrfa 115
tywas XXXII. 111
uch V
udd XXXII. 254
ur XII. 19. 87. 92
was, gwas 111. 161
wau 327
wng XXXVIII. 78
yfall 104
ynged 78
yſpiwr, yſpiennwr, yſpiendyn 292

CELTICA ANTIQ.

Abalus XLV
ambacti 75
bann 92
barditus 94
berg 99
bu 105. 206
cip, cippus 61. 287
dun 116
dur XXI. 325.
framea 251
gleſum 100
heim 182
iſca 84
lancea 209
marca 231
mentonomon XLV
morimaruſa XIV
petoritum 257

CHALDÆA.

Abba VI
mallet 237
miltha 237
ſchaltan 278

DANICA.

Chunigard 147
degen 110
fæ 317
frue 141
gieſt 148
gliſe 101
han 175
hiarne, hierne 176
jord 51. 129
mæla 224
mand 227
ode 243
ofn 244
ord 248
orm 248
oſtrogard 147
reeb 263
ſand 324
tiur 296
ulf 248
vidde 329

FRANCICA & ALAMANNICA.

Aahtunga 68
ab, aba 3
abaho 2. 83
abanſt 67
abant 65
abgotir 67
ablaz 67
abulkii 14
abur, auur 66
acharmann 79
achuſt 2
acus 87
adeſcalc 233
ædili 69
aſſoltrun 81. 294
after 73
agaleia 193
aha XXXII.
ahir 70
ahteſal 36
ahton 75
alh 73
allaſuuanan 124
alpiz 74
alſamant 274
alter 126
altmagon 221

ambaht

ambaht. ambahtan. ambachtman 75
ammarari XXXV
ampht 75
ana 4
anachilihho 70
analhineen 79
anamali, animali 224
anaſicht 78
anazan. anazari. anazung 71
angar 78
anilaf 125
anlucce 79
anon 77
anſt 39. 67
ant 5. 16. 55
antida 80
antlütte 80
anto. anton 77
antuuarta 54
antuuurti 81
apaſceran 282
aphol 81
aran-manoth 70
arbaeit 82
arloſneſſe 34
arin 83
armida 53
arnon 81
arton 130
arug 82
aſca 84
aſch 84
aſche 85
at 84
ateilo 2
augan 27
az 71. 84
azaloſi 84
bah 2. 83. 88
balde 298
bar 96. 128
belgan 4
berahtnuſſi 252
beran 89
bettiriſon 102
bilidi, pilidi 329
bimmtono, pimmtono XXXV
biſpehon 291
bithiu 46
biwie 46. 325.
bizon 87
blehazan. blehezunga 102
bloſtar 245
brechen 40. 77. 252
broſmono 105
bruader 41
brut 104
brutigomo 105
brutlouſti 163
buokeſtaf 294
canap, canpo 195
carto 146. 147
cauma. caumon 149
chalt 156
cham 175. 194. 196
chamara 181
chamf heit 24. 195
chamf-ſcilt 283
chana 174
chara. charalih 108
chaſe uuazzar 196
chemfan. chemfo 196
chennan 39. 311
chepiſoth 198
chienſtr 39
chind. 200
chirih 200
chiſcafr 38
chlauvo 202
chleno 31
chliuban 202
chnecht 203
chnuat. chnuatlicho 242
chonot 242
choron 108. 109
chorte 191
choſon 220
chraft 306
chriſtinheid 25
chuani 298
chund 23
chund 311
chundan 311
chundida 13
chuninc-helm 185
chuning 204
chunn 24. 205. 242
chuſt 2. 306
comman 105
cotchund 23
cruoziſal 36
cumida 197
cumiſci XXXV.
curibiz XVII.
deh, gideh 150
deoheit 24
deonon 39
deonoſt 39
deot 111
dera XXXII.
digan, dihan 150
dinch 113. 114
dinchus 114
dingman 114
diobol-gelde 163
diſco 194
diuf 111
dohti 305
dohtun 299

dolk

Digitized by Google

dolk 202
doma 309
dougli 116
dre XXXII
driniſſe 34
drio 34
driſcilun 199
droa XXXV
druta. drutinna 115
drutſcaf 115
duba 298
dugan 298
dugeth, dugatha 306
duom 41
durren 65
duruſt 117
edderuuenne. eddeslihhiu. eddesuuaz. eddesuuelicher 193
edil 15. 69. 119
ediling. 28
eſſeli, ephili 81
egalun 120
ehaftida 120
ehtiger 118
ehton 36
eigan 26
eih 121
ein 35
eincho 79
einchoraner 122
einistritter, einſtreiter 15
einlif 125
einode 35. 122
einsneller 15
einuuillig 15
elah 125
eldi 331
eldiron 126
elelendig 95. 125
elidheodig XXXII 124
elilenter 125. 300
elilenti 23. 125
eliporo 95. 124
elirarter 83. 95
ellinode 34
elſinun 34
emazzigo, emezzico 127
enbaren 128
enſt 39 165
ent 16. 127
entheſlen 122
enti 127. 128
enton 62
entrahhon 261
eocouuelih 192. ſeq.
eogouuerti 54. 192
er 18
er 20. 50. 51. 147
erda 129
erine XXXV
errahhon 261
ervirrit 309
eſil 132
euuarto. euuartuam 254
ezzan 84
fald 137
falucho 133
fara 319. ſeq.
farleoſan, farliuſan 311
farniman 312
farnuſſt 312
farſahhan 68
farſtantan 313
farſtantida 13. 313
faruuerdan 316
fater VI
feisfecho 316
fellan 133
fendeo 194
feorekker 119
fer 44
ferid 250
feſti 298
feſtinon XVII. 62
fiant 13
fien 13
fiereo 57
fihhara XXXV
fillo. fillon 138
filoberth 77
filohorsko 187
filza 139
fio 316
fiorzug 57
firdamnon 309
fiu 317
fledarmus 139
folch 319
folgen 319
fora 50. 52
foralidon 319
foramundun 320
foraperahtida 252
forauueſan 316
fornideren 309
fortuomon 308
framhalde 251
framkangan 251
fremideru 251
fria 143
friatag 143
friger XIX
frigetag 143
frio fald 137
frisking 29. 144
friunt 13. 143
froa, frou 140
frumen 251
fuara, giſuare 320

fuaz XVII
fuir 138
funf, finf XVII
furi 50.52.142.144
furifaren 319
furimagan 52
furira 143.144
furiſezzen 52
furiſt 145
garo 147
garon 108.147
garotag 108
gaskaft 38
gebaren 149
gehan 52
geiz 153
gemahala 157
gero. geron 152
geſmithe 159
geuueri 161
geuuinne 308
ghelſtar. 244
gidiganer 150
gidingon 113
gifuare 320
gihaltigi 173
gihel. gihellent, gihellenter 122
gihenhig 311
gihimilot 188
gileganero 22
gilih 32.164
gimahalit 157
gimahha 156.222
ginozza 38.160
giparota 95
giratan 259
girimitu 266
giroabi 323
girunu 151,260
giſamanon 272
giſcoft 28
giſello 159
giſind 160
githigini 232
githiuti 111
gitigi 154
giuueigit 162
giuueran 161
goldſmid 159
gomeheit 24
gomen 24
gouuiprieſtira. 252
gozophar XXXV
gravo 165
grauu XV.167
haban 22.120.169.175
hacco 170
haft 23.120
halba 23,171
halſtro 171
halp 171
halpſcilt 283
hals 171
halt 172
haltan. haltare 172
halze 173
hamelſtat 174
hamm 174
hana 174
hanencamp 195
hant 175
hapoh 169
harah 201
haran 130
haranſcara, haramſcara 282
haro 130
haubit 177
healtida. healtiger 268
heſſan 177
heilant 6
heim 179,ſeq.
heiminge 28
heimortes 247
heit 24
helfa. helfan 184
helm 185
helphant 183
heman 173
hengan, henkan 311
herda 130
herizoho 186
heroro 142.185
herra 186
herro 142. 185
himil 188
hina. hinafart 25
hion 171
hirat 187
hiret 188
hirti 189 ſeq.
hiun 187
hiuuiske 29.187
hluto 30
hoh V
holzuuanga 324
honida 190
horatupil XXXV
hors. horski 270
horsco. horskor 189
hort 190
hrao, hreo. 256
huah 178
hunt 299
hurt 285
hus 178
huuar 55.325
huuaſſo 336
huuialihhy 14
jagilih 193
idis 337
igil 193
inana 121

inchenta

inchenta arauueiz XXXV
innethron 121
innodila 121
int 16
intſpanan 68
inuuartigi 121
johh XVII
irferron 309
irmanſuli 194
irploden 103
irratan 259
ital 122.123
itis 337
itislih 338
itmalen-tag 227
ituuiz. itiuuizon. 316
jnngiro 194
kalih 164
kaluppas. kaluppe-ru XXXV
kamali 224
kamauſam 37
karatan 158.187
kaſt 148
katilinga 127
kearnon 81
kechundan 311
keentot 127
keiſt 158
keltan 155
kemphon 196
kenidaren 309
kero. keron 152
keſpanſt 40
keveſe 198
keunmuazon 127
keuuiſſo 325
keuuonaheit 25
kichoſe 220
kihaltan 172.173
kihaltidu 173
kihenkan 311
kilauban 163
kilengida 289
kindilin 31
kir 152
kirechida 261
kiruno 260
kiſalota 101
kiuuati. kiuuatoter 214
kneht 203
koron 108.109
koſon 220
kumig 197
kuning 204
kunnan 39
kunne 205
kuosmeer 206
kuſt 306
laffan 210
languuid 329
lantſceffi 38
lapel XXXV
lauga 102
laz. 219
lazzeta 220
leffa, leſſa 210
leidſam 37
leo 218
leziſt, lazoſt 219
lib, lyb 67
lichan, gilichan 164
lih, lihho 31
lih, liihhe 210. ſeq.
lihhamo 179.211
lihhiſode. lihhiſon 35
lin. linino 214
liſti 135
liumunt 215
liutpari 11.315
lochan XXXII.
los 34
luagan 220
luſtida 13
luzil 15
machon, kamachon 106.221 ſeq.
mag 221
magad 6.223
magadheit 24.223
magan 40.228
magazogo 187.222
maginna 221
mahalon 156
mahela 157
malht 40
mammonti XXXV
man, mann 75 227
manaheit XLIII.25
manalihho 32. 231
manaskiu 237
mancreſte 223
mano 239
manon 240
marach 231
marriſal 36
megincraft 223
mein 235
meinan 236
meineido 235
meino 239
meiſtertuam 41
melden 237
mennisg 38 238
mer, mera 142
mezhafti 23
mitiuuare 162
mittiligart 147.333
muas 293
muat 157
muater VI
muaz 76.127

Digitized by Google

muazzot 127
mundeburde 321
neſkirii 154
neman 312
neonaldre 34
niazen, niozen 243
nidanenti 127
nidarren 309
nieden 243
niheiner 198
nihhus XXXV.
nio-in-altere 34
niud 242
niuuiht 25
nordhalba 23
nuzi 243
obanenti 127
obphar 244
odag, odeg, otaker 26
odhin 243
offerunc-gheltar 244
olbent 184
olpentara 184
opiſal XXXV. 36
ordinon 245
ort 248
oſtan 249
oſtarlant 249
oſtarriche ib.
oſtrun 349
otmuati 211
ovan 244
pacchan. pecchun 90
pado 88
para 94
parn 333
part 96
peran 10
pereg 99
pi 11
piderber. piderben 102
pihafter 23. 120
piliben 10
pipergan 100
piporageen 100
plecchazit 102
ploden 103
pluoſtar-huſe 245
prarth, prorth XXXV.
prennan 39. 138
prodi 336
pruader 41
prunſt 39. 138
puohſtåpa, piahſtaba 294
purdi 13
purigo 100
quechaz fleiſch 255
quedan 255
quena XXXII. 328
querder XXXV.
quicca-fe 255. 316
quitti 255
queman 21
quirn 121
rader 258
redeſtacho. 257
radiuuagon 257. 321
rado 258
rahha. rahhon 261
ratan 259
ratiſſa 258
rauba, raupa 323
rebarnuſſi 95
reda 262
ref, reve 263
reiti 258
reitman 20
reitroſſo 269
reituueko 258
rheinida 13
ribaridos 95
richi. rihhe. rihhiſon. rihhituam. 264. ſeq.
rihhan. rihher 265
rim XIII. 266
riſan 62. 102. 266
riſo 268
riumun XXXV.
roſſo 269
ruahcha, ruahlicho ruahchlos. ruahhaloſon 158
ruh 269
runon 260
runſtaba 260
runzabel 339
ſachan 68
ſala 271
ſalbari 255
ſalig 286
ſama 37
ſaman 272
ſamant 273
ſamantferti 274
ſamanon 62. 272
ſamanunga 48. 272
ſambaztag 272
ſamo 273
ſatalgiziugi 274
ſatalroſſo 269
ſaum, ſaumma XXXII. 274
ſcaffan 38
ſcahari. ſcahe 275
ſcahho XXXV.
ſcal 277
ſcalc, ſcalch 29. 135. 233. 277
ſcaltan 278

ſcara-

ſcaraſahſe 282
ſcaz 156. 280
ſceſſant 6
ſcerni, scerne. 282
ſcilt 283
ſciozanto XI
ſcolan 12.29
ſculdi 13
ſcurgen 283
ſecho 68
ſedal 31.122.274
ſelida, ſelitha 40. 271
ſeneſcalc 233
ſezzan XVII
shifilin 31
ſibunſtunt. 21
ſind 160
ſipper 288
ſippuKilengida 289
ſitti 274
skerran 282
skinen 281
slimo. slimor. 101
ſmitheſcirethe 159
ſochili 289
ſontron 290
ſou XXII.
ſoumari 275
ſpaher. ſpahii 291
ſpanan 39.40
ſtaf-ſuuert 252
ſtantan 313
ſtap 294
ſtarche 298
ſterro 296
ſtiuri. ſtiurari. ſtiurun, ſtiurruodre 296
ſtreng 297
ſtrit 308
ſtun 20
ſum 274
ſundhalba 23
ſunna 289
ſuntrigo 289
ſuuert 252
teilnemen 21
teilnumſt 21
thegan 110
theganlih 230.298
theonuati 111
thev. 111
thinc, thing 113.114
thinchus 114
thiob 111
thorf 114
thurſt 117
thuſunt 299
tincta-horn 114
tinctun 114
touferes 339
tougalneſſe 117
tougani XXXV.
touganiſs 307
tougola 307
toumon 308
treſo 281
triuuo 115
trutun 115
tuam, tuom 41.309
tubielin 31
tuncali 117
tunchlent 117
tunkileton 117
tuomo 309
turtilutubun 307
varrin 134
yberuuinnan 308
ubil 104
uf 7
vigo 135
vilz 139
umbi 44
umbiuuerſt 333
umb-waht 325
unbiderber 102
unchipachaniu 90
unden XXXII.
ungahiure, ungehiuro 318. ſeq.
ungiparta 96
ungiuuarer 318
unhors 270
unkiuuaro 317
unkuſt 306
unmeino 236
unmez 46
unmuazza 127
untar 48
vochumilo XXXV.
vogal. vogalode 35
urlac 247
urlaubii 53
urlug 246
uruuerchman 51
vuſt 135
uz XVII. 8
uuagan 321
uuagan in himile 322
uuage 321
uuagon 321
uuahtan 15
uuala 322
uualdlihher 122
uualtambaht 75
uuan 26.53
uuanaheil 54
uuanda 214
uuanga 324
uuar 304
uuart 54
uuaskan 325
uuat 214
uuattan 214

uuatun

uuatun 329
uuazzar 325
nueiano 330
uueido 330
uueigon 162
uuels 322
uuepan 326
uueppi, uueppeo 327
uueralt, uuerolt 331
uueran 161
uuerdan 316
nuerdan 316
uuermota 53
uuertiſal 35
uueſan 316
uueſtparn 333
uuib, uuip 326
uuibil XXXV.
uuiclihho 206
uuida 329
uuidaruuigo 206
uuidorort 55. 247
uuige 206
uuighaft 298
uuihe 330
uuiht 25
uuilder 335
ſiuine 315
uuiniſcaf 315
uuinnan 308
uuipheit 327
uuiſanto 87
uuiſt 293
uuituua 337
uuizzan 336
uuizzod 34
uuolv 338
uuonan XXXVII.
uuorolt 332
uuort 81
uuortbilid 133
zabel 339
zala 36. 150
zaſcot XXXV.
zehenzug 57
zellan 262
zentan 341
zeohan 57. 186
zierida 7
zihan 57. 186
zimbron. 142
zouprari 339
zoupron 339
zuaquemen 21
zuht 186
zumſt 21
zuntrun 341

FRISICA.

bithioten 111
cladolg 202
herthamon 179
thiubda 112

GALLICA ANTIQUA.

v. CELTICA ANTIQ.

GALLICA HODIERNA.

Abandonner 92
ade *term. Gall.* 35
affreux 309
ainé 78
alons 5
amuſer 127
ancien 78
ard. *term. Gall.* 83
aſſemblee 272
avanture 66
babillard 83
bacon 88
banniere 92
bannir 91
barbier XVII.
baron 96
bataille 96. ſeq.
baton 96
battre XII. 97
bierre 94
bique 103
bouc 103
braſſer 313
brav 297
briſer 105
campagne 137. 195
cavallier 233
cauſer 220
cep 288
champion 196
change. changer 195
chapon 107
cheval 149
couper 107
cuiſine 313
dague 110

rue.

Digitized by Google

drue. druerie 115
echange. echanger 195
echars 197
ecuyer 233
emmevé 183
encliner 79
environ 318
eſchec 276. ſeq.
eſcurieu 121
eſpier. eſpion 292
eſprevier. 294
eſſarter XLIII.
faulcon 134
feu 138
fin 135
gaillard 83
gerfau 152
guarant guarantir 161
guarou 93
gueſſin 161
guinder 49
halte 173
hameaux 180
harnaſcher 176
harnois 176
haye 151
heaume 185
herault 131
honnir. honni. honte 190
hote 149
jaidin 148
jetter XI
lance. lancer 209
lansquenet 204
laquay 208
linge 214
mamma VI
marcher 232
marechal 232
mine 238
naquet 203
peler 138
piquer 292
poulter 140
pourceau 104
quittance 256
riche 265
rime. rimer. rimeur 266
robe 323
roſſe, rouſſin 270
roue 258
ſac. ſacager. ſacagement 275
ſale, ſalon 271
ſemence 273
ſergent 283
ſommier 275
ſoques 289
ſouiller 101
taureau 296
thiois 304
travail 82
treſor 281
vague 321
vuide. vuider. 244

GERMANICA ANTIQ. v. CELTICA ANTIQ.
GERMANICA HODIERNA.

Abend
abendmal 225. 227
abenteur
aber
aberacht 66
aberglaube
abermal
aberwiz
abgeſaumt 134
abgot
abgunſt
ablas
ableiben
abmæben
abſagen
abſonderen 290
abſpænen
abwerts
acht
adel
adelich
adler
æchter
æffen 71
ælte 331
ænkel 31. 79
ænlich
ær
æſſig 84
ætte
æzen
affe
africa
after
al
allenthalben
allerhand 24
alleſamt 274
almanach
alp.
alpen
altar
alter 126
ambt
ambtman

 amei

INDEX VERBORRUM.

ameis
amman
anbrechen
anden
anen
anger
angeſicht
angſt
anherr
anke
anlehnen
anlugen
anſehen
anten
antliz
antwort
antworten
anzünden
apfel
ar
arbeit
arg
arm
armbruſt
armut 53
art
as
aſche
aſia
aurochs
axt
bachſchwein
bachſtelze
bad
baren
bærmuter 89
bærwolf XII. 93
baken
balbier XVII
band XVII
bann
bannen
bannier
bar
barbar
baren
barmherzigkeit. 10
baron
bart
batallie
beding 113
begreiffen 313
behand
behaft 23. 120
bein
beraten
berden 104
bereiten 158
berg
bernſtein
beſcheinigen 281
beſchleünigen
beſonder 289
beſuchen
beſudlen
betrauter 115
bettriſen
beveſtigen XVII
bewaren 161
bewegan 321
bidermann
bienen
bleiben 10
bleken 168
bliz
blöd
bok
bork
bös
braut
braütigam
broſamen
bruder XVII. 41
buchſtab 294
buffel
burde XVII
buter
cap han
car freitag
car-woche
chur
daheim 180
darben 117
degen
demmerung
demut
denkmal 224
deuten
dieb
diebſtal
dienen
dienſtag
dietrich
ding
dinte
donner
dorf
draut
drauter 41
dreſch-keule 199
dun
dunkel
dunkelheit
dunklen
durfte
dürftig 27. 117
durſt
durſt 40
ebbe
eber
echt
ecke
edel
egel
ehaften
eheſtand

eich-

eich-horn
eier-ſchale 284
eingeweide
einbellig
einöde
einſidler
einſchalten 279
eitel
elend
elendig
elend-thier
elf
elteren
empor. empören 16 85
emſig
ende
enkel 31. 79
ent-ar
entbæren
ente
eraügen 27
erbarmen 10
erde
erenhold
erhalten 172
ernde 81
erkoren 109
erörteren 248
erquiken 255
eſel
etliche 193
etwas 193
etwelche 193
eule 168
europa
fabel
fæm
fænrich
færkel
falk
fane
farr-ochs
faum
fauſt
fauſt-recht 135
fede 14
feig
feind 13
feld
fell
feur
fillen
filz
filzen 138
filzig
fink 169
flachs 269
fladdern 139
fleder-maus
folter
frau
frauen-zimmer
frech
freien
freitag
fremd 251
freund 13. 143
frey XIX
friſchling
fünf XVII
funke
furſt
fuſs XVII
gans
gant 309
gard
gar-küche
garten
gaſt
gatter
gaul
gaum
gebærden
gedeien
gediegen
gegend 12
gefar
gebæge
geheim 181
geheimniſs
gehören
geier
geir-falk 152
geis
geiſt
geiz
gelegen 22
geloben 163
gelt
gemal
gemælde 224
gemüt
genoſſen 38
genoſſchaft 38
gerad 259
gerade
geræte 250
geruhen
geſamt 274
geſchmeide
geſell
geſind
geſpenſt 39
gewær
gewæren
gewarſam 161
gewieget
gewierig 161
gift 61
gilde
gilden 162
glauben
gleich 32. 164
glitzen 101
glük

gluk-henne 169
gönnen
gott XVII
grabmal
grætig XVII
graf
grau
gruft 61
guguk
gunſt 39
habicht
hacke
hækſch XVII
hæmmen 173
hagen 151. 171
hain
halb
halfter
hals
halt
halten
hammel
han
hand
handlen 194
harniſch
harz-wald 188. ſeq.
haubt
hauch
haus
haus-rat 260
heben V
heher 169
heiland 6
heim
heimen 188
heim-holen 180
heim-kehren 183
heimlich 180. 181
heim-ſuchen 180
heim-werts 180
helfant
helm
helm-kam 195
hemd 333
hering 29
herling 33
herold
herr. herrin
herz-kammer 179
herzog
heulen 168
heuraten
himel
hirn-ſchale 284
hirſch
hirte
hoch V
hon. hönen
hort
hübel. hügel 206
hund
jeder
jeglich
igel
infanterie
joch XVII
irdling 33
irmenſaul
iſt XVII
jünger
kæmmen 195
kaf XVI
kahl XVII
kam
kammer 181
kampf
kæmpfen
kæmpfer
kæs
kaiſer
karg
kaum
kaumig 198
kebiſch 198
kebſe
kebskind. kebsweib
keiner
kele XVII
keule
kieſen 197
kind
kirche
kiſte XVII
klau 202
klauen
kleinod 244
klobe 202
knecht
könig
krieg
kuh
kund 311
kunſt 39
kürbis XVII
küz
laben 62
læken
laich. laichen
lakei
lallen
land 303
lands-knecht 204
lanze
lanz-knecht 204
lauſteren
lebkuchen
lech
lecken
lefzen
legen 62
lehr-knecht 203
leich-dorn 211
leiche
leich-mal 211
leichnam

Digitized by Google

lein. leinen
leinwand
leinwat
leken
leumund
lew
lezt. leztere
liebkoſen
lippen XVII
lugen
mære 231
mag
magd
magdtum
magſchaft 222
majeſtæt
mal
malen XVII
malen 224
mal - ſchaz 227
mal-ſtatt 226
malter 41. 224
malzeit
man, mann
manen 239
manhaft 229
manlich 229
mar
marſchalk
marſchieren 232
marſtall 232
meer XIV
meier
meineid
meinen
meinthalben 171
mekeren 168
melden
memme VI
menſch
mine
mittags-mal 225. 227
monat 7
mond
morden XVII
mues 293
muter VI. XVII
nachtigal
nach-trab 305
name. nambar XVII
natur
neüne XVII
niedlich
not-durft 116
nuſs-ſchale 284
öde
ofen
offenbar 11
offenbaren 95
ohrband 248
opfer
ordnen
ort
ort-band 248
ort-bret ib.
ort-ſtein ib.
ort-thielen ib.
oſtern
pannier
patſchen XII. 97
pauke XVII
pfenning 28
pferd
pfrieme
piken 292
pipen 168
polſter XVII
por XVII
por-kirche 35
pracht
præt 335
prieſter
probſt 60
quæken 254
quakſalber
quek
quittung
rabatte
rabe
rachen
rad
rade
rætzel
raſt-tag 273
raten
rauben XVII
raunen
rechnen
redlich
refier
regieren
regiments-ſtab 296
reich
reichs-bann 92
reichtum
reiger
reim
reimen
reis
reiſige knechte 204
reiſſen 295
reiten
rek
rekel 268
religion
riſe
rislen 62. 102
roken
roß
ruchlos 158
rumrætig 259
ſal
ſam
ſamen
ſamlen 272
ſammel- plaz 272

ſamt

ſamt
ſæmtlich 274
ſattel ib.
ſau XXII
ſaügen 62
ſaümen. ſaümig 275
ſaum-roſs 275
ſaum-ſattel 275
ſaum-thier
ſchach
ſchacheren 275
ſchachmann 276
ſchæcher
ſchach-mat
ſchach-ſpil
ſchale 284
ſchælen 284
ſchal-fiſch 284
ſchalk
ſchalten
ſchalt-jahr
ſchalt-könig 278
ſcham
ſchaz
ſchæzen 281
ſchein ib.
ſcheinen
ſchelm
ſcheren
ſcherge 283
ſchergen
ſchieſſen XI
ſchild
ſchilderen
ſchlange
ſchleken 210
ſchuld 12
ſchulze 279
ſchwert-magen 222
ſechs XVII
ſel-hof 271
ſelig
ſetzen 62
ſip
ſipſchaft
ſocken
ſonne
ſonn-abend 272
ſpade, ſpate 252
ſpæhen
ſpan-ferckel 68
ſpecht
ſpeiſe
ſpek 88
ſperber
ſperling 32. 294
ſpill-magen 222
ſtab
ſterben XVII
ſtern
ſteurman 296
ſteur-ruder ib.
ſtier
ſumme 272
tanne-baum 342
tapfer
taube
tauffen 298
taugen
tauſend
teufels-banner 92
teutſcher
thier
thüre XVII
tochter ib.
tödten ib.
todten-bar 94
traben
træger 321
trift 40
trug XVII
tüchtig
tugend
tük
turtel-tauben
tyrann
vater VI. XVII
uberwinden
verbannen 92
verdammen
verfært
verganten
vergeſſen
vergeuden
verhængnuß
verbergen
verkündigen
verleumden
verlieren
verluſt 40
vermælen 227
vernunft
verpraſſen
verquaſen
verquiſten
verſamlung 272
verſtehen
verwante 315
verwantſchaft
verwarloſen 161
verweis
verweiſen
verweſen
vieh
vieh-hirte
ungefær
ungeheur
ungerad 259
ungewarſam 161
unheimlich 180
unke 286
unmüſſig 127
unter XVII
volk
volker 319
vorfaren

vormund

Digitized by Google

vormund
vorrat 260
vortrab 305
urgan 152
urgicht ib.
urkempe ib.
urſau ib.
wachtel 15
wagen
wagen-ſtern 322
wald 335
walfiſch
walroß
walſtat
wangen
wart
war, gewar 318
warlos 318
warſam 161
warum
waſchen
waſſer
wecken 62
weib
weichbild
weide
weidlich
weidmeſſer 330
weibe
weihenacht 330
weihrauch ib.
weihwaſſ. 330
wein 325
weiſen 62
welt
welſch 325
wenig 26
wergelt 93. 155. 331
wermut 53
werwolf XII. 93. 331
weſter-hemd
widerſacher 68
widerum 325
wiege. wiegen 162
wild
wildprat
willkur 109
wiſſen
witib, witbe 338
witwe
wogen 321
wolf
witerich 264
zan XVII
zauberen
zucker
zukunft 21. 101
zunder
zunft 21. 101
zuſamen 272
zwagen 325
zwei, zwo XVII.
zweilf 126
zwele 325

GOTHICA.

Abe, abe 65
af 3
afar 66
afdomjan 308
afgrunditha 40
afſet 67
afmaitan 68
aftaro 73
ahaks 2. 170
ahma 212
aibrs 244
aigan 26
air 20. 51
airtha 129
akizi 87
aldins 126
aljath. aljathro. al- jakunja 124
allbrunſti 138
ana 4
and, anda 5. 16
andanumft 21
andaſtava 295
andawaurd 81
andawleiz 80
andbahts 232
andei 14. 127
andniman 21
andſakan 68
andſtandan 49
anſts 39, 165
arman 10
arms 83
aſil 132
aſtath 2
atta XXXII. 69. 71. 119
audags 26
aughamma 174
auhn 244
auk. aukan 154
aurtigards 148
auſono 216
authid 243
azgo 84
bairan 10. 89
bairg 99
bairgahein 182
bairgan 99
bairht 77
bandwo 92
bandwjan 92
barn 89. 333

baurg

baurg 329
beidan 82
bi 16
bilaikan 208
biſauljan 101
biſunjai 324
biudan 145
blotan 245
brinnan.brinno 138
brothar XVII. 41
bruth 104
bruthfaths 104.105
dalei 14
daurſtan 118
dauths XVII.
domjan 308
driuſan 102
fadrein 126
faihu 183.317
faihu-frikei 153.317
faihu-habands 317
faur 5c. 142
faurabathja. faura-
gaggja 142.145
fiand 13
fidwor XXXII.
fijand 13
fill 137
fon 30.144
fot-hamma 174
fragildan 155
fraiſan 309
fraiw 141
fraliuſan 40.311
fraluſtei 312
fram 251
framathja 251
framiddja 251
fraquiſtjan 313
frauja. fraujinon
140
friathwa 143
frije XIX.
frijon 13.143
frijonds 12.143
frik 143
frikai 317
gaaiſtan 148
gabairan 89
gabigs 265
gadaila 160
gadrauhteis 196
gadauthnan XVII
gafalh ſik 137
gait 153
galaubjan 163
galeikan 164
galeiks 32. 164
gamana 160
gameljan. gameli-
do 224
ganiman 312
ganutei 243
garaid 158.259
garathana 259
gards 146
gaſibjon 287
gaſintjai 160
gaskaft 38
gaſt 148
gawath XLIII 329
gild 162
glitmunjan 101
gothbloſtreis 245
greitan XVII.
grets ib.
gudji 34.253
gudjinaſſus 34
gumei 105
haban 22. 120.
169.175
hafjan 177
haim 179. 182
haimotjai 182
hairda. hairdeis
190. 191
halba 171
haldan 172
hals 171
haltai 173
hana 174
handugei 98
handus 175
han-hamma 174.
176
haubith 177
hauh V.
hauhitha 13
heiwa 187
heiwa frauja ib.
hilpan 184
himinakunds 23
himins 188
hliumans 216
hraiwadubono 298
307
hund 191
hund 299
hunsl XXXII. 245
hunslaſtads 74.245
hus 178
huzd 179
hwar 55.325
idweit. idweitjan
316
in, inn, inna 121
infeinandeins 121
inniujitha. 40
intandjan 81
juk-gajuk XVII.
kaiſara-gild 162
kar.karan 158.197
kelik 201
kindins XLIII.
klahain 31
kun 24 205

hund

kund 23
kunths 311
laigwan, bilaigwan 210
laikan 207. 208
latan, latjan 219
leik 210. ſeq.
leikan 164
leiks 32.164
lein 214
leitil 15
lifnan 126
lofa 163
magan 40. 228
magath 6. 222
magathei 14. 223
magus. magula 221 ſeq.
mahts 40
maitan 68
malan XVII
manag. managei 14
manan 236
manaſeths 332.ſeq.
manleik 32. 231
manna 227
mannisk 37.237
manwi XLIII.
marei XIV.
mathls. mathljan 225
mats XXXII. 293
mel 33. 224
mela 224
meli. meljan 224
mena XVII. 239
menath 7
midjungard 147. 332
militondans 196
miton. mitoneis 157
mod. modags 157
munjan 236. 239
niainshun 199
ni-aiw, ni- in-aiwa 33
niman 312
nithjis XXXII.
niun XVII.
niutan 243
niwaiht 25
ogan XXXII.
paida XXXII.
quino XXXII. 327
quithan 255
rahnan 261
rathjo 258.ſeq 262
rauban XVII.
razda 262
reikinon 264
reiks 264
reiſan 266
rodjan 262
runa 151,260
ſabbato-dags 273
ſaihs XVII.
ſaljan. 12.31.40. 160.271
ſalithwos 271
ſama, ſamana 272
ſamaleiko 37
ſamaſokjan 272
ſamath 273
ſamathrinnan 273
ſel. ſelja 27. 286
ſib 287
ſibunſintha 21
ſilubrinaize 280
ſintha 20.160
ſiponeis 194
ſitan 31
ſitl 31. 122.274
skal 277
skaljo 284
skalkinnon 277
skalks 29. 277
skama mik 279
skapan 38
skatt 156.280
skauda-raip 263
skeinan 281
ſparwa 32. 294
ſtairno 296
ſtandan 313
ſtava. ſtavaſtol 295
ſtiur 296
ſtojan 295
ſtriks 295
ſundro 289
ſunja. ſunjei. ſunjeins 324
ſunno 289
ſunus 312
ſwignitha 40
ſwinth 297
tandjan 341
thahan 306
thaih 150
tharba 117
tharfan 117
thaurneina waip 185
thaurs 40. 117
thiubja 112
thiubs 111
thiuda 34.111.205
thiudangard 147
thiudans 147.205
thiudinaſſus 34.301
thiumagus 222
thiuth 113
thiwe 111. 135
thiwi 135
thuſund 299
thwahan 325
tiuhan 57. 186

Digitized by Google

triu XXXII.
tunths XVII.
twalif 126
ubils 104
uf 7.177
ufarmeli 224
ulband 183
und 49
undar 48
unkarjans 158
unſelja 286
unſibja 287.
urreiſan 266
urrinnan 52
urruns 52
us 8
ut, uta 8.123.337.
wagjan 162.321
wagid 162
waiht 25
wair XII. 19. 92. 97.331
wan 53
wate 325
waurd. waurdjan 81
waurtins 148
wegos 321
wegs 56.321
weiha, weihs 330
weihs *ſubſt.* 328
widuwo 337
wigan 206
wilwan 338
winja 324
winnan 308
wiſan 316
witan 34.121.122 329.336.337
witoth 34
wlitan 80
wlits 80
wruta 295
wulfs 338

GRÆCA.

α 2.4.6
ἄγκυνα 322
ἄγειν 162.321
ἀγκίον, ἄγκος 78
ἄγκονος 79
ἀγλαΐζομαι 101
ἄγχειν. ἄγχος 78
ἄζα 84
ἄιθειν 100
ἄιξ, ἀιγὸς 153
ἀιρέω 82
ἀκὴ, ἀκὶς 87
ἀλείφειν 293
ἀλκὴ 125
ἀλλὸς 106
ἄλφος 74
ἅμα 180.272.293
ἀμάειν 68
ἀμβλύνειν 174
ἄμυδις 273
ἀμφὶ 44.76
ἀνὰ 4.15
ἀναβράσσω 313
ἀνακλίνειν 79
ἀντιᾶν 77
ἀντὶ 5
ανύειν, ανύτειν 127
ἄνω 4
ἀξίνη 87
ἀπαμᾶν 68
ἀπὸ 3
ἄππα VI.
ἀργὸς 83
ἀρετὴ 83
ἄρης 112.176
ἁρμὸς 83
ἀρχὴ 51
ἀσελγὴς 132
ἀςὴρ 296
ἄττα 70
ἀυγάζειν 210
ἀυτὰρ 73
ἀύω 244
αφαύω *ib.*
βαὶ, βὴ 168
βαίνειν 98
βάλαινα 322
βάρβαξ 293.294
βάρβαρος 93
βαυκίζεσθαι 103
βήκη 105
βληκὴ 163
βληχάομαι *ib.*
βύβαλος 106
βοῦς 106.168.206
βούτυρον 106
γάζα 280
γεννᾶν 200
γεῦμα. γεύω 149
γραῖα 168
γραικὸς *ib.*
γραιοῦμαι *ib.*
δῆμα 150
διακονέω 203
δρῦς 93
ἐγγὺς 79
ἐγκλίνειν 79
ἐγκονεῖν. εγκονὶς. εγκονίδες 79
ἕζειν 293
εἴδω 336
ἱμάδες 180
ἧς 84.193
ἑκαςὸς 192
ἐκλάκτισμα 207
ἔνερθε 130
ἐπὶ XI. 245
ἐπνὸς 244
ἔρα 50
ἔσεσθαι 316
ἔχειν 26

ἔχθω

INDEX VERBORUM.

ἔχθω. ἔχθος. ἐχθρὸς	68.70	λέπομαι	10	πρὸ	50
ἔωλος. ἑωλότερος	126	λήχειν	210	πῦρ	138
ζᾶ	58	λίνον. λίνεος	214	πύραυνον	244
ζοφερὸς	339	λίων	217	πύργος	99
ἥκειν	101	λογκάδες	221	πῶϋ	316
ἦρα	186	λόγχη	209	ῥᾶ	163
θαρρεῖν	65	λοῖσθος	219	ῥαδινὸς	258
θαρρεῖ	65	λύκος	338	ῥαιβὸς	236
θαρσέω. θάρσος. θαρσὺς	118	λύξ	221	ῥέδιον, ῥαίδιον	258
θέρσω. θερσαίνω	117	μάμμη	VI.	ῥῆμα	266
θῆρ	304	μάρνη, μάρναμαι	196	ῥοθέω	257
θὶν	116	μέλλω	225	σάκχαρ	341
θόρυβος	115	μένος	238	σάττω	274
θυμὸς	157	μηκάω	168	σκίουρος	121
ἰδία. ἰδιάζω	337	μὴν	73	σκύτος	284
ἱεροφάλκων	152	μήνη	239	σπεῦσαι	293
ἰτέα	329	μητὴρ	VI.	ταῦρος	296
καλεῖν	241	μῆτις	157	τὶ, τινὰ	114
κᾶλον	199	μνάω	240	τίκτω	90
καμάρα	181	μυστήριον	151	τύραννος	278. 307
κάρειν	282	μύω	ib.	ὕδωρ	325
κεύθω	178	νεόφυτος	334	ὕπατος	177
κεφαλὴ	177	νῆττα	128	ὑπὲρ	50. 177
κῆλον	199	ὄϊς. ὀϊόθι. ὀϊόω. ὀϊωθὲς	244	ὗς	XXII.
κίκυς. κικύω	255	ὀιφεῖν	326	φάγω	90
κλύμενος	217	ὀλολύζω	168	φάλαινα	322
κλυτὸς	216. ſeq.	ὁμὰς	180	φάλκων	134
κλύω	210. 216	ὁμιλία	ib.	φανεῖν	144
κοῖλον	257	ὅμοιος	37	φαῦλος	104
κοκκίζω	168	ὁμὸς	ib.	φέγγος	144
κόκκυξ	169	ὄρχατος	148	φέλλος	137
κολυμβᾶν	298	οὐρανὸς	257	φέναξ	135
κόμη. κομᾶν	195	οὖς	210	φέρειν	89. 244
κονέω	203	οὔτις	3	φὴρ	93
κοπτεῖν. κοπεῖν	107	ὄχλος	319	φλόξ, φλογὸς	102
κρώζω	168	ὄχος	321	φοιβὰς	328
κυριακὴ	200	πάππα	VI.	φρίξ	309
κύω	207	παρὰ	95	φὼρ	112
κύων	192	παραβολὴ	133	χὰν	145
λακτίζειν	207	πατὴρ	VI.	χανδάνω	175. 313
λαλεῖν	209	πάω	316	χανύω	174
λάω	218	πιπίζω	168	χὴν	145
		πρεσβύτερος	253	χόρτος	146
				ὠρεῖν	161

Digitized by Google

HEBRÆA.

Ab VI
alluph 93
azel 132
baar 138
bag 90
bala 137
bara 89
beer 95
boſch 104
em VI.
es 153
gadar 146.149
gadher 149
gedi 153
ham 180
kohen. kahen 203
labhi. lebhije 219
lachak 210
mat 276
par 93.134
parah 134
pere. pered 93
rakia 256
ruz 257
ſcheleth 283
thor, thur 307
ur 138
zemyde 159

HETRUSCA.

Æſar. æſi 85
antar. 128
iduare 337

HISPANICA.

ama VI.
arte 83
comer. comida 149
eſpia. eſpiar 292
jardin 148
manceba 198
mueſo 293
pulliedro 140
rozin 270
rueca 269
ſala, ſalon 271
ſimiente 273
tinta 114
trabajo 82

HOTTENTOTTICA.

Bo VI.
bubaa 206

ISLANDICA.

Ægg 87
ætt. ættiord. ætt-lund. ættmen 71
ala 73.126
aleika 208
alf 74
allruna 261
ambatt 232
andlit 80
angur 78
ar 50
armborſt 83
as. æſar. aſiamenn. askyndur 85
asheim 180
ask, askur 85
aska 84
askr 84
audur 243
aurlog 247
bænda 88
bak 88
bann. banna 91
barn 334
ber 11
bera 89
biarn-dyr 93
bleide. bleidaſt. bleidskapur 103
brandur 138
breſta 83
brudur 105
brune 138
bu 206
dimmur 110
diur 304

dokna. dokne. doker 116
duga 299
dygd 299. 306
dyr 304
edli, edle 71
ef. efaſt. efi 154
egg. 119.120.193
eide 243
einvigi 206
ella 124
ern 81
fæmt. fæmta 133
fant 194
far 250
fe-girni 154
fe-hirdi 189.317
fela 137
fie 317
filga 319
firſtur 145
fon, fun 144
fruu 141
fylki, fylkir 319
gas 146
geir 152
geyſa 153
geyſt, geiſtr 153
giædi 310
giæſtur 148
gilde 163
girni 154
goma 149
gottheim 180.212
grætingr XVII.
hag 151
hallter 173
halva 171
hamla. hamlan 174
har. hærre. hædſta 319
hefia 177
heimila 180
herneskia 176
hialmur 185
himen. himmen 188
hiort 191
hird 190
hirda 317
hiu. hion 187
horg 201
hræfuglar 256
hroſs 269
hvalur 322
hvatur 330
iggur XXXII.
ing, ingre 29
jord 51.129
kala 241
karl 229
kepſir 198
klo 202
kona 327
kvak. kvakſamur 255
kvena-far 134
land-reken 267
leibheim 180.212
leiff 126
leika. leikar 208
leikari. leikur ib.
lekar. lekara. lekt. 215
lika 164
lin 214
liom. liomma 216
lita 80
loſa. loſi 163
log 246
loge 102
lytt 15
madur 227
mæla 237
mag 222
mal 224.225.227
man 227
manlikan 32. 231
mar 231
mein 235
meinalaus ib.
meingiarn ib.
meinſæri ib.
eg meine 236
olld 331
orlog 246
orlog-lauſa ib.
o-viſa 2
preſtur 252
pryda. prydi. prudlega 104
rad 98.158
rada 259
radgiarn ib.
rada runer ib.
radahagur 98
radan 158. 259
radaſt ib.
radlaus 98
radſpell ib.
reckar 267
reid 258
reidi 158
reiſa-barn 263
reiſar ib.
rekia 267
rhæ 256
riki. rikia 265
riſa 266
riſar 268
rismal 225
rita 295
rym 266
runa. rynia 260
ruu 269
ſadull 274
ſære 235

ſaka 68
ſalur 271
ſam 272
ſamt 274
ſannur 324
skaak 275
skam, skaum, skom 279
skamlaus 279
skera 282
skioldur 284
skot. skiota XI
ſol 289
ſpa, ſpadoma 291
ſtaf 294
ſtafa 295
ſtiori 296
ſtiorna ib.
ſtyri 296
ſundra 223
ſvein 223
tenda, tenda upp 341
thegn 232
thing 114
thor. thora 65
thorp 115
thva 325
tia, tioa 150
tiu, tio 299
tofra. tofur 339
væſter 333
vagn. 321
val-blyſtr 323
valka 133
val-ruf 323
valur 323
vang 324
van. vana. vanta 54
vapna-thing 113.114
var 318
varlaus ib.
veida. veidi. veidimadur 330
vidurlit 80
vikingur 206
vinur. vinfaſtur 315
ulf. 338
und 248
unna 165
u-rikr 2
wyff 327
ydur 121

ITALICA.

alto 173
anciano 78
arneſe 176
bando. bandito. banditore 91
bannire 91
bara 94
becco 103
campio 196
campo 195
cangiare 195
ceppo 288
daga 110
drudo 115
fino 135
giardino 148
haraldo 131
hoſte 149
ielmo 185
lancia. lanciare 209
mamma VI.
picciare 292
pulledro 140
ricco 265
rima 266
rocca 269
ſala, ſalette, ſalone 271
ſcacco matto 276
ſcalco 277
ſcarſo. ſcarſita 197
ſcherno 282
ſeme 273
ſoma 274
ſomaro 275
ſparviere 294
ſpia. ſpiare. ſpione 292
todeſco 304
travaglio 82
voga 321

LANGOBARDICA.

arga 83
fara 134.319
feld 137
marpahis 231
ſala 271
ſcach 275

Digitized by Google

LATINA.

Ab, abs 3
accendere 81.342
acies. acus. acidum. acutum. aculeatum 87
ægis 153
affinis 315
agere 162. 321
agitare 162
albus 74
alce 125
alere 126
alius. alienus 106
alpes 74
am, amb 45
ambactus 75
anataria 128
ancilla. anculus. anculare 79
angere, anxius 78
anguis 286
anſer 146
ante 4.78
anus 78
aper 93.118
aperio 11
arinca 269
arma. armus 83
aruſpex 291
aſa (proara) 86
aſcia 87
aſtrum 296
atavus 71
atta 70
auſcultare 210
balæna 322. ſeq.
balare 168
barones 96
batuere 97
bellum 136
biſontes 87
bos 106.168. 206
brachium 83
bubalus 87. 106.206
bubo 168
bubulus. bucula. bubulcus 206
burdo 275
butyrum 106
calones 199
cambiare 194
camera 181
campus 136. 195
canis 192
canus. canities. candeo. candor. candidus 146
caper 107
capere 175
capo 107
caput 177
caſa 179
clypeus 285
coaxare 168. 254
cœlum 257
columba 298
coma. comere 195
condere 179
crates 149
crocire 168
cucuba 168
cuculus 169
cutis 179
ditiones 301
duellum 136
ecce 210
eſca, eſus 84
eſſe 316
evaneſcere 54
ex 8
exordium 51
falco 134
fallere 138
femina, fœmina 327
fer XVII
fera 93
feretrum 94
ferre 89. 244
frater 41
fur 112. 278
fuſtis 135
gallus 241
ganſa 145
glocire 168
hanum (profano) 171
hendo 175. 313
herus. hera 185. ſeq.
homo 229
honos 190
hortus 148
hoſtis 149. 278
im 46
immanis 229
immiſſulus 134
in 46
incendere 81
inclinare 79
labia 210
lallare 209
lambere 210
lancea 209
leo 217
libare. libamen. libum 210
linea 214
lineus. linteus. linteum 214
lingere 210
linum 213. ſeq.
lucus 171
lupus 338
lux 221
mamma VI
mater ib.
mens 283

metere 68
micare 168
monere 240
mugire 168
nemo 229
obeſare 71
oleſcere 126
ordinare 245
ordiri 51
origo ib.
oriri ib.
palla. pallium. paludamentum 137
párere 89. 90
parére 95
pater VI
pellis 137
pica. picus 293
pipire 168
porcus 93. 104
præ 50
præda 335
primordium 51
pro 50
proſapia 60. 288
rheda 250. 257
rhedarius 257
rota ib.
ſaccharum 341
ſciurus 121
ſcutum 284
ſiccus 117
ſimia 37. 72
ſimilis 37
ſimul 272
ſol 289
ſpica 292
ſpiculum ib.
ſuccinum 100
ſus, ſucula XXII
tacere 306
tata 71
taurus 296
teges 293
terra 129
torrere 118
turba 115
vacca 206
vadare. vadum 88
vanus. vanitas 54
udor 325
vecors 54
vehere. vehes 321
velare. velum 137
vellus ib.
veredus 250
verres 93
veru 293
veſanus 54
vidére 336
vídere 337
vidua 337
vir 19. 92. 229
ulula. ululare 168
vola 163
urus 86
vulgus 319
vulpes 338
vultus 80

LATINA MEDII ÆVI.

Amadere 68
ammannus 76
anculus 79
anetha 128
annata ib.
antidio 80
aſcomanni 85
bacones 88
bainberga 98
bandophorus 92
bandum 92
bannire 91
bannus ib.
baro, barus 93
battalia 97
braxare 313
burdo 275
burgio 100
cambire 194. ſeq.
cambium ib.
campiones 196
capulare 107
caupulus XLIII
druderia 116
drudes ib.
feimeri 133
feudum 42. 317
fillones 138
filtrare 139
major 234
mallus 137. 225
manire. manitio. manitus 239
mariſcalcus 232
mundeburdium 321
ʒuledrum 140
quittantia 256
rega, riga, ruga 265
rogga 269
ſcachator 276
ſcachum 275
ſcalchum 278
ſoumarius 275
ſparvarius 293. ſeq.
thanus 110
theganus ib.
theotiſcus 38. 299. ſeq.
teutiſcus 38. 300
vemium 133
weregildum 155
widrigildum 156
Zabulus 339

NO-

NOMINA PROPRIA.

Abalus XLV
Adelbrecht 77
Alamanni 124
Albrecht 77
Alf 335
Allobroges 124
Ancus 79
Arelate 18
Ares 112. 176
Armorica 18
Arnheim 82
Arnſtatt ib.
Aſcanius 84
Aſciburgium 85
Atalarichus 69
Attalicus 69
Attalus 120
Attila Ib.
Bardi 94
Batavodurum 325
Belgrad 146
Bergomates 99
Böhmen 182
Bojohemum ib.
Bramanæ 94
Bryning 28
Carolus 229
Carthago 146
Caucaſus 167
Celtæ XXVI
Cheruſci 29. 188.
Clodio 30
Cloio ib.
Dietmarſen 301
Druidæ XXXII. 254
Dünkelvingen 324
Eitel 120
Faramundus 228
Fricco 143
Froamarius 140
Gallo-Græcia 184
Græci 168
Graji 167
Groſſen-Hain 170
Hercules 199
Hercynius 189
Hermiones XL
Hermunduri 228
Hertha 129
Hunnigard 147
Igillus 193
Ingevones XXXVII ſeq.
Iſtævones XXXIX
Italicus 70
Italus 120
Kipping 28
Lebuinus 315
Lech, Leck 215
Lothringen 28
Mannus 229
Memmingen 28
Mentónomon XLV
Mithra 290
Morimaruſa XIV
Oſtrogard 147
Otto XXXII
Pergama 99. 182
Pergamus ib.
Phryges XIX
Rhodanus 258
Saturnus 307
Scythæ XI
Segimundus 228
Stargard 146
Stutgard 147
Tanfana 342
Taranis 114
Taunus 116
Teutones 302
Theotiſci 299. ſeq.
Thor 297
Turnus 307
Tutiſco XXXIII 29. 301
Veſtralpus 334
Wangen 324
Winfridus 315
Winnefeld 223

PERSICA.

chan 63
gaza 280
ghav 206
mader VI
mat 276
pader VI
preſter-chan 252
ſchach 276
ſtareh 296
tonder 114

Digitized by Google

Reliqua vide in Præſatione §. XVII.

PHRYGIA.

Acmon 228
as 85. 86
aſcanius 84
attagos XX. 153
bedy XXI. 88
bek XXIII. 19. 90
ci, cun, cyon 192
hydor XXI
lunus 240
manes 228
pergama XXIII. 99. 182
phryges XIX
pyr XXIII. 138
ſycchi XXIII. 289

PRÆCOPIENSIA. v. TAURICA.

PUNICA.

Carthago 146
Gadir 146. 149

RUNICA.

Aar 70
ar 82
audugr 26
dorf 117
durſt ib.
eira 130
erſide 82
fada 105
gærda 146
ger 152
giæſtur 148
hamladr 174
her 318
kri 205
kveda 256
kvidur ib.
lingve 289
ſekia 101
ſpakr 291
teite 227
thiod 111
thogn 306
thykkia ib,
trauſt 118
tundur 341

SCYTHICA.

æor, wæor XII. 92. 97
æorpata XII. 97
amaxampeus XVI
arima XIII. 265
arimaſpu XIII. 291
butyrum 106
graucaſus XV. 167
morimaruſa XIV
pata XII. 97
ſcythæ XI
ſpu XIII. 291

SLAVONICA.

Beru 89
dobry 297
doga, ne doga 299
gard, grad 146
gorod, grod ib.
hinu, hinem 25
hrabe. hrabati 256
jablo 81
jablon ib.
jablunke ib.
koza 153. 207
kozlo. kozol 207
kwaſs 312
nabe 257
pany 91
paruju 128
radzu 259
ſcholta 278

Digitized by Google

ſeime, ſiemie, ſeme-no 273
ſtaram. ſtaroſta 296
temny 110
wedeti, wideti, wo-deti, weſti 336
wloſs 269

SUECICA.

affyndra 290
fäa, fåda 316
förſtänd 314
frw 141
giæſt 148
hæmma 181. 333
halte 173
han, hon 174
hliom. hliumma 216
hwar 325
löfte 163
löfteſmann ib.
lomma 216
mææl 224
mæla ib.
mena 236
präſt 252
ſann 324
ſkiöld 284
slicka 210
ſpæman 291
trolofning 163
under 248

SYRIACA.

Abba VI
bar 95

TAURICA.

Apel 81
bars 96
malthata 237
mine 239
ſchieten XI
ſtern 296
ſune 289
waghen 321

TURCICA.

As 84
ſembil 273
ſultan 278

INDEX RERUM.

Numerus monſtrat, ut ſupra.

ÆStii, Gothorum in litore Venedico ſucceſſores XLV. 100
Alamanni, unde ſic dicti 124
Alamannica Lingua. v. Francica
Alrunæ Germanorum 261.
Angli, gens Suevica XLII.

Anglo-

Angloſaxonicæ Linguæ origo, præſtantia, & filiæ. XLII. cur Anglo-Saxonica dicatur ibid.
Anſileubi Epiſc. Goth. Gloſſarium 241.
Antiquitates Germ. nominibus rerum illuſtratæ 104. 119. 129. 135. 146. 155. 160. ſeq. 167. 170. 187. 191. 205. 226. 227. 251. 282. 288. 293.
Arioviſtus, XXXIV. 240.
Ariſtotelis liber de Nominibus Barbaricis III. 326. opinio de nominum ſignificatione IV.
Armenii, Phrygum coloni. XII. utuntur lingua Britannicæ ſimili XXI.
Armenicæ Linguæ ſpecimina. XII. XXI. XXII.
Auguria Germanorum 293.
Αὐτόχθονες ridentur ab Antiſthene 304
Bardi, cantores, & inde nomen 94.
Burgundi, ſoboles Vandalica. XXXIX. & veri nominis Germani 97.
Burgundicæ Linguæ ſpecimina. XLIII. Confer Ind. Verborum in voce.
Celtarum migratio in Occidentem. XXV. nomen. XXVI. diſtinctio a Scythis. XXVII. res geſtæ in Oriente 184. inventa 215. 293.
Celticæ Linguæ ſpecimina XXIX. XXX. Conf. Ind. Verborum in voce.
Chaucorum antiquitas XXXVIII.
Chryſippus etymologiæ cultor III.
Cimbrorum genus & lingua XIV. ſedes & coloniæ XXXVIII. imperium maris 302.
Cleanthes etymologiæ cultor III.
Codex Argenteus, qua lingua ſcriptus XLVI. ejus fata XLVII. mendæ 174. 182. lacunæ 216. unicum Gothicæ linguæ monumentum 241.
Dicæneus Gothis Philoſophiam tradit 287.
Diodori Siculi de lingua Celtica judicium 49.
Druidæ, domini arborum XXXII. 254.
Eoſtra, Saxonum Dea. 249.
Etymologia, res difficilis I. eſt pars Philoſophiæ II. a Stoicis exculta III.
Fœminæ Germanorum linificium exercent 327. etiam principes 269. quibus velatæ amictibus 215. futura prædicunt 318. conſuluntur & audiuntur 240 clariorum, quæ extant, nomina 328.

Franci

Digitized by Google

Franci & Alamanni delectantur vocibus longis 102. ſeq. originem arceſſunt a Trojanis XXV. Trojanos in ludis equeſtribus imitantur 131. aves colunt 330.
Francicæ & Alamannicæ Linguæ origo & conſtitutio XLIX.
Fricco, Septemtrionalium Priapus 143.
Friga, Wodani uxor 143. nomen habet ab amore *ib.* colus ejus in Cœlo 269. dies ſacer 143.
Friſiorum antiquitas XXXVIII.
Galli, quando & quo duce Galliam occupaverint XXV.
Germani, ab antiquo excoluerunt Linguam ſuam VIII. genus & linguam habent a Scythis, Phrygibus, & Celtis X. XXXI. 90. loquuntur Scythice XI--XVII. Phrygice XIX--XXIII. Celtice XXXII. non ſunt indigenæ XXV. quo duce venerint in Germaniam & quando *ib.* ſunt ipſi Celto-Scythæ XXVII. XXVIII. vocantur Celtæ XXXVI. cur dicantur Theotiſci XXXIII. 301. ſeq. cur fratres & conſanguinei Gallorum XXXVI. male vocantur Teutones & Alamanni 302. colunt Dæmones 74. 334. Terram 129 Lunam 240. Aves 293. 330. Ignem 342. Heroes. Vide *Mars, Tutiſco, Wodanus.*
Germani, quid ſenſerint de ſyſtemate univerſi 147. 188. de Cœlo 180. 212. 333. de aſtris 296. de terra 129. 147. 333. de anima & corpore 212. de ratione 267. 314. de virtute. 262. 306. de felicitate 286. de jure naturali 135. 246. 247. de fato 247. de generatione animalium 273.
Germaniæ primi Coloni XXXVII.
Germanicæ Linguæ præſtantia VIII. calamitas & mutatio XXXIV. idioma quondam triplex XXXV. unde ſit iſta varietas & a quibus XLI. unde ſit hodiernum idioma. X. XLIX.
Germ. lingua hodierna non eſt primigenia Germaniæ XLIX.
Gothi, gens Germanica XLVII. Vandalorum progenies XXXIX. variis nominibus appellati XLVII. ſuccinum colligunt. XLIV. 100. quomodo Æſtuarium nominaverint XLV. quomodo ſuccinum 100. ad Mæotidem migrant. XLIV. ab his habemus Evang. Gothic. XLIV. unde acceperint literas 295. unde Philoſophiam 287.
Gothi Scandinaviæ, unde oriundi XLV. nihil literarum poſteris reliquerunt XLIV.
Gothicæ lingæ facies antiquiſſima XLV. Pontica XLVI. Theotiſca XLVI. Gothica lingua deceſſit improlis XLVIII.
Gothini nuper & aliunde advecti XLVII.

Hercu-

Digitized by Google

Hercules Ogmius linguæ Celticæ locupletator VIII.
Hercynia ſylva unde dicta 189.
Herminones ſive Herminvones, unde dicti XL. eorum ſedes & genera *ibid.*
Heroes, unde nuncupati 304.
Hilleviones, unde orti XXXVIII.
Ingevonum nomen XXXVII. XXXVIII. ſedes, genera, & Coloniæ XXXVIII.
Iſtævonum nomen XXXIX. ſedes & genera *ibid.*
Linguarum fontes quot IV.
Linguæ non ſubito naſcuntur VIII. X. faciunt vitam beatiorem & cultiorem IX. ut differant a Dialectis X. omnes ex una primitiva natæ *ibid.* ſunt mutabiles XXXIV.
Linguæ Occidentales ſunt ab orientalibus X.
Litera prima quæ 294.
Literæ, cur dicantur baculi 294.
Literæ labiales ſunt primi conatus loquendi in pueris VI.
Literarum uſus apud Germanos vetuſtiſſimus 260. 261. ſed non omnibus conceſſus 260.
Literati Germanis vocantur omniſcii 261
Lucorum ſacrorum apud Germanos deſcriptio 170.
Luna, cur generis maſculini apud Germanos 240.
Mars, Germanis haud ignotus 112. colitur Eresburgi 177. inventor gravis armaturæ 176. cur dicatur ἄρης ib. cur gradivus 305.
Naturæ vis in fingendis vocabulis V.
Nomina rerum utrum ſint a natura, an ab inſtituto tantum IV. ſolent a ſenſibilibus ad intelligibilia transferri 98. 291. 312. 314. 336. quædam ſunt rerum ipſarum ſimulacra V.
Nominum inventores apud Ægyptios & Gallos VIII. primi haud hebetis ingenii fuerunt II.
Odinus, idem qui *Wodanus*, quem vide.
Onomatopœia, imitatur naturam VII. 168. eſt multorum vocabulorum in omnibus linguis mater *ibid.* non eadem ubique 169.
Orthographia pendet ab Etymologia 64.
Particulæ Germanorum non carent ſapientia & virtute 1. non ſunt contemnendæ 63. unde tot Germanis particulæ 63.
Penates Germanorum 342.
Perſæ Scythice loquuntur XVII. an a Scythis oriundi XVIII.
Philoſophiæ Antiquo-Germanicæ veſtigia in ipſa lingua 32. 50. 147. 157. 164. 212. 217. 238. 242. 243. 247. 262. 273. 286. 306.

Digitized by Google

306. 314. 336. de illa teſtimonium Valerii Max. 213. Clementis Alex. 286. Jornandis 287.
Phrygia Monarchia XXIV. deſtruitur a Græcis XXV. Barbaris in Occidentem pulſis ibid.
Phrygicæ linguæ ſpecimina XIX—XXIII.
Phrygum antiquitas & origo XIX. inventa XIX. 72. 90. coloniæ in Hiſp. Gall. & Brit. XXI. migratio in Occidentem poſt excidium Trojæ XXV. lingua Germanicæ ſimilis 69. 72. 99.
Plato, etymologiæ cultor III. nomina Græca a Phrygibus deducit 326. ejus de nominum ſignificatione ſententia IV.
Ratio ad cauſas Linguarum referri debet VIII.
Runæ interpretatione Romana ſecreta literarum 260. ab antiquo fuerunt in Germania 295. ſed vulgo ignoratæ 260. cur deletæ a Chriſtianis 261. 340. a quo inventæ 295.
Runica monumenta qua lingua ſint exarata XLIV.
Sacarum migratio XXIV. inventum 283. lingua XXIX. 284. etymon 277.
Salicæ Legis conditores qui 226.
Saxones, Anglorum progenies XLII. utuntur lingua Anglica. ibid. omnibus rebus Dæmones præficiunt 74. Wodanum & familiam impenſe colunt 143. 269. 297.
Scythica lingua matrix Perſicæ & Germanicæ XVIII.
Scythicæ linguæ ſpecimina XI—XVII. conf. Ind. Verbor. in voce.
Scytharum antiquitas, nomen, & inventa XI. 107. res geſtæ in Aſia & Ægypto XVIII.
Servorum tonſura apud Germanos 282.
Sphæra Barbarica, id eſt, Celtica 322.
Stoici etymologiæ ſtudioſi III.
Suevorum antiquitas, ſedes, & coloniæ XXXVIII.
Suiones unde orti XXXVIII
Tanfanæ templum, unde ſic dictum 342
Terræ filii, qui 304. videri volunt Germani 129. 300. 304. & Athenienſes 304. Vid. ſupra Αὐτόχθονες.
Teutones unde orti XXXVIII. Cimbrorum clientes & belli ſocii. 302.
Thor, cur malleo ſignatus 297.
Thraces Phrygum coloni XIX.
Titanes qui XXIV.
Trojanum excidium neceſſitatem imponit Barbaris migrandi in Occidentem XXV.
Tutiſconis nomen, res geſtæ, & apotheoſis XXV. XXXIII. memoria nominis apud Germanos 299. 301.

Vanda-

Digitized by Google

Vandalorum ſedes & propagines XXXIX. antiquitas XLIII. lingua XLIII. XLVI.

Ulfilas Gothor. Epiſc. & Scripturæ S. interpres XLIV. literarum ſtator apud ſuos 295.

Urani patria & imperium XXIV. inventa 322.

Uſus, linguarum magiſter VI. vocabulorum tyrannus 141. 144. & paſſim.

Wodanus ſive Odinus, Princeps Phrygius, Pompeji æqualis 86. fugit in Scandiam tempore belli Mithridatici ibid. Germanos literas docet 261. 295. appellatur Deus 86. ejus uxor 143. filius 297. ſocii 85. 86. dies ſacer 143. apotheoſis 261.

Zeno, etymologiæ cultor III. ejus de comprehenſione ſententia 98 312.

Errata graviora.

XVII. lege PADER. XXXV. lege *abjudicant*. XLIII. lege EXARTA. 7. lin. 19. lege *latiſſimæ*. 20. lin. 27. lege *beſſer*. 24. lin. 17. lege *ær*. 74. lin. 17. lege *ſic dictæ*. 99. lin. 9. 10. lege *vocem*. 110. lin. 30. dele *Cambris &c*. 168. lin. 30. lege *cucuba*. 184. lin. 19. lege *regionem*. 188. lege HIRSCH.

LITERIS BREITKOPFIANIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google